RICHARDI BRISTOÏ

VIGORNIENSIS,

EXIMII SVO TEMPORE SACRÆ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris

MOTIVA,

OMNIBVS CATHOLICÆ DOCTRINÆ Orthodoxis Cultoribus perneceſſaria; vt quæ ſingulas omnium ætatum ac præſentis maximè temporis hæreſes funditùs extirpet: Romanæ autem Eccleſiæ auctoritatem fidemq́; firmiſſimis argumentis ſtabiliat.

TOMVS PRIMVS.

Domus Professæ Neap. Societatis Jesu Catal. inscriptus



ATREBATI,
Ex Officinâ Typographicâ ROBERTI MAVDHVY,
ſub ſigno nominis IESV.
CIƆ. IƆ. C. VIII.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate ſuo Sanxerunt ne quis citra voluntatem Roberti Maudhuy Typographi Atrebatenſis RICHARDI BRISTOÏ VIGORNIENSIS ANGLI MOTIVA ANTIHÆRETICA vllo modo imprimat, aut alibi impreſſa in has Regiones importet, venalèſue habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum & graui pœna mulctabitur, vt latius patet in litteris datis Bruxellæ, in priuato Principum Concilio, tertio Auguſti 1607.

Signatum.

S. de Grimaldi.

ADMODVM NOBILI ET ILLVSTRI VIRO MAGISTRO IOANNI DV BOYS, DOMINO *de Behagni , Iuris vtriuſque Licentiato.*

EXTREMOS Clariſſimi Doctoris Richardi Briſtoï labores, ſeriùs fateor quam decebat, citiùs tamen per tuam ſingularem benignitatem (vir Illuſtris) quam per noſtram fortunam, opportunè, vt arbitror, in lucem damus. Equidem diuinitùs factum interpretor, vt qui Gentis ac cauſæ noſtræ gloriam hactenùs egregiâ quâdam pietate mirari ſoles, ac colere, iam potiſſimùm & vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ vtilitati, & doctiſſimi Briſtoï,adeòque Collegij noſtri dignitati, conſulendum nouo hoc tanti operis ſplendore putaueris, dum poſt diuturnas in Angliâ ingraueſcentes, pro fide Catholicâ,perſecutiones, ita plus ſolito creſcat Catholicorum ibi numerus, ac Zelus, vt ſpes effulgeat(Diuinâ præſtante Miſericordiâ) totum illud ampliſſimum regnum ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium breui rediturum. Qui quantuſcunque

 ſit, ſiuè

ſit, ſiuè re, ſiuè ſpe exortus fructus, totus poſt Deum Seminariorum fundatoribus ſimul & operarijs ipſis debetur. His enim in Collegijs Sacerdotes initiati, & indè in Angliam miſſi, tum paruas ibi Religionis reliquias conſeruârunt, tum eaſdem (vt nunc videmus) in immenſum propagârunt. In iſtis autem Briſtoüs noſter & primus fuit Seminarij iſtius Anglorum primi Alumnus, & primus in eodem Preſbyter conſecratus, & in hoc ſancto inſtituto ſapientiſſimi Patris noſtri Alani Primogenitus, Eccleſiæque noſtræ refloreſcentis primitiæ. Quæ cum ita ſint, diuinam non immeritò admiramur prouidentiam, vt quamvis ipſe iampridem æternâ ſit potitus beatitudine, nouum tamen etiamnùm ex ſuo in plurimorum commodum edito libro accipiat gloriæ acceſſum, ita Deo meliùs hoc illi prouidente, vt non ſine multis intereà glorificatis fratribus conſummaretur. Nobis inſuper eiuſdem Collegij Alumnis periucundum accidit, quod ſimul & fratri noſtro maximo, pretioſum hoc eius depoſitum tandem aliquandò reddamus, & tuæ Dominationi pro meritis in nos maximis, hoc ipſum gratitudinis ſymbolum conſecremus. Sub tuâ enim potius, quàm alterius cuiuſquam tutelâ prodire debet; cui & auctoris virtutes, ſcientia ac zelus iamdiù innotuerunt, & cuius ardenti ſtudio, hortatu, conſilio, induſtriâ, & (qui rerum gerendarum neruus eſt) ſumptibus, iam plurimi tanti boni participes fient. Quam propterea ſiuè gratiam, ſiuè gloriam, ſiuè debiti

debiti noſtri partem aliquam præ cæteris omninò mereris,quo magìs hoc ipſum conſtanter fugis. Mihi denique ad ſingulare venit ſolamen, vt & Dominationi tuæ, & immortali Auctori hoc pacto aliquam etiam debiti mei particulam, præter id quod tota hæc familia debet, perſoluam. Hoc enim vt libenter, ſic veriſſimè profiteor, quod cum omnes illius ingens & ingenuus animus arctiſſimâ beneuolentiâ proſecutus ac complexus ſit Fratres, tum me præcipuè velut vnicum indulgentiùs ſemper habuit; eaque propter, reciprocâ erga illum animi gratitudine,cæteros ſuperare debeam. Et licet aliquos (abſit arrogantia) vincam, tamen abs te me victum agnoſco. Quippe qui nudum vix ſignum pro immenſis beneficijs rependo: Tua vero Dominatio, quæ nihil debet, plurimùm elargitur. Erit nihilominùs (vti ſpero) perindè gratum ac vtile multis, vtriuſque noſtrûm amoris ſtudium, quo hunc tanti viri fœtum, etſi iniuriâ temporis, poſthumum proferimus, vt qui huc vſque linguâ tantum vernaculâ contra Angliæ ſolius Pſeudominiſtros, nunc Romani eloquij commercio, contra omnes Europæ Hæreticos firmiſſima auitæ Fidei fundamenta proponit, explicat, ac defendit: & qui multoties victor in terris, nunc velut recidiuo ſpiritu (vſitatiſſimo apud Sanctos Doctores certandi genere) pugnet è cælo. Supereſt vt tuæ, quod debemus, beneuolentiæ, cum ſoluendo non ſimus, (quæ vna eſt obnoxiorum maximis beneficijs ſolutio) perpetuò agnoſcamus.

camus. Et quoniam hoc quantulumcunque eſt quod poſſumus, ſoles nimium appellare, placeat hâc lege rem temperare: ipſe de nobis bene promereri non deſines, hoc eſt, eum erga nos conſeruabis animum, quem experimur; nos non pares facultate ſed votis, æternam tibi fœlicitatem, quam mereris, comprecabimur. Ex collegio Anglorum Duaceno, ipſo feſto Verbi Incarnati 1606.

Illuſtris Dominationis tuæ ad Obſequium,

Thomas Vvorthingtonus
Presbyter.

A D

AD EVNDEM DOMINVM DV BOYS.

SI bene ſint memores, quidni & meminere, beati
  Omnia queis diæ Mentis imago refert?
Officioſa animo ſi grato munera condant,
  Et certè ingratos quis ſuper aſtra locet?
Affectus memor vſque tui, Vir nobilis, vſquè
  Briſtoüs veſtro munere gratus erit.
Perque Illum creſcet Tibi gratia, gloria cuius
  Per Te incrementum cœpit habere nouum.
Vtque peregrinam radix nutritia ſtirpem
  Concipiens, fructu nobiliore tumet:
Briſtoliana tuæ ſoboles ſic poſthuma curæ
  Inſerta, alterius fama laborque Patris,
Fructifica expandet latè ramalia; nempe
  Succus adoptiuam plus alienus alit.
Expandet, patrio naſcens inopina ſepulcro
  Natali Phœnix ceu recidiua rogo.

APPRO-

Approbatio.

Ego Paulus Boudot ſacræ Theologiæ Doctor Sorbonicus, Cathedralis Eccleſiæ Atrebatenſis Canonicus Pœnitentiarius, & Reuerendiſſimi in eâ Domini Epiſcopi Eccleſiaſtes, ac librorum Cenſor ab ipſo deputatus, fidem facio me librum hunc in duos tomos diuiſum perlegiſſe, qui inſcribitur, Richardi Briſtoï Vigornienſis Angli, Eximij ſuo tẽpore Sacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris Anti-Hæretica Motiua, &c. *in quo nihil deprehendi quod fidei Catholicæ aduerſetur; quinimò tale eſſe opus, quod hæreſes omnes ita radicitus exſtirpat, & Ortodoxam Religionem ita ſtabilit & confirmat, auctoritate veterũ omnium Patrum ac Hiſtoricorũ, qui ſingulis retro actis ſæculis, vel ab ipſis Eccleſiæ incunabulis vixerunt, vt nullum aliud opus vix accommodatius manibus teri poſſit, vel ad Hæreſin propriam detegendam ac abiurandam, vel ad Fidem ſuam Catholicam contra omnium aduerſariorum calumnias tuendam. Etenim quæcunque controuertuntur hodiè inter nos & hæreticos, ita familiari ac facili ſtylo, non quali Doctores Scholaſtici vtuntur, non omnibus obuio, ſed tantùm peritioribus Theologis, vt ex ipſis fontibus tota Fidei noſtræ doctrina, vel ab ipsâ antiquitate repetita omninò eſſe videatur. Quare digniſſimum opus iudico quod typis mandetur, ad totius Eccleſiæ vtilitatem. In cuius rei teſtimonium chirographo proprio approbatum à me hunc librum muniendum duxi. Datum Atrebati in Palatio Epiſcopali, Die 14. Martij, Anno 1607.*

PAVLVS BOVDOT.

V Iſâ hâc Confratris mei D. Pauli Boudot Doctoris Sorbonici approbatione , lubens eidem ſubſcribo , & Librum hunc duobus Tomis diuiſum, cui titulus RICHARDI BRISTOÏ &c. ANTI-HÆRETICA MOTIVA, *prælo digniſſimum cenſeo. Actum Atrebati* 15. *Martij* 1607.

H. DE MOEVSYENBROVCQ
Iuris Licentiatus, Protonotarius Apoſt: Canonicus Atrebateñ. & Librorum Cenſor.

COMPENDIVM VITÆ AVCTORIS
Ad Lectorem.

Anno Domini 1538. RICHARDVS BRISTOVS parentibus honeſtis Vigorniæ in Angliâ natus eſt, anno ſalutis humanæ ſupra ſeſquimilleſimum trigeſimo octauo. Fortunæ mediocritas verâ nobilitate virtutis emerſit. Etenim adhuc puer, præceptore Golburno (viro pio iuxtà ac erudito) diſciplinis eſt imbutus ijs, quarum præludio ætatis ille flos inſtituto Maiorum informari ſolet. Hiſce in primordijs dum & æqualium induſtriam, & ſpem ſuorum, & communes annorum leges animi celeritate præcurreret, latentis ingenij ardor ſtatim emicuit. *Anno circiter 1556.* Subinde miſſus Oxonium (Vniuerſitatem antiquiſſimã, & ad noſtra vſque tempora celeberrimam) liberaliores ibidem artes non accepit citiùs quam percepit, manifeſta cunctis ad ſumma tandem perueniendi præmonſtrans auguria. Præſertim verò illa quæ ſurſum ſunt non quæ ſuper terram, iam tum adoleſcens, ſapiebat. Vix enim logices nedum Philoſophiæ elementa prælibauerat, cum auditâ Catholicæ fidei verâ gloriâ, quaſi ad iniectam diuinæ flammæ ſcintillam totus exarſit. Itaque in medio fortunæ decurſu, ipſo ætatis ſuæ flexu, erupit ex illis quaſi carceribus laudis humanæ, quam per hæreſim aſſequi potuiſſet, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperiũ Chriſti. Ad omnem igitur oblatam occaſionẽ, ita apud ſocios hæreſes ipſorum, quibus poterat argumentis refutauit, vt omnibus orthodoxa illius fides atque Religio innoteſceret.

Qui

2. Qui Catholicæ Religionis zelus luculentiùs incla-reſcebat deinceps, cum grandior factus in ſcholis Theologicis, publicâ diſputatione Laurentij Humphredi fregiſſet ſuperbiam, viri inter hæreticos omnium opinione, primas facile obtinentis. Prorsùs vt illius diei triumphus hodie celebretur ab illis, qui diuinum ipſius ingenium, vel tum perſpexerunt, vel modò audientes admirantur: dolentque adhuc hæretici ipſorum vices, qui illo die, etiam ſuorũ iudicio victi ceſſerunt. Victoris verò Briſtoï laudant vel inuiti, tum naturæ præſtantiam, tum varietatem doctrinæ, diſputandi acumen, & argumentorum vim maximam cum validiſſimo dicendi neruo coniunctam. Quæ omnia hominem ad inuidiam vſque mirabilem hoſtibus reddiderũt, charum & venerabilem ſuis. Hanc conſpicuam cum feciſſet fidei profeſſionem coram multis teſtibus, nec ſibi tutum in Angliâ manendi locum aduerteret, nec magnos ibi ſe facturum in ſacris ſtudijs progreſſus, quamuis gratiâ optimorum, ingenij doctrinæque famâ vſque adeo floreret, vt ſi temporibus vel paululùm ceſſiſſet, ad dignitates euehi potuiſſet maximas; ipſe tamen humanis rebus altior, patriâ voluit ad tempus carere, ne deeſſet patriæ. Atque hoc ſolo nomine migrationem cogitans, ſe ipſum omni ambitionis periculo ſubduxit. Ita in Belgium ſpontaneus exul traijciens, imprimis Louanium petijt, quo ſe anteà contulerant Religionis ſimul & ſtudiorum patriæque ſuæ iuuandæ cauſa, quamplurimi inſigniter docti ac illuſtres viri, Hardingus, Sanderus, Alanus, Stapletonus, Haudus, alijque quorum longum eſſet citare catalogum. *Anno Domini 1567.*

3. Louanij vix pedem fixerat, cum Alanus perſpectis *Anno 1568.*

ipſius ingenio, doctrinæ, morum facilitate ſummâ, cum pietate zeloque ſociatis, Briſtoüm primum omnium ſelegit in lapidem, quaſi fundamentarium huiuſce Seminariæ ſuæ ſubſtructionis, quam tunc animo præconceperat, nondùm inchoauerat. Alijs autem deinceps aſcitis ſocijs, Duacum veniunt, Collegium inſtituunt. In quo Collegas præcipuos habuit Ioannem Vrictum, qui poſt magnos in Anglicanâ vineâ labores, poſt inſignem contra Huitonum (egregium apud Pſeudo-Euangelicos Doctorem) partam diſputando de Religione victoriam, poſt diuturnos duroſque pro fide carceres, tandem in exilium deportatus, Eccleſiæ nunc Beatiſſimæ Virginis Cortracenſis Decanus eſt: Gregorium item Martinum, virum omni literarum ac virtutum genere apprimè inſtructum: & qui ſanctam poſteà Societatem Ieſu ingreſſus, Martyr euaſit, mundo celebris, cælo glorioſus; Edmundum Campianum: Collegæ inſuper ei fuerunt Edouardus Riſdenus poſteà ſanctiſſimi Carthuſiæ Ordinis religioſus; Thomas Fordus, Cutbertus Mainus, Ioannes Nelſonus, Martyres, alijque viri eximij, vel Martyres, vel ſtrenui eiuſdem vineæ in Angliâ operarij. Horum omnium primus erat Briſtoüs, non Ordine tantùm vocationis & in Collegium hoc inſcriptionis, verumetiam doctrinâ, morum grauitate, auctoritate & apud ſapientiſſimum Alanum æſtimatione. Hoc ipſum ſi cui mirum videatur, vel inde liquidiſſimè demonſtratur, quod Alanus iſtum ſtatim conſtituit & ſtudiorum Præfectum, & erudiendis deinceps aduentantibus Præceptorem, ſibi verò ipſi in regimine Collegij primum adiutorem, in abſentiâ ſubſtitutum ſeu Vicepræſidem; ac demum in ſuo loco

eundem

eundem ſurrogauit ſucceſſorem publicum ſacræ Theologiæ in hâc almâ Vniuerſitate Duacenâ Profeſſorem, cui muneri ſummâ cum laude ac omnium applauſu abunde ſatisfecit.

4. Verùm Alanus Rhemis, quò hoc Collegium propter Belgij tumultus migrauerat, diutiùs quam putarat, cum ſuis commorari coactus, vbi Briſtoï quotidianâ operâ carere non poterat, illum, poſt annum ad ſe reuocauit. Nec morâ vocatus, publicum ſemper patriæ ſuæ commodum priuato anteponens, neglecto Academici Profeſſoris honore, ad priſtinum in Seminario opus aduolat. Prætereo hîc, quàm dignè ad gradus omnes Bacchalaureatus, Licentiæ, & Doctoratus in ſacra Theologia promotus fuerit. Eum etenim qui publici Profeſſoris laudabiliter (vt iam diximus) eſt functus officio, proculdubio omnes ad illum apicem gradus & aſcenſus optimè fuiſſe meritum, in confeſſo eſſe debet. *Anno Domini 1579.* *Anno 1580.*

Illud tamen ſilere non poſſum, quod ſicut in alijs præclaris quidem rebus, ſed humanis: ita in ſacris etiam primitias habuit. Primus enim omnium in iſto Collegio (quod cæterorum Anglorum Seminariorum mater quædam eſt & origo) conſecratus eſt Sacerdos, hac ſingulari honoratus prerogatiuâ, qui præcipuo quodam virtutis ſplendore ſocijs prælucebat. Præſertim verò in ipſo altiſſimo humilitatis fundamento, dum plurimos ſibi ſuo quidem iudicio præpoſuit, omnes ſuperauit. Nam & aliorum virtutes, quas præclaras conſpexit diligenter laudare conſueuit, & proprias quaſi nullas reputauit Hinc ſummã in rebus omnibus ſapientiam Alani, velox Stapletoni acumen, eloquentiam admirabilem & vere *Anno 1575.*

 orato-

oratoriam Campiani, linguarum omnium ſacrarum exactam peritiam Martini; ſolidum Vricti in Theologicis difficultatibus iudicium, Blactuelli in concionibus præſtantiam, & aliorum dona excellentiora, nunquam ſatis ſibi prædicaſſe viſus eſt; ſua verò vel occultare, vel verbis diminuere modeſtiſſimè & ſinceriſſimè voluit, cum reuera, ſi vniuersè loquamur (licet alij alijs in ſingulis facilè præirent) Briſtoüs nulli iſtorum erat ſecundus. Quod etiam concionando, perorando, epiſtolas ac libros ſcribendo, omnia in humili ſtylo peregit, huic omninò humilitatis virtuti, & ſacrarum rerum reuerentiæ tribuendum eſt. Conſiderauit enim, & ſæpiùs illud Apoſtoli apud ſuos inculcauit, quod non in perſuaſibilibus humanæ ſapiētiæ verbis enarranda eſſent Magnalia Dei, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides audientium & inſtructio, non in ſapientiâ hominum eſſet, ſed in virtute Dei; vt Dei honor accreſceret, & humana gloria vitaretur. Sic in omnibus ſibi cauit, ne fortè quis putaret aliquid in ipſo eſſe quod ipſemet in ſe non ſentiret. Ex altiſſimo igitur humilitatis fundamento, quod poſuit & firmauit, non incertam faciet prudens lector conicturam, quam ſublimis fuerit aliarum illius virtutum ſtructura.

5. Res modò geſtas ipſius aliquas tantarum virtutum veriſſimos iudices videamus. Ita omnium non ſolùm Eccleſiæ præceptorum & Collegialium inſtitutionum atque piarum conſuetudinum obſeruantiſſimus erat, verùm etiam aliarum ſimilium ipſemet auctor eſſet. Nam cum quidam Religioſi Angli, tum Carthuſiani, tum Patres ac Sorores Ordinis ſanctæ Brigittæ, cooperantibus

quoque

quoque alijs in Belgio exulibus Anglis, continuas inſtituerant pro patriæ ſuæ ab hæreſi & ſchiſmate conuerſione, preces horarias, ſic toto partito tempore, vt nulla vacaret hora ſiuè nocte ſiuè die, quâ aliqui non orarent, cumque in iſto tam ſancto exercitio vna tantum hora huic Collegio Duaceno ſingulis diebus deſignaretur, quæ Briſtoo pars modica videbatur pro re tam graui, hortabatur vt huiuſmodi orationi ieiunium adiungeretur. Fecitque conſenſu Alani (Collegij Inſtitutoris & Præſidis) & vnanimi omniũ approbatione, vt omnibus ferijs ſextis, iuxta antiquam Angliæ cõſuetudinem, Sabbathis autem pro Angliæ ad fidem reductione, omnes ieiunarent. Cernis hic, lector, quam pius fuit in Deum, quam pius in patriam; fuit etiam pius in parentes. Matrem enim viduam omneſque ſuos inſigni ſtudio, Duacum ex Anglicano ſchiſmate, velut in tranquillitatis ac ſecurum cuiuſdam otij portum, grauiſſimis patriæ ſuæ temporibus euocauit, vt animæ ipſorum ſaluæ imprimis fierent. Quin & alimenta ac veſtitum pro ſtatu exulum, diuinâ bonitate & bonorum charitate, ijs omnibus procurauit. Ex quibus quidam beati iam in Domino mortui ſunt, Mater nimirùm pijſſima, & ſoror, ex nepotibus etiàm vnus vel alter. Alij in Anglicanâ meſſe nunc ſtrenuè laborant; alij ad idem opus ſe parant, dum ætas & doctrina ad tantum munus accreſcant; alij denique nobiſcum ſuperſtites ſunt, nempe frater vnicus, & qui Sororis, dum viueret, fuit maritus.

Anno 1568.

Anno 1574.

6. Hâc ita domeſticorum peractâ curâ, ſuorum iam ſecurus, prodigus ſui, vir magnus alacriori animo, corporis quidem cum diſpendio, cæteros indeſinenter pro-

ſequitur

ſequitur egregios labores ; quovſque ferè confectus , vt priùs aliquem in ipsâ dulciſſimâ ac deſideratiſſimâ patriâ haberet fructum , quàm extremum exhalaret ſpiritum Angliam tandem repetit , nihil veritus animoſitatem Reginæ , nec minis atque odijs hæreticorum perterritus, quamvis eum inter præcipuos hæreſeon malleos, non quidem immeritò connumerârant. Nam eo ipſo tempore , quo Campianus , Hartus , Sheruinus , Briantus , Fordus , vterque Ionſonus & alij ſeptem Martyres cogerentur tormentis, ſuam, de doctrinâ Sanderi & Briſtoï, circa ſummi Pontificis in excommunicandis & deponendis Principibus Hæreticis, poteſtatem , ſententiam ferre , ipſe Briſtoüs ex Franciâ in Angliam pergit; ipſam Londinum adit , vbi maximus ſæuiret perſecutorum furor; vbi præcipuè falſi quidam fratres tales Fidei Catholicæ Athletas ad necem proderent. Ibi moratur Briſtoüs ; ibi bella indicit ſpiritalia contra tenebrarum infernalium nequitias , contra inſanos nouorum hominum impetus , contra tyrannos ſanguinarios ; omninò paratus , imò cupidiſſimus (ſi ita Deus ſtatuiſſet) ſua ipſius , de Chriſti Vicarij poteſtatis plenitudine, doctiſſima certiſſimaque dogmata ſanguine proprio conſignare : funes ipſorum collo nudo , cultros proprijs viſceribus , opprobria , maledicta , iniuriam omnem puriſſimo corde excipere & ſuſtinere , vt ita glorioſum & optatiſſimum mortis genus , pro Sedis Apoſtolicæ Primatu , vel pro ijſdem ſuis fratribus , vel ſaltem cum illis obiret. Sed Deus Opt. Max. qui delectiſſimorum Deiparæ Matris & Apoſtoli Ioannis voluntatem pro Martyrij merito acceptauit , qui Sanctorum Pontificum Martini,

Anno 1581.

Aetatis 43.

Martini, Ioannis, Siluerij, Pontiani & Marcelli ærumnas, confeſſiones, paratos animos inſtar ſanguinis effuſi pro martyrio habuit, hunc quoque multas anguſtias pro fide propagãdâ paſſum præuenit in benedictionibus dulcedinis, poſuitque in capite eius coronam de lapide pretioſo. Fractus enim laborum onere; non annorum in ædibus Bellamianis, familiæ conſtanti Fidei profeſſione celebris, è vitâ diſcedit mortali, ad immortalem tranſit, cui nullo modo deerat ſummum Martyrij deſiderium, nec proindè meritum, haud dubiè nec præmium. Ita breuiſſimè habes (beneuole lector) vitam mortemque candidiſſimi doctiſſimique Briſtoï, quem nudis potiùs verbis delineare, quàm vllis floſculis ornare volui. Ipſimet in hoc morem gerens, ipſius vtiquè imitatus exemplum, qui ſemper iudicauit, opera cuiuſque, auctorem ſuum meliùs, quàm verba commẽdare: hoc tamen te admonitũ volo, nec omnia me attigiſſe encomia, quæ noui, multoque minùs ad meam notitiam perueniſſe omnia.

7. Cæterùm de libris Doctoris Briſtoï adhuc quæres: Quoſnam ſcripſit? Varia quidem volumina. Ex quibus edidit, primò *Perſpicua quædam veræ fidei documenta*, quaſi totidem firmiſſima propugnacula, quæ *Motiua ad fidem Catholicam* inſcripſit, Anglicanum librum ſatis amplum. Deindè, *Interrogationes* hæreticis proponẽdas. Tertiò *Apologiam* pro Alano & ſeipſo, contra calumnias cuiuſdam Guilielmi Fulcti. Magnâ inſuper ex parte, collegit Briſtoüs Annotationes illas doctiſſimas, in Teſtamentum Nouum Anglicè verſum, & ab iſto Collegio euulgatum. Poſtremò latinè ſcripſit *Rationes* iſtas pro fide Catholicâ eiuſdem ferè argumenti & Methodi, cum Anglicanis, vt

vocant, *Motiuis* quas proindè ipſemet eodem titulo inſigniuit. Has tandem tibi, lector, offerimus. Quibus eò fruaris vberiùs, quò diutiùs caruiſti: Ita præclarè temporum detriméta præterita geminato in poſterum ſtudio redimes. Hoc age, & vale.

EIVSDEM AVCTORIS VITA COMPENDIOSO VERSVVM circuitu complexa.

INGENIOSA *canat viuacis acumina mentis*
Alter, & emeritam bene doctâ Pallade Famam
Quæ populi dubiâ dependent aure vel aurâ,
Non fibris libriſque tuis, nec propria tandem
Effecit ſolerti opifex induſtria cultu,
Vix tua iure voces. Illud Briſtoiüs, illud
Iure ſuum propriumq́; vocet ſibi penè; nec acri
Ingenio tumuiſſe altùm; penituſque merentem
Errabunda vagæ ſpreuiſſe encomia famæ.
Sic poſtquam Oxonij iuuenili peregerat æuum
In ſtudio, ſtadioq́ue frequens ſudauerat illo
Victor, & aßiduo fidei certamine paßim
Sollicitata ſacræ micuiſſent ſemina flammæ,
Ambitos alijs nihil ambitioſus honores
Linquit: Adulantum teneras dum ſpirat odorum
Primitias, expirat honor mundanus, opeſque
Sicut apes, vbi mella ferunt, feriunt fugiuntque.
Iamque irritato ſubſiſtere liber ab hoſte
Vix poterat: natiuo illi lare, tutior ora
Iam peregrina fuit; peregrinas tendit in oras

Aduena,

Aduena, Muſarumque petit Muſæa Louainum.
Ilicèt æternùm memorando gratus Alano
Excipitur, gratuſque alijs; quos vnus in vnum
Relligionis amor ſociauerat. Indè relictæ
Se patriæ impendens, ſocialem in pectora cœtum
Pallada virtutumque choros inuitat: Aperto
Euphroſinea ſinu, taciturna modeſtia, blanda
Mitities, victrix conſtantia, mater honeſtas
Virtutum, nutrix pietas, prudentia cuſtos,
Vita ſupernus amor, pax indiuiſa, cruoris
Prodigus ob patriam zelus, Deuotio zeli
Et ſoror & coniux, animi ſubmiſſio centrum,
Sobrietas medicina, piæ ſapientia mentis
Cauta gubernatrix & conſiliaria, cura
Ah deploratæ patriæ indefeſſa; receptæ
Briſtoliani intra penetralia cordis alumnum
Erudiunt radiantque ſinum. Tali Anglica tali
Nixa edurabunt Collegia fundamento.
Ille humilis paradigma animi, protonatus Alani
Ille, Sacerdotum nulli pietate ſecundus;
Tempore primus erat, primus formando iuuentam
Ille artus arteſque ſuas librauit; at eheu
Magnanimus, ſpiranſque Deum, diſcrimina certi
Exitij, hæreticæque odium implacabile turmæ
Dum ſpernit, totuſque ſuis impendier ardet,
Immatura truces ſecuerunt ſtamina Parcæ
Neſtoreum emeriti fuſum: ſecuere, iacetque
Nunc gremio libitinæ; eius ſed fama ſepulcro
Dedignata tegi, viget æternùmque vigebit.

INDEX MOTIVORVM, SEV CAPITVM PRIMI TOMI.

MOTIVVM PRIMVM.

QVod noſtra nunc ſit Eccleſia, quam olim è Sacris Scripturis D. Auguſtinus & alij Catholici Epiſcopi Africæ in Collatione cum Donatiſtis demonſtrarunt. *pag.* 11.

MOTIVVM SECVNDVM.

Quòd noſtra ſit nunc Eccleſia, cuius inſuperabilem ædificationem olim Chriſtiani Patres noſtri Paganis & Iudæis obiecerunt, vt iuſtiſsimum Motiuum credendi, Chriſtum ipſum eſſe Deum. *pag.* 45.

MOTIVVM TERTIVM.

Quòd nos nunquam de Eccleſiâ exiuimus, Proteſtantes autem exierunt. *pag.* 59.

MOTIVVM QVARTVM.

Quòd nos nullo poſt Eccleſiæ principium tempore exurreximus, ſicut Proteſtantes. *pag.* 73.

MOTIVVM QVINTVM.

Quòd homines Eccleſiæ nunquam nos demirati ſint, neque nobis vnquam contradixerint. *pag.* 83.

MOTIVVM SEXTVM.

Quòd nos hodie, & non Proteſtantes, Catholici nominemur: indeq;

indeq́; certum eſſe, quòd Catholici ſimus ſicut fuerunt & alij omnes, qui illud vnquam Nomen habuerunt. *pag.* 89.

MOTIVVM SEPTIMVM.

Quòd Proteſtantes hoc tempore Hæretici nominentur, non autem nos: indeq́; certum eſſe, quòd Hæretici ſint. ſicut fuerunt & alij omnes, qui eo vnquam nomine communiter ſunt notati. *pag.* 107.

MOTIVVM OCTAVVM.

Certum eſſe quòd Hæretici ſint, quia nominantur Proteſtantes, Geuſei, Lutherani, Caluiniſtæ, & huiuſmodi. *pag.* 113.

MOTIVVM NONVM.

Nullam vnquam Gentem conuerſam eſſe à Paganiſmo per Proteſtantes: per nos autem omnes conuerſas eſſe, vel conuertendas. Et hoc certiſſimum eſſe argumentum, quòd nos à Chriſto ſimus, & non Proteſtantes. *pag.* 129.

MOTIVVM DECIMVM.

Sicut Chriſti ipſius & Apoſtolorum, ita & noſtrum in Gentibus Euangelium (quod & propterea idem eſt) innumeris Miraculis confirmatum eſſe, & quotidie confirmari. *pag.* 159.

MOTIVVM VNDECIMVM.

Quòd in Britanniâ inſulâ (ſecundum Scripturas, quæ de Inſularum conuerſione loquuntur) Apoſtolica fides fuerit, ad quam Gens Britonum mille quadringentis retro annis ſub Eleutherio Papa conuerſa eſt. Et, quòd eadem fides fuerit, ad quam Gens Anglorum in eâdem inſulâ quadringentis poſteà annis ſub Gregorio primo conuerſa eſt. Et, quòd eadem ſit hodie fides noſtra. Quam fidem & Deus ibi tunc Miraculis confirmauit, & Proteſtantes nunc leuiſſimè mutauerunt. *pag.* 202.

MOTIVVM DVODECIMVM.

Sicut Chriſtus ipſe & Apoſtoli, eorumq́; Doctrina: ita quoque Eccleſiæ noſtræ tum homines tum Doctrinam innumeris Viſionibus à Deo approbatam eſſe, & quotidie approbari. pag. 232.

MOTIVVM DECIMVM-TERTIVM.

Eximiam noſtram honorationem Crucis Chriſti, adeoq́ue & Signorum eiuſdem, ſemper apud Maiores noſtros habitam eſſe tanquam ſolidiſsimum pro ipſius Chriſti Deitate Motiuum contra Paganos: indeq́ue clarum eſſe, quòd Proteſtantes non ſolùm contra nos, ſed etiam contra Primitiuos Chriſtianos, & contra Chriſtum ipſum ſtent apoſtaticè cum Paganis. pag. 275.

MOTIVVM DECIMVM-QVARTVM.

Miraculoſam virtutem Crucis Chriſti, adeoq́ue & Signorum eiuſdem, apud eoſdem Maiores noſtros habitam eſſe tanquam ſolidiſsimum pro ipſius Chriſti Deitate Motiuum contra Paganos. indeq́; rurſus clarum eſſe, quòd Proteſtantes non ſolùm contra nos, ſed etiam contra Primitiuos Chriſtianos, & contra Chriſtum ipſum, ſtent apoſtaticè cum Paganis. pag. 287.

MOTIVVM DECIMVM-QVINTVM.

Eximiam noſtram Venerationem Sanctorum Chriſti, adeoq́ue & Reliquiarum ipſorum, apud eoſdem Maiores noſtros vſurpatam eſſe tanquam ſolidiſsimum pro ipſius Chriſti Deitate Motiuum contra Paganos: indeq́ue rurſus adhuc clarum eſſe, quòd Proteſtantes non ſolùm contra nos, ſed etiam contra Primitiuos Chriſtianos, & contra Chriſtum ipſum, ſtent apoſtaticè cum Paganis. pag. 293.

MOTIVVM DECIMVM-SEXTVM.

Miraculoſam virtutem Sanctorum Chriſti, adeoque & Reliquiarum ipſorum, ab iiſdem Maioribus noſtris vſurpatam eſſe tanquam ſolidiſſimum pro ipſius Chriſti Deitate Motiuum contra Paganos: indeque clarum denuò eſſe, quòd Proteſtantes non ſolùm contra nos, verumetiam contra Primitiuos Chriſtianos, & contra Chriſtum ipſum, ſtent apoſtaticè cum Paganis. pag. 300.

MOTIVVM DECIMVM-SEPTIMVM.

Dæmonum Exorciſmos, ipſos quos & hodiè Eccleſia Catholica in vſu cum magnâ poteſtate habet, & ſemper habuit, aſſumptos olim eſſe à Maioribus noſtris in ſolidiſſimum contra Idolorum vanitatem & pro Deitate Chriſti argumentum. Contrà autem Proteſtantes non eſſe dæmonum expulſores, ſed cooperatores, imò & domicilia. pag. 312.

RICHAR-

INDEX PRÆCIPVARVM RERVM QVÆ HISCE DVOBVS

Tomis continentur. A. *priorem tomum*, B. *poſteriorem*, *numerus paginam deſignat*.

A.

ABagarus Philippum Apoſtolum ad ſe venientem ſupplex adorat. B. 80.

Abſolutionis neceſſitas per Presbyterum ſi poſſit haberi. B. 100.

Abſtinentia Monachorum. B. 282. 283. 284. 304.

Abſtinentia Rechabitarũ exemplo commendata. B. 318.

Acacius Amidæ Epiſcopus vaſa templorum ad redimendos milites conflat. B. 163.

Actorum liber terminatur in Pauli aduentu ad vrbem Romam. quare? A. 28.

Actorum liber non meminit aduentus Petri ad vrbem Romam. cur? A. 28.

Acolythorum ordo Antiquus in eccleſiâ. B. 125.

Admonitio ad perſecutores Catholicorum. A. 329.

Admonitio ad lapſos vt communionem hæreticorum deſerant. B. 252. vſque ad finem Motiui.

Adonidis fano Bethleem profanata. B. 12.

Adoratio Paſchalis crucis Chriſti. B. 15. 182.

Adoratio crucis Chriſti. A. 283. 285. B. 15. 59. 121. 182.

Adoratio Sanctiſſimi Sacramenti, Sanctorũ, Reliquiarum, Crucis, Imaginum, idololatriam deſtruit. B. 8.

Aerius primus omniũ orationes & oblationes pro defunctis fieri debere negauit. B. 267.

Afri probant ſe Catholicos quia cõmunicant cum omnibus Gentibus, communicare autem ſibi omnes Gentes probant ex Societate Romani Pontificis. A. 97. idem & nos

Altaria Chriſtiana extruuntur deſtructis Paganis. A. 51.

Alaricus Apoſtoli Petri tẽplum in direptione vrbis Romæ azilum eſſe voluit, idque ob reuerẽtiam Apoſtoli. B. 176.

Alleluia tempore Quinquageſimæ cantari ſolitum. & cur? B. 213.

Alleluia à Britonibus cantatum, hoſtes eorum in fugam conuertit. B. 214.

Altaria & Sacrificia Deo, non Martyribus conſtituuntur, in memorias tamen martyrum. b. 100.

Altaria in Eccleſijs Chriſtianorum olim erecta. b. 102. 142. 143. 156. 158. 161. 166. 169. 172. 173. 178. 187. 190. 199.

Altaria quem in finem erecta. b. 142. 151. 172. 269.

Altaria ſunt Fidei Chriſtianæ Signa. b. 142.

Altare eſt ſedes Corporis & Sanguinis Chriſti. b. 151.

Altaris ornamenta. b. 153. 169.

Altaria Catholicorum Donatiſtæ demoliuntur. b. 151. 152.

Altaria Chriſtianorum per Arrianos profanata. b. 156. 157. 158.

Ambroſius, Mediolanenſis Epiſcopus eligitur. b. 68.

Ambroſius Theodoſium ſeniorem excommunicat. b. 71.

Ambroſij Zelus, Conſtantia, & libertas in loquendo. b. 68. 73. 74. 98. 263.

Ampullarũ vſus in Eccleſiâ. b. 154.

Anachoretarum inſtitutum antiquum in Eccleſiâ. b. 288.

Anatolius Idolatra à Beatâ Virgine reijcitur. b. 20.

Angeli Haſtati & Scutati apparent S. Martino ad eius defenſionem parati. b. 28.

Anniuerſarij Sanctorum dies ab Eccleſiâ celebrari conſueti. a. 299. b. 44. 47. 108. 109. 123. 215. 216. 217. 218. 221. Vide Feſta Sanctorum.

Anglicanæ Eccleſiæ Primitiuæ quæ Religio. a. 51.

Anglorum in Britanniam Aduentus. a. 207.

Anglorum Primorum Fides eadem cum noſtrâ. a. 210.

Angli, Britones perſequũtur. a. 216.

Antiphonarum & Alternationis Pſalmorum origo. b. 222.

Anti-Chriſtus Miſſæ Sacrificium è medio tollet. b. 206. 242.

Anti-Chriſtus diuinas leges immutare conabitur. b. 242.

Apparitio B. Virginis. b. 20.

Apparitio Sancti Thirſi & 40. militum Martyrum, Pulcheriæ Virgini. b. 49.

Apparitio Crucis Conſtantino & eius exercitui facta. b. 57.

Apparitio S. Ioannis Euãgeliſtæ & S. Philippi Apoſtoli. b. 61.

Apparitio S. Fœlicis. b. 62.

Apparitio S. Cypriani, eiuſdemque de Arrianorum expulſione prædictio. b. 109.

Apparitiones Sanctæ Potamiænæ. b. 114.

Apparitio Sancti Martini. a. 254.

Apparitio Chriſti miraculoſa in Euchariſtiâ. a. 273.

Apparitio Apoſtolorum Petri & Pauli in Angliâ. a. 229.

Apparitio Diui Petri. b. 6.

Aphraatis prudentiſſimum reſponſum ad Valentem imperatorem. b. 129. 302.

Appollinis oraculo per reliquias S. Babilæ ſilẽtiũ imponitur. a. 304. 306.

Appol-

Appollinis idolum & tẽplum miſſo cælitus igne comburitur. a. 310.
Appollonius Tyaneus Chriſtianis infenſiſſimus. a. 54.
Apoſtoli omnes in omnes Gentes poteſtatem acceperunt. a. 29.
Apoſtoli in Symbolo, nomen Catholicum exprimere voluerunt tanquam æternam notam veræ Eccleſiæ. a. 95.
Apoſtoli primùm Iudæis deindè Gentibus Euangelium prædicant. a. 131.
Apoſtolorũ Prædicatio inter Gentes fructuoſa. a. 131.
Apoſtoli non conuerterunt omnes Gentes ad fidem,ſed ſingulis ferè ſæculis aliquæ per eorum ſucceſſores conuerſæ ſunt. a. 133.
Apoſtoli noui orbis Frater Martinus Valentinus cum duodecim Monachis. a. 137.
Apoſtoli donum Spiritus per impoſitionem manuum cõferunt. a. 154.
Apoſtoli omnibus quibus euangelizabant Spiritum Sanctum cõmunicabant. a. 155. 156.
Apoſtolorũ prædicatio cõfirmatur miraculis. a. 164.
Apoſtoli Chriſti miraculis vtuntur ad confundendos & conuertendos tam Iudæos quam Gentiles, & ad confirmationem ſuæ doctrinæ. a. 165.
Apoſtolorum miracula ad Confirmationem Euangelij facta. a. 166.
Apoſtoli Anglorum & Britones de obſeruatione Paſchæ diſſentiunt. a. 209.
Apoſtolorum Petri & Pauli Sepulchra Romæ honorantur. b. 41.
Apoſtolus Petrus Laurentio Epiſcopo apparet, eumque flagellat. a. 231.
Apoſtoli & eorum doctrina per Viſiones à Deo approbãtur. a. 234.
Apoſtoli ſe & ſuam doctrinam Viſionibus defendunt. a. 236. 237.
Apoſtolorum Petri & Pauli apparitio in Angliâ. a. 229.
Apoſtatæ a Fide nõ ſibi tantùm, ſed & alijs cauſa ruinæ. a. 1.
Apoſtata Iulianus nomen Chriſtianorum deterere voluit appellans eos Galilæos, ſic Lutherus nomẽ Catholicũ,appellãs nos Papiſtas, ſed vterque fruſtrà. a. 128.
Apoſtatæ, Atheiſtæ, Achriſti, vnde tam multi inter hæreticos. b. 86.
Apoſtaſia fidelium exdefectu miniſterij Corporis Chriſti. b. 238.
Aquæ benedictæ virtus ad pellendos dæmones. b. 175.
Argumenta contra Hæreticos, Iudæos & Paganos, ab eâdem Eccleſiæ fundatione deſumuntur. a. 45. 46.
Arriani grauiter ferunt Orthodoxos dici Catholicos. a. 94.
Arriani Catholicos vocabant homωuſianos ſicut Lutherus nos vocat Papiſtas. a. 127.
Arriani Britanniam ſuâ hæreſi inficiunt. a. 207.

Arrius excommunicatus, exilio perpetuo à Conſtantino multatur. b. 66.
Arrius & Euzoius per Conſtantinum ab exilio reuocantur. ab Epiſcopis Hieroſolymis congregatis in communionem recipiuntur. b. 67.
Arrianorum horrenda flagitia. b. 156. 157. 158.
Arriani martyrum merita negant. a. 258.
Articuli Religionis Catholicæ quos hæretici idololatriæ criminãtur, idôla omnia deſtruunt. b. 7.
Auguſtinum in Eccleſia tenuit nomen catholicæ, quod nulli ſectæ conuenit. a. 91.
Auguſtinus, Benedictus, non auctores nouæ fidei vt Proteſtantes, ſed inſtitutores nouæ viuendi regulæ. a. 114.
Auguſtinus orat pro parentibus defunctis, aliòſque ad idem faciendum hortatur. a. 249.
Auguſtinus adhuc viuus quibuſdam longe abſentibus miraculosè apparet. a. 261.
Auguſtinus conuerſus per vocem cælitus auditam. a. 246.
Auguſtini religionem eãdem fuiſſe cum noſtra probatur. a. 247.
Auguſtinus conuerſus ad perpetuam continentiam ſeruandam. a. 247. 248.
Auguſtinus cum alijs Monachis à D. Gregorio Magno in Angliam mittitur. a. 218.
Auguſtinus ab Edelbertho licentiã prædicandi obtinet. a. 218.
Auguſtin⁹ & ſocij pro vexillo Crucem argenteam, & imaginem Chriſti in tabula depictam ferũt, Litanias cantant, in Eccleſia D. Martini conueniunt, pſallunt, orant, miſſas faciunt, prædicant, baptizant. a. 218.
Auguſtinus Archiepiſcopus ordinatur. a. 218. Pallium à D. Gregorio accipit. 219. Monaſterium extruit. 220. Cantuariæ ſepelitur. 220. Miracula operatur. 222.
Auguſtini Epitaphium. a. 224.
Auguſtinus ſuos ritus & doctrinam contra Britonas miraculo confirmat. a. 225.
Auguſtini ritus & Vniuerſæ Eccleſiæ Chriſti ijdem. a. 225.
Auguſtini Profetia contra Britonas eiuſque impletio. a. 225.
Auitiani Comitis crudelitas. a. 324. eum dæmon comitatur. ibidem.
Autoritati Eccleſiæ reſiſtere eſt Chriſto reſiſtere. a. 42.

B.

Babilas Epiſcopus Antiochenus Philippum imperatorem excomunicat. a. 303. b. 76. 77.
Babilæ conſtantia & libertas in loquendo. b. 76. 77. Vtilitates inde enaſcentes. ibidem. 77. 78.
Babilas in carcerem conijcitur, ferreis catenis vincitur, interficitur. b. 78.
Babilæ martyris reliquæ in Daphnen Apol-

men Apollinis templum tranſlatæ, dæmoni ſilentium imponunt. a. 303.
Babilas corpus ſuum vnà cum ferreis catenis quibus vinciebatur, ſepeliri iubet. a. 305. b. 79.
Baptiſmum hæreticorum reiterandum docebant olim Donatiſtæ, nunc Anabaptiſtæ. a. 41.
Baptiſmi neceſſitas. b. 116.
Baptiſmus confert gratiam. b. 116.
Baptiſteria, eorumque olim vſus. b. 183.
Baſilij magni Conſtantia. Valentis imperatoris Filio Sanitatem promittit, dummodò imperator veram fidem amplectatur. a. 181.
Baſilius Magnus Valentem Imperatorem ad Fidem cõuertit. b. 129.
Baſilicarũ olim magnificentia. b. 39. Vide Templorum magnificẽtia.
Baſilides per interceſſionem Sanctæ Potamiænæ ad Fidem conuertitur, & martyr efficitur. b. 114.
Benedictio Epiſcopalis. a. 254. b. 80.
Benedictio Fontis baptiſmalis. b. 91.
Bernardus per panem benedictum multa miracula operatur. a. 180.
Bernardi fiducia in Deo. a. 180.
Bernardus Monachus dæmoniacos ſanat. a. 322.
Bethlehem Adonidis Fano profanatur. b. 12.
Bezæ reſpõſio ad teſtimonia ſcripturæ de Eccleſia Catholica. a. 45.
Bluettus miniſter Caluiniſmi eo quod neceſſitatẽ Baptiſmi defenderet in carcerem cõiectus. b. 85.
Boni & mali in Eccleſia. a. 35.
Bonorum Operum mortificatorum reuiuiſcentia. b. 100.
Bradfordo concionanti acclamant hæretici Angelus, angelus. a. 243.
Brictij conuitia in Beatum Martinum. a. 255.
Brictius inſtigatus a dæmone cõtra B. Martini viſiones. ibidem.
Brictius pœnitens. a. 257.
Brictius B. Martino in Epiſcopatu ſuccedit. a. 255.
Brictius multa aduerſa patitur. Miracula operatur. ex Epiſcopatu eijcitur. Romanum Pontificem petit. ad Epiſcopatum reſtituitur. a. 256. 257.
Britãni fidem ab Eleutherio Papa ſuſcipiunt eamque inuiolatam vſque ad Diocletiani tempora conſeruant. a. 204.
Britones de tractu Armoricano aduecti primum Britanniam incolunt. a. 206.
Britanni ab Arrianis infecti. a. 207.
Britonum & Anglorum fides eadem a. 208.
Britonũ & aliarum Gẽtium Chriſtianarum fides eadem. a. 212.
Britãnia duos hæreſiarchas protulit Pelagium & Wickleſum. a. 230.

C.

CAbaonis Mauruſiorũ Principis ſagax conſilium. b. 159.
Cabaones victoriam de Vandalis reportant. b. 160.
Calices aurei & argentei in eccleſijs

primorum Chriſtianorũ haberi ſoliti. b. 146. 153. 176.
Calices Sacri Dominicum Sanguinem conſeruare ſolebant. b. 153. 161. 164. 176.
Caluini Euangelium Chriſto contrarium. a. 47.
Caluinus quoſdam è ſuis ad conuertendas Gentes in Franciam Antarticam mittit, ſed ſine fructu. a. 136.
Cancri morbus incurabilis. a. 287.
Cãtus Pſalmorum & Hymnorum à D. Ambroſio Mediolani inſtitutus. a. 259.
Cantu Pſalmorum honoratur Sanctorum reliquiæ. a. 298. b. 46. 155. vide Pſalmodiæ.
Capitis S. Ioannis Baptiſtæ Tranſlatio Conſtantinopolim. b. 46.
Catholici antiqui parentes noſtri, Hæretici antiqui parentes Proteſtantium. a. 33.
Catholica nominatur Eccleſia non ſolùm à ſuis ſed etiam ab inimicis. a. 103.
Catholicã fidem integrè ſeruãdam canunt etiam hæretici ex Symbolo Athanaſij. a. 107.
Catholicis in promptu habenda loca Scripturæ quibus ſeipſos in perſecutione conſolentur. b. 137.
Caſſius Narnienſis Epiſcopus quotidianas Hoſtias Deo offert. a. 264. eiuſdem pietas & deuotio. ibidem.
Caſſij mors admirabilis. 267.
Cereorum ſeu luminum antiquus vſus in Eccleſiâ. b. 43. 45. 94. 106. 172. 190. 191.
Ceremoniæ Baptiſmi. b. 122. vide Ritus.
Choriſtarum duodecim Carthaginenſis eccleſiæ conſtantia. b. 132.
Chorus in eccleſiâ. b. 168.
Chorum incenſandi mos antiquus. b. 176.
Chriſoſtomus Catholicum diſtinguit ab hæretico quod illi nomẽ, Fides, iſti vero Hæreſiarcha dari ſolet. a. 117.
Chriſoſtomi nomen in tabulas Eccleſiaſticas per Alexãdrum Antiochenum Patriarcham refertur. Eiuſdẽ Reliquiæ per Theodoſium iuniorem Conſtantinopolim transferuntur. b. 45.
Chriſma Sacrum & eius vſus. b. 154. 160. 178. 231. 233. 271.
Chriſtus & Apoſtoli ſolis Iudæis prædicare viſi ſunt, quia ad illos promiſſiones de Chriſto & Euangelio primariò pertinebant a. 29.
Chriſtus Deus non eſſet niſi Eccleſia viſibilis perduraret. a. 46.
Chriſtus crucifixus vbique prædicatur. a. 48.
Chriſtũ Deum eſſe negat qui Eccleſiam viſibilem perdurare negat. a. 57.
Chriſtum mendacem conſtituunt hæretici. 57.
Chriſti ſolius nomen non alterius potentiſſimi licet & ſapientiſ-

pientiſſimi per totum orbem diuulgatum & honoratum eſt. a. 58.
Chriſto ſolemne eſt quibuſdam Gentibus a fide recedentibus, alias in earum locum ſubſtituere. a. 139.
Chriſti diuinitas probatur ex propagatione Fidei & conuerſione totius orbis. a. 141.
Chriſtus ſuam & Apoſtolorum doctrinam miraculis confirmauit. a. 161. vſque ad 168.
Chriſti Nominis potentia. a. 290.
Chriſtus aduentu ſuo idololatriam & idôla ſuſtulit. b. 3. 4. 5.
Chriſtus Cōſtantino apparet, mandatque vt crucem faciat, eâque aduerſus hoſtes ſuos vtatur. b. 57.
Chriſtus miraculosè viſus in calice. a. 275.
Chriſtianus non eſt qui in Chriſti eccleſiâ non eſt. a. 126.
Chriſtianorū exercitia in locis Sanctis Hieroſolymis. a. 215.
Chriſtianorū poteſtas in dæmones. a. 312. 314. 315. 317. 318. 319.
Chriſtianorum primorum erga Sacerdotes reuerentia. b. 80. vide Sacerdotes.
Chriſtianorū per Gentiles decem grauiſſimæ perſecutiones. b. 88.
Chriſtiani expanſis manibus orare conſueti. b. 121.
Chriſtiani exciſſis per Vandalos linguis rectè loquuntur. b. 132.
Clerum noſtrum antiquo Eccleſiæ clero per omnia vniformem eſſe probatur. b. 263. 264. vſque ad finem motiui.
Clericorum cœlibatus. b. 273. 274.
Cleri antiqui ordo per Proteſtātes mutatus. b. 262. 263. 264.
Collatio Carthaginienſis oſtendit noſtram eſſe Veram Eccleſiam, non Proteſtantium. a. 15.
Collationem hanc Hæretici refugiunt non minus quam olim Donatiſtæ. a. 15.
Communicatio cum Hæreticis in eorum ritibus omnino illicita. b. 251. vſque ad finem motiui.
Cōmunio vnius ſpeciei. b. 100. 101.
Communio vnicæ perſonæ. b. 100.
Cōmunionem cū Romano Pontifice maiores noſtros tenuiſſe probatur. b. 117. 118. 119. 120.
Conciones Hæreticorum audire illicitum. b. 259.
Cœlibatus Clericorum. b. 273. 274.
Confeſſores Chriſti præciſis linguis loquuntur. b. 97.
Cōfirmationis Sacramētum. a. 151. vſque ad 156. b. 116. 122. 154.
Conſiderationes quædam pro Hæreticis qui Catholicos perſequuntur. b. 134.
Conſiderationes pro Catholicis qui perſecutionem patiuntur. b. 135. 136.
Cōſolatio pro Catholicis perſecutionem patientibus. b. 137. 138.
Conſtantius Arrianus ſcribens ad Orthodoxos ſequaces Athanaſij ſemper literas ſuas inſcripſit Eccleſiæ Catholicæ. a. 103.

Conſtan-

Conſtantinus martyres & Feſtorum ſolemnitates honorat. b. 19. 44. 171.

Conſtantinus idôla deſtrûxit. b.19. 26. 44.

Cõſtantinus Sacerdotes honorari præcipit, mortẽ minatur ijs qui eos cõtumelijs afficiunt. b. 32.

Conſtantini Magni religio eadem cum religione Imperatorum huius temporis. b.41.

Conſtantinus eccleſiam magnificentiſſimam in hoñorem Apoſtolorum Petri & Pauli ædificat, & in eadem monumentum ſibi extruit. b. 43.

Conſtantini corpus à Nicomediâ Conſtantinopolim deducitur & in Eccleſia Apoſtolorum collocatur. b.43. eius Funeris pompa ibidem.

Cõſtãtinus Cõgiaria clericis, Virginibus & Viduis donat. b.51.52.

Cõſtantini magnificẽtia. b.52.170.

Conſtãtinus legem Ethnicam Virginibus & Cœlibatum colẽtibus iniurioſam, corrigit. b. 54.

Cõſtantinus effigiem ſuam ſignum Crucis dexterâ tenentem Romæ celeberrimò vrbis loco ponit. b. 56. Victoriam ſuam huic ſigno Crucis aſcribit. ibidem.

Conſtantinus Crucem ex gemmis auroque confectam in introitu Palatij ſui collocat. b. 56.

Cõſtãtinus Crucis ſignum in conſpectu omnium fronti imprimit. b. 56.

Cõſtãtinus Crucis ſignũ exercitui ſuo præferri mandat. b. 57. 59.

Cõſtantinus crucis ſignum in quadam imagine ſuper caput ſuum depingi curat. b. 56.

Conſtantinus ad ferendum in exercitu Crucis vexillum 50. Satellites deligit. b. 57.

Cõſtantinus virtute Crucis primò Maxentium. a. 290. b. 56. Licinium. b. 57. demum Scythias debellat. b. 58.

Cõſtantinus tabernaculum Crucis extra caſtra figit, eoque pro oratorio vtitur. b. 58. 170.

Cõſtãtinus Diuino monitu Labarum Romanorum in Crucem commutat. b. 59.

Conſtantini erga Epiſcopos & Eccleſiaſticos obſeruantia & obedientia. b. 66. 67.

Cõſtantinus ſe externarum rerum quaſi Epiſcopum quendam appellat. b. 66.

Conſtantinus poteſtatem Epiſcoporum in Imperatores agnoſcit. Epiſcoporum cauſam iudicare renuit. querimoniarum libros ab Epiſcopis illi oblatos comburit. eorũ peccata celãda docet. b. 66.

Conſtantini in Eccleſijs ædificandis ijſque dotandis munificentia. b. 170.

Conſtantini religio erga martyres, eorumque reliquias. b. 171.

Conſtantinus mandatum à Chriſto accipit faciendi Crucem. a. 280. b. 57.

Conti-

Continuatio Eccleſiæ oſtenditur ſcripturis manifeſtis. a. 39. 40.
Cōſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ cuius initiũ ignoratur pro Apoſtolica traditione habēda eſt. b. 140.
Cōtinētes in Eccleſiâ Chriſti. a. 247
Continentia Monachorum & Sanctimonialium. b. 292. 293. 294.
Cōtinētia Monachorũ Sacræ Scripturæ teſtimonio aſſeritur. b. 314.
Conuerſio Gentium Maximum argumentum ſemper habitum pro Chriſto & fide Catholicâ cōtra hæreticos. a. 140. 142.
Conuerſionis Britanniæ meminit Tertullianus, Origenes, S. Chryſoſtomus. a. 205.
Conuerſio prima Britanniæ per Eleutherium. a. 204. 206.
Conuerſio Pictorum per Columbam Presbyterum. a. 208.
Conuerſio Anglorum per Auguſtinum & eius ſocios à D. Gregorio miſſos. a. 208. 218.
Conuerſio Auguſtini per vocem cælitus auditam. a. 246.
Cōuerſio imperatorũ Romanorũ & Regum à prophetis, Dauide præſertim & Eſaiâ prædicta. b. 35.
Conuentus Sacri à Chriſtianis celebrari ſoliti. b. 90.
Conuiuia olim in Natalitijs Martyrum ab Anglis in tabernaculis ex ramis circa eccleſias celebrari conſueta. a. 219.
Corporũ miraculoſa penetratio. b. 18
Credere, & pati pro Chriſto dona Dei ſunt. b. 138.
Crux fuit Symbolum mortis maledictæ. a. 276. 292.
Crucis lignum attingere abominabile olim putabatur a. 277.
Crucis Chriſti religioſus vſus apud Chriſtianos antiquos. a. 276. 277. 278. 281. 284. 285. 290. 291. b. 10. 20. 42. 56. 57. 119. 120. 129. 168. 170. 171. 175. 176. 234.
Crucis pretioſas reliquias ſuis ceruicibus appendunt antiqui Chriſtiani. a. 278.
Crucis figura qualis. a. 281.
Crucis Adoratio. a. 283. 285. b. 15. 59. 121. 182.
Crux Chriſti apparebit in die iudicij. a. 283.
Crucis lignum a Coſdroa in Perſidem aſportatum per Heraclium Imperatorem recuperatur. a. 285.
Crucis miracula. a. 288. 291. b. 11. 14. 58. 171.
Crucis ſigno morbi curantur. a. 208. 288. Dæmones fugantur. a. 289. 292. 319. Deorum vallibus ſilentium imponitur. ibidem.
Crucis trophæum à Conſtantino Romæ erigitur. a. 291. b. 56.
Crucis potentia contra dæmones. a. 289. 290. 291. 321. 322. b. 86.
Crucifixi virtus cognoſcitur ex virtute Crucis. a. 292.
Crux Chriſti per Sanctã Helenam inuenta. a. 257. b. 11. 14.
Crucis inuētio cur adeò difficil. b. 10
Crux Chriſti ab infidelibus in terra defoditur, & ſuper eam Veneris

delubrum extruitur. b.10.

Crux Chriſti mortuum ad vitam reuocat, per quod miraculum a latronum crucibus cognoſcitur. b. 11. 14.

Crucem tantiſper latere voluit Deus propter Iudæos & Paganos. b. 12.

Crucis adoratio Paſchalis. b.15.182.

Crucis religioſa cuſtodia. b.15.170. 180.234.

Crucis Chriſti miraculoſa multiplicatio. b. 15.

Crucis Chriſti vtilitates. b. 16.

Crucis ſigno in conſpectu omnium frontem ſibi ſignat Conſtantinus. b. 56.

Crucis ſignum ex lucis ſplendore figuratum, à Conſtantino eiuſque exercitu media die conſpicitur. cui Cruci inſcriptum erat In hoc vinces. b.57.

Crucis ſignum ſuper caput ſuum in quâdam imagine Conſtantinus depingi curauit. b. 56.

Crucis adiutorio Conſtantinus hoſtes ſuos ſuperat. a. 290. b. 56. 57. 58.

Crucem in exercitu deferens interficitur, portans inter medios hoſtes ſaluus euadit. b.58.

Crucis tabernaculum Cōſtantinus extra caſtra figit, eoque pro oratorio vtitur. b. 58. 170.

Crucis potentia in debellandis Fidei hoſtibus. b.56. vſque ad 61.

Crux Chriſti imperij Romani munimentum. b. 59.

Crux Chriſti ne in terra, ſcilicet, marmore, inſculpatur, neuè indecenter in locis profanis ſtatuatur, legibus imperatorum cauetur. b. 60.

Cruces olim in eccleſijs Chriſtianorum erigebantur. b. 170. 171. 172. 175. 176. 185.

Crucifixi imago cur in eccleſijs vſitatiſſima. b.211.

Cruces in proceſſionibus ſeu ſupplicationibus portari ſolitæ. b.234.

Crudelitatis exempla. b. 125. 126. 127. 132.

Cultus idolorum per Hadbaldum & Sabaretti filios inſtauratur. b. 6.

Cultus Sanctorum. a. 294. 296. 297. 298. 299. b. 17. 18. vide, Honos Sanctorum.

Cultus idolorum per Sanctorum cultum aboletur. b. 17. 18. 20.

Cultus idolorum à Conſtantino prohibitus. b. 19. 32.

Cuthbertus Monachus dæmones fugat. aquam è Saxosâ terrâ elicit. a. 325.

Cuthberti Lindisfarnenſis Epiſcopi deuotio dum miſſam celebrat. a. 264.

Cuthberti Corpus integrum poſt vndecim annos reperitur. a. 265. idem integrum poſt 800. annos viſum eſt. ibidem.

Cyprianus, Lactantius, Phrygas Nouatianos notat hæreſeos quod Chriſti nomine amiſſo externa nomina induerunt.

Cypria-

Cypriani gratiæ. a. 199.

D.

DAuid & Eſaias cur præ cæteris Prophetis de regum conuerſione prophetauerunt? b.35.
Dæmonum expulſio ante Sepulchrum Domini. a. 213.
Dæmones Chriſti Crucem metuunt & fugiunt. a. 289. 292. 319. 331.
Dæmones exorciſtas metuunt. a. 314. 315.
Dæmones Chriſtianorum poteſtati ſubiecti. a. 315. 317. 318. 319. 321.
Dæmon varias formas induit. a. 320. 330. 332.
Dæmonum dominatio, & expulſio vbi maximè vigeat. a. 326.
Demoniaci ſunt non ſolum arreptitij ſed etiam multi alij. a. 326. 327. 328.
Dæmones de hominum læſione & damnatione exultant. a. 331. 332.
Dæmones Chriſti nomê metuunt. a. 331.
Dæmones carrum animarum plenum animabus ducunt ad infernum. a. 331.
Dæmones Retello ſæpè apparent. a. 330. 331.
Dæmonum diuerſa genera. a. 332.
Dæmones in ſpecie Simiarum potatorum ſcapulis inſidentes conſpiciuntur. a. 332.
Dæmones ad memorias martyrum torquentur. a. 328. b. 21.
Dæmonum ſimulachra in loco Paſſionis Chriſti ab Adriano eriguntur. b. 10. 12.
Dæmones, corpora eorum quos vexant denudare non permittuntur. b. 22. 23.
Dæmones fatentur ſe ſuis ſedibus pelli per Monachos. b. 31.
Dæmonis aſtutia ad ſubuertendam Chriſti Fidem & Religionem. b. 32.
Dæmonis in Sanctum Ioannem Baptiſtam Conuicia. b. 63.
Deo gratias Epiſcopus Carthaginienſis vaſa Eccleſiæ conflat ad captiuorum obſequium. b. 163.
Deſolatio Templi, Eccleſiæ durationem confirmat. a. 52.
Deorum falſorum vanitas & impotentia. a. 317. 318. 319. 320.
Deorum triginta tria millia olim in Romæ Republica. b. 2.
Deorum memoria penitùs extincta. b. 2.
Dij Gentium dæmonia & hoſtes humani generis. b. 4.
Deorum exterminium à Prophetis prædictum. b. 3.
Deus, niſi agnoſcatur, fruſtrà quæritur religio. a. 8.
Diaconatus ordo antiquus in Eccleſiâ. b. 124. 125. 133.
Diabolus & eius mẽbra ſimiæ ſunt Dei & eius eccleſiæ. b. 246. 247. 248.
Dies hebdomadæ quibus nominibus ab Anglis nuncupentur; eorundem nominum deriuatio obſcura. b. 2.

Differentia notabilis inter Euangelium Apoſtolorum & Proteſtantium. a. 151.
Differentia inter vera & falſa miracula. a. 187.
Diſcretio Spirituum in Sancta Monica. a. 248.
Diuinitas Chriſti probatur ex poteſtate miraculorũ quam habuit & dedit Apoſtolis. a. 163.
Diuinitas Chriſti probatur ex propagatione Fidei & conuerſione totis orbis. a. 142.
Doctores & Paſtores Eccleſiæ non ceſſabunt ab opere miniſterij vſque ad conſummationem ſæculi. a. 134.
Doctrina Euangelica comparatur ſemini ſeminato in agro & ſagenæ miſſæ in mari. Quare. a. 135.
Doctores Eccleſiæ ſemper fuerunt & modo ſunt viſibiles. a. 157.
Doctores eccleſiæ plerique Monachi fuere. b. 298. 299.
Dogma Hæreticorum cõtra honorificum vſum Crucis valde craſſum eſt. a. 279.
Donatiſtæ parentes Proteſtantium in eo quod negauerint Eccleſiam viſibilem. a. 17.
Donatiſtæ aſſerebant liberum hominis arbitrium fuiſſe cauſam cur ſcripturæ non poſſint impleri. a. 23. 24.
Donatiſtæ rebaptizabãt ſicut nunc Anabaptiſtæ. a. 41.
Donatiſtæ Catholicos viſionibus ſeducere conantur. a. 240. 241.
Donatiſtæ altaria Catholicorũ demoliũtur. b. 151. 152. calices frangunt & vendunt, aliaq; altaris ornamẽta ſacrilegè diripiunt. b. 153.
Euchariſtiam canibus fundũt multaque alia ſacrilegia perpetrant. b. 154.
Donum Spiritus communicatur Gentibus cõuerſis per Epiſcopos Catholicæ eccleſiæ. a. 151. 154. 156
Donum Spiritus ad omnes Chriſtianos ſpectat. a. 154.
Donum Spiritus hæretici nec habẽt nec alijs communicant. a. 151.
Donũ Spiritus diſtinctũ quiddam à baptiſmo & multo excellentius quam baptiſmus. a. 154.
Dona Dei ſunt credere & pati pro Chriſto. b. 138.
Donaria eccleſijs offerri ſolita. b. 175. 176.
Dominicus dies reſurrectioni Chriſti Sacer. b. 210.
Dragoras nouæ ſectæ Græcorum autor. a. 54.

E.

Eadbaldus Rex idolorum cultum in Britanniâ reſuſcitat. a. 231. b. 5.
Eadbaldus abiuratâ idololatriâ & repudiatâ illegitimâ vxore fidem Chriſti amplectitur; Mellitum & Iuſtũ in Angliã reuocat; eccleſiã Dei genitrici ædificat. b. 7.
Eaſter vocabulum vnde ſumptum. b. 2.

Eccleſiæ viſibilitas oſtenditur ex ipſis ſcripturis. a. 12. 36. etiā apertiùs quam ipſe Chriſtus. a. 12.

Eccleſia ſicut viſibiliter incœpit, ita viſibiliter durauit. a. 12.

Eccleſia vera non quæ in vno loco ſed quæ per totum orbem diffuſa eſt. a. 16.

Eccleſia vera dignoſcitur ex verbis Chriſti. a. 19.

Eccleſiæ vnitati non cōmunicantes alieni à Chriſto. a. 20.

Eccleſiam non defeciſſe probatur contra Hæreticos. a. 22. 40.

Eccleſia vera probatur ex lege. a. 21. 22. ex Prophetis. 23. ex Pſalmis. 23. ex ore proprio Chriſti. 24. 25. per Apoſtolos. 26. 27. 28.

Eccleſiæ initium & progreſſus à Chriſto deſignatur. a. 25.

Eccleſiam per totum orbem diffundendam Chriſtus manifeſtè prædixit. a. 25.

Eccleſiæ incipientis & creſcentis hiſtoria. a. 26.

Eccleſiæ tranſitus à Iudæis ad Gentes. a. 27.

Eccleſiæ initium & progreſſus tempore Apoſtolorum conſiderantes de ipſius ad poſteras Gentes diffuſione non dubitabant. a. 32.

Eccleſia bonos & malos in eâdem Sacramentorum communione admittit. a. 35.

Eccleſia inuiſibilis non magis faceret pro Hæreticis quam faceret pro Catholicis. a. 36.

Eccleſia viſibilis nunquam deficit. a. 36. 46. 47.

Eccleſia errare non poteſt. a. 40.

Eccleſiam ducem ſequitur qui errare non vult. a. 41.

Eccleſiæ autoritati reſiſtere eſt Chriſto reſiſtere. a. 42.

Eccleſiæ Catholicæ fundatio & cōtinuatio quæ contra Hæreticos, olim contra Iudæos & Paganos argumenta ſuppeditabat. a. 45. 46.

Eccleſiam viſibilem perpetuam negantes Chriſti diuinitatem negant. a. 46. 47. 57.

Eccleſia perſecutione augetur. a. 50. 51. 54.

Eccleſiæ etiamnum ſuperſtitis oculi teſtes. a. 57.

Eccleſia Chriſti fundata eſt miraculis. a. 170.

Eccleſia Catholica non manifeſtè cognoſcitur per miracula. a. 197.

Eccleſia in memoria S. Albani conſtructa à Britonibus. a. 216.

Eccleſia hæres Apoſtolorū & Diſcipulorum Chriſti. a. 313.

Eccleſiæ ab Helena Hieroſolymis ædificantur. b. 11.

Eccleſiæ in honorem Martyrum extructæ. a. 298. 299. 328. b. 10. vide. Martyrum templa.

Eccleſia Primitiua quæ pro Chriſti Fide perſecutiones paſſa eſt, noſtra eſt non Proteſtantium. b. 85.

Eccleſiarum ædificationes, dedicationes, conſecrationes. b. 90.

Eccleſiæ Chriſtianorum à Vandalis occupantur. b. 93.
Eccleſia Romana caput omnium eccleſiarum. b. 117.
Eccleſiæ cura ad Petrum præcipuè pertinet. b. 117.
Eccleſiæ conſuetudo vniuerſalis, cuius initium ignoratur, pro Apoſtolica traditione habenda eſt. b. 140.
Eccleſiaſticarum obſeruationũ duo fontes, Traditio Apoſtolica, & Conciliorum decreta. b. 140.
Eccleſiæ Catholicæ hæretici ſunt ſimiæ. b. 244. 245.
Eccleſias Hæreticorum precãdi cũ illis causâ adire omnino illicitũ. b. 252. 253. 254. 255. 256.
Eccleſia ſine ſacerdotio eſſe non poteſt. b. 265.
Eccleſiæ caput & corpus vnã perſonam conſtituunt. b. 37.
Eccleſiam tunc perijſſe vel ſaltem diſparuiſſe Proteſtantes aſſerunt quando ſecundũ Prophetas maximè floruit. b. 39.
Eccleſia æquè Principes ſubditos habet ac plebeïos. b. 65.
Eccleſia, nunquam aliquem imperatorem aut quemlibet alium ab obediẽtia ſibi ſuiſque Paſtoribus debita, exemit. b. 65.
Edelberthus Tertius Anglorũ Rex 56. annis regnauit. b. 39.
Edictum Hunnerici regis ſubdolum. b. 94.
Edictum Diocletiani contra Chriſtianos. b. 145.
Ecgbertus Hijenſes Monachos ad Catholicum Paſcha, & eccleſiaſticam correxit tonſuram. a. 226. eiuſdem mors admirabilis. ibid.
Elizabetha Angliæ regina excõmunicationem Pij Quinti nihili facit. b. 51. Iulianum Apoſtatam imitatur. ibidem.
Epiſcopis obedientia & reuerentia exhibenda exemplo maiorum. b. 66. 80. 81.
Epiſcopi Laicorum iudices. b. 66.
Epiſcopi à Laicis non ſunt iudicandi. b. 66. 67. 69.
Epiſcopi in Eccleſiaſticis negotijs iudices. b. 66. 67. 69.
Eraſmi ignorantia de Crucis multiplicatione. b. 15.
Eremitarum inſtitutum antiquum in Eccleſia. b. 291. 294.
Ethilbertus Eccleſiam Apoſtolorũ Petri & Pauli Cantuariæ. Eccleſiam D. Pauli Londinis. Eccleſiam B. Andreæ, Roffæ extruit & fundat. a. 220.
Euangelium nouum prædicant hæretici & Anathema Pauli incurrunt. a. 33. 37.
Euangelij Chriſti & Lutheri diſpar exordium.
Euangelium Chriſti à Catholicis magno cum fructu prædicatur in nouo orbe. a. 137.
Euangelium Ioannis cur adeò accuratè & ex profeſſo Chriſti mimiracula tractet. a. 160.
Euchariſtiæ Sacramentum ex omnipotentiâ Chriſti ſufficienter ſuadetur,

ſuadetur, etiamſi deeſſent alia ad hoc probandum. a. 192.
Euchariſtiæ virtus contra dæmones. a. 322. 324.
Euchariſtiæ adminiſtratio. b. 88. 90. 91. 166.
Euchariſtiæ reſeruatio. b. 100. 101. 153. 161. 166.
Euchariſtia viaticum morientium. a. 269. b. 100.
Euchariſtiæ Sacramētū in ſupplicationibus portari ſolitū. b. 236.
Euchariſtiæ Sacramentū Chriſtianis omnibus notiſſimum. b. 24.
Euchariſtiæ Sacramentum idolorum ac dæmonum ſubuerſio. a. 322. 324. b. 24.
Eudocia Imperatrix peregrinationem Hieroſolymitanam ex voto ſuſcipit. b. 53.
Eudociæ in ædificandis Templis & Monaſterijs religio. b. 54.
Eugenius per ſignum Crucis cæco viſum reſtituit. b. 92.
Eulogium cuiuſdam Geneuēſis de ciuitate Geneuâ. a. 324.
Excōmunicationis vſus in Eccleſiâ. b. 50. 51. 71. 76. 80.
Excōmunicatio metuenda exēplo Theodoſij iunioris. b. 50.
Excommunicatio Theodoſij ſenioris. b. 71.
Exhortatio ad omnes vt ſuæ ſalutis curam gerant. a. 9.
Exhortatio ad patienter ſufferendā perſecutionem. b. 137. 138.
Exire de Eccleſiâ nota eſt hæreticorum. a. 59.
Exorciſtarum ordo in Eccleſiâ & modo eſt & ſemper fuit. a. 314.
Exorciſandi modus S. Martini qualis. a. 314. b. 124.
Exorciſmus à Luthero tentatus. a. 322.
Exorciſmi Catholicorū. a. 321. 322.
Exorciſmus mirabilis Bernardi Monachi. a. 322.
Explicatur myſterium beſtiæ Apocalipſis. 13. a. 119.

F.

FAna idolorum in Angliâ non deſtruuntur, ſed in ijſdem aqua benedicta aſpergitur, Reliquiæ componuntur, Altaria eriguntur. a. 219.
Fœlicis martyris virtus in dæmoniacis liberandis. b. 21. 22. 23. 24.
Feſti dies in Eccleſijs Chriſtianorum celebrari conſueti. b. 32. 44. 47. 108.
Feſti dies Martyribus Sacri. a. 299. b. 44. 47. 108. 109. 217. 218.
Feſta Chriſti ſingulis annis ſolemniter celebrantur. b. 212.
Feſta Sanctorum ſolemni ritu olim in Eccleſia celebrata. 215. 216. 217. 218. 221.
Feſti dies ab Hæreticis vel nulli omnino vel pauci ad modum celebrantur. b. 219. 220.
Feſta B. Virginis ab Hæreticis omnino neglecta. b. 220.
Feſta Sanctorum ab Hæreticis in profanum vſum commutata. b. 220.

Fides

Fides Romanorum & Pauli ea dem. a. 30.
Fidei Chriſtianæ plantatio mirabilis. a. 47.
Fidei Chriſtianæ effectus. a. 47.
Fides Chriſti per noſtròs in nouo orbe Occidentali, & in multis Africæ, & Orientis partibus ſeminatur. a. 137.
Fides Chriſti ex conuerſione Gentium oſtenditur. a. 144. illuſtria quædam exempla in hunc finem adferuntur. ibidem.
Fidem Britanni ab Eleuthero ſuſcipiunt, eamque inuiolatam vſque ad Diocletiani tempora conſeruant. a. 204.
Fides olim in Britanniâ eadẽ quæ in cœteris Gẽtibus Chriſtianis. a. 211
Fides Alexandriæ, Romæ, in Germaniâ & in Angliâ olim eadem. a. 221.
Fides vna in Britanniâ & in toto orbe. a. 222.
Figmentum Hæreticorum de inuiſibili eccleſiâ. a. 134.
Franciſcani, Dominicani, non ſunt nomina diuerſæ religionis ſed diuerſi viuendi generis. a. 113.
Fructus prædicationis Euangelij inter Gentes. a. 131.
Fularas hominum voluntates Deus cognoſcit. a. 24.

G.

GAllus Cæſar Chriſtianus idola deſtruit, martyres colit. a. 303. b. 47.
Gallis ſimulachra dæmonum candido tecta velamine per agros circumferendi olim mors erat.
Gallus & Iulianus Conſtantij Filij in clerum aſcripti. b. 48.
Gamalielis conſilium. a. 55.
Gamaliel corpus S. Stephani, S. Nicodemi, Suum, & aliorũ Luciano Presbytero reuelat. a. 262.
Geneua Ciuitas Sancta ab Hæreticis nuncupata. a. 324.
Geneuenſis cuiuſdam Eulogiũ de ciuitate Geneuâ. a. 324.
Geneſerici regis perſecutio contra Chriſtianos. a. 143. b. 93. 131.
Gentiles durationi religionis Chriſtianæ certum annorum ſpatium definiebant. a. 55.
Gentiles virtutem & incremẽtum religionis Chriſtianæ conſiderantes conuertuntur. a. 55.
Gentium vocatio ad fidem. a. 130.
Gentes omnes non ſunt conuerſæ ad fidem ab ipſiſmet Apoſtolis, nec illorum tempore, ſed aliquæ ab eorum ſucceſſoribus. a. 133. 136.
Gentium conuerſio à Proteſtantibus nec incœpta nec completa. a. 133.
Gentium conuerſio per Doctores & Paſtores Eccleſiæ non fit inuiſibiliter. a. 134.
Gentes hoc noſtro ſæculo inuentæ ſunt in occidente nec ab Apoſtolis nec ab alio quoquam baptizatæ. a. 136.
Gentibus quibuſdam a fide diſcedentibus

dentibus aliæ in earum locum à Chriſto ſubrogantur. a.139.
Gentium conuerſores non fuerunt Proteſtantes ſed Noſtri. a. 146.
Gentium primarum Apoſtoli plerique monachi fuere, omnes autem Sacerdotes aut Epiſcopi. a. 147.
Gentes per alios quam Romanæ cōmùnionis homines, corruptæ potius quam conuerſæ olim putabantur. a. 148.
Gentium vocatio nunquam intermittitur. a. 157.
Gentium multarum ad Chriſti fidem conuerſarum enumeratio. a. 205.
Gentiles Sanctũ Martinum lædere non permittuntur. b. 28.
Germanus. Lupus. Seuerus, Gallicani Epiſcopi hæreſim ex Angliâ profligant. a. 208.
Germanus miracula operatur per aquam benedictam, & ſacras reliquias. a. 217. 224.
Germani aduentus in Britanniam nuntiatur à dæmonibus. a. 217.
Gilbertus Burnus è pulpite ab hæreticis depellitur. a. 243.
Gothi à Fide ad Arianiſmum deſciſcunt. a. 149.
Gothi non ſunt conuerſi à Gentiliſmo per Arrianos. a.149.
Gratianus. Valentinianus. Theodoſius, nomen Catholicum cōmunioni noſtræ adiudicarunt. a.102.
Græcorum opiniones & viuendi rationes variæ. a. 54.
Gregorius Magnus Anglorum Apoſtolus. a. 228.
Gregorius Magnus Auguſtino Epiſcopo plures cooperatores. & quæcumque ad cultum & miniſterium eccleſiæ neceſſaria erant mittit. a. 219.

H.

Habitus primorum monachorum. a. 290. 292. 293.
Hadrianus in tēplo ac loco Dominicæ paſſionis dæmonum ſimulachra conſtituit. b. 10. 12.
Hebdomada magna quæ, & cur ſic appellata. b. 111.
Helena diuinitus admonita Crucem Domini quærit, & inuenit. a. 257. b. 11.
Helena dirutis idôlorum Templis Baſilicas in loco Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Chriſti cōſtituit. b. 11. 13. 15. 38.
Helenæ crucem inquirentis Pathetica oratio. b. 13.
Helena peregrinationem Hieroſolymitanam ex voto ſuſcipit. Loca Sancta veneratur. Eccleſias ædificat. b. 53-54.
Helena virginibus Sacris miniſtrat. b. 54.
Hériciani hæretici ab Hérico quodã ſic dicti. Eorum dogmata. a.179.
Hermetis Triſmégiſti vatis Ægyptij prædictio. a. 328.
Herba medicis ignota propè ſtatuã Chriſti enaſcitur, & vbi ab fimbriam ſtatuæ peruenit morbos omnes ſanat. b. 17.

Hermigildus mori potius elegit quam communionem ab Arriano Epiſcopo ſumere. b. 254.

Hæreticos antiquos damnatos eſſe omnes nunc fatentur. a. 3.

Hæretici Angli per publicum edictum prohibuerunt ne libri Catholici de controuerſijs habeantur in Angliâ. a. 4.

Hæreſis huius temporis quædam Apoſtaſia eſt. a. 7.

Hæreticorum Eccleſiam communicaſſe omnibus Gentibus non poteſt oſtendi. a. 22.

Hæretici ſuam paucitatem varijs ſcripturæ exemplis commendare conātur. Eccleſiæ multitudinem blaſphemant. a. 34.

Hæretici pro eccleſia ſua ſcripturas proferre non poſſunt. a. 38.

Hæreticos rebaptizandos docebant olim Donatiſtæ, nunc Anabaptiſtæ. a. 41.

Hæretici cum reſpondere non poſſint, irrident. a. 45.

Hæretici a ſeinuicem perſecutionē patiuntur. a. 49. b. 83.

Hæreticorum vani cōtra eccleſiam conatus. a. 51. 54.

Hæretici Paganis & Iudæis cooperantur tollentes Chriſti diuinitatem. a. 54.

Hæretici Chriſtum mendacem cōſtituunt. a. 57.

Hæretici ipſi volunt Catholici videri & dici. a. 92.

Hæretici ipſi nobis nomen Catholicum comedunt. a. 106.

Hæreticus ideo ſuo iudicio damnatus quia ſponte ſibi eligit in quo damnetur. a. 108.

Hæretici ipſi nos non appellant hæreticos in ſuis ſcriptis, legibus, Conuentibus, illi autem in omnibus libris noſtris ſic appellantur. a. 109.

Hæretici in vanum ſurgunt ad reſtaurandam Eccleſiam Gentium, quià omnes Gentes nunquam apoſtatant. a. 134.

Hæretici Catholicorum euerſores & non Ethnicorum conuerſores. a. 136.

Hæretici in Angliâ ſtudent celare miracula quæ fiunt. a. 160.

Hæretici in Anglia cōfirmare pſeudoeuangelium ſuum miraculis cupiunt, ſed non poſſunt. a. 160.

Hæreticorum miracula magica arte fiunt & per dæmonis miniſterium. a. 187.

Hæretici ipſi Thaumaturgos noſtros ſæpè glorificant. a. 188.

Hæreticorum miracula vana & perpauca ſunt. a. 189.

Hæreſis Pelagiana in Britanniā infertur per Agricolam. a. 208.

Hæretici ſimpliciores ſuos miniſtros quaſi angelos venerantur. a. 243.

Hæretici dæmones perfidiâ ſuperant. a. 258.

Hereticorum ignorantia circa myſteria ſalutis ſuæ. a. 279.

Hæreticorum inanis gloriatio de dæmonibus per eorum Euangelium fu-

lium fugatis. a. 323.
Hæretici multi à dæmonibus obſeſſi cenſentur licet non ſint arreptitij. a. 328. Exempla plurima huius rei. ibidem.
Hæreticorum cæcitas. b. 59.
Hæreticorum impudentia & pertinacia. b. 9.
Hæreticorum ignorantia de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramēto inexcuſabilis. b. 24.
Hæreſes & ſchiſmata per dæmonem ſeminantur in Eccleſiâ. b. 32.
Hæreſes ſunt idôla. b. 33.
Hæretici idolorum Prophetis ſimiles. b. 33.
Hæretici ſunt idolorum cultores. b. 34.
Hæreticorum reges non ſunt illi quorum olim conuerſio a Prophetis prædicta eſt. b. 38.
Hæretici puniendi. b. 66.
Hæretici Donatiſtæ cōtempto Eccleſiæ iudicio ad iudicium ſæculare prouocant. b. 66. idem Ariani. b. 68.
Hæretici de ſua perſecutione gloriantur. b. 83.
Hæretici & Iudæi peiores perſecutores quam Ethnici. b. 88.
Hæretici Catholicos ſub pretextu læſæ maieſtatis vel aliorum criminum perſequuntur. b. 111.
Hæretici inſinuant ſe nulla templa velle habere. b. 140.
Hæretici Trinitarij in Polonia Symbolum Athanaſij blaſphemant. b. 200.
Hæretici Puritani nullos feſtos dies obſeruant. b. 219.
Hæretici noſtri temporis peiores hæreticis antiquis. b. 243.
Hæretici Diuinum Officium rituſque Eccleſiaſticos abolere conantur. b. 242. 243.
Hæretici Eccleſiæ Catholicæ ſunt Simiæ. b. 244. 246. 247.
Hæreticis communicare in ritibus Eccleſiaſticis omninò illicitum. b. 252. vſque ad 256.
Hæreticorū cōciones etiamſi vera tantummodo prædicarent, non ſunt audiendæ. b. 261.
Heiruodus publicè defendit Oxoniæ Papiſtas non eſſe hæreticos. a. 112.
Hieroſolymis incœpit Eccleſia Chriſti inde in vniuerſum orbem peruaſura. a. 17.
Hieroſolymis loca Sācta quam plurima. a. 215.
Hierarchiam Eccleſiaſticam quoad omnes ſuas partes olim in Eccleſiâ fuiſſe oſtenditur. b. 124. 125.
Hiſtoria Eccleſiæ incipiētis & creſcentis. a. 26.
Hiſtoria peregrinationis Pauli ad prædicandum Chriſti Euangelium. a. 30.
Hiſtoria Actorum terminatur in aduentu Pauli Romam, quia Romæ permanſura erat in perpetuum Eccleſia. a. 32.
Hiſtoria conuerſionis noui orbis. a. 137.

Hiſtoria Bedæ, qualiſnam olim fuerit Anglorum religio, oſtendit. a. 218. 220.
Hiſtoria inuentionis Sanctæ Crucis. b. 11. 12. 13.
Honorius Imperator Orthodoxos appellat Catholicos, & Marcellinus Comes ſe aliter eos appellare non poſſe dicit. a. 102.
Honor Crucis argumentum diuinitatis Chriſti. a. 276. b. 42.
Honor Sanctorũ diuinitatis Chriſti argumentum. a. 293.
Honor Sepulchrorum Chriſti & Apoſtolorum. a. 294. 296. b. 42.
Honor Sanctorum. a. 294. 297. 298. b. 17. 18. 42. 43. 46. 49. 107. 108. 109. 110. 112. vide Cultus Sanctorum.
Honor Euchariſtiæ; Sanctorum; Reliquiarũ; Crucis; Imaginum, idôla & idololatriam deſtruit. b. 7. 8.
Honor Sacerdotibus exhibendus. b. 32. 47. 48. 49. 66. 80. 81. 118.
Honor Crucis Chriſti. b. 55. vſque ad 60. vide Crucis adoratio.
Honor Epiſcopis exhibẽdus exemplo Maiorum. b. 66. 80. 81.
Honorem deberi Eccleſiaſticis probatur ex ſcripturâ. b. 82.
Horarum canonicarum antiquus in Eccleſiâ vſus. a. 266. b. 207. 208. 209.
Horarum Canonicarum diſtributio b. 207. 208. 209.
Humphredus Oxoniæ prælegens vocat Auguſtinum & ſocios ſuos pſeudocatholicos, idque ob cultum Sanctorum. a. 106.
Humphredus promittens ſe oſtenſurum Papiſtas eſſe Hæreticos, id ſolùm profert Fauſti Manichæi contra Auguſtinum, idôla vertiſſe in Martyres. a. 112.
Hyperduliâ Mater Chriſti honoranda. a. 294.
Hymnorum Cantus in Eccleſiâ. b. 224. 242. 243. vide. Pſalmodia.

I.

IAcobus Soria 40. ſocios nominis Ieſu in Braſſiliam ad prædicandum Euãgelium proficiſcentes interfici iubet. a. 141.
Idôlorum exterminium a Prophetis prædictum. b. 3.
Idololatria quæ per hominum maledictionem olim committebatur, per Chriſtum pènitùs abolita. b. 4.
Idololatria & idola deſtruuntur per illos fidei articulos quos idololatriæ criminantur hæretici. b. 7. 8. 10.
Idololatræ confutantur per ea quæ hæretici. idololatriæ accuſant. b. 8.
Idololatria Gentium per Chriſtum abolita. b. 4. 5. miraculis hoc oſtenditur. b. 5. 6.
Idolorum cultus in Angliâ per Eadbaldum & Sabarethi Filios inſtauratur. b. 6.

Idola

Idola in loco Paſſionis Chriſti ab Adriano Imperatore eriguntur. b. 10.
Idololatriæ ac cultus Sanctorum, ac reliquiarum oppoſitio tam euidens vt ipſos idololatras non latuerit. b. 17. 18.
Idololatria per Sanctorum cultum aboletur. b. 17. 18. 20.
Idôla & idololatria per Noſtros & non per Proteſtantes deſtructa. b. 26.
Idôla per Monachos potiſſimum euerſa. b. 26.
Idôlum immiſſa ad preces Sancti Martini tempeſtate deſtruitur: Et columna cui idolum ſuperſtabat per aliam columnam cœlitùs delapſam in puluerem redigitur. b. 30.
Idôla ſunt hæreſes, & hæretici idolorum cultores. b. 33. 34.
Idololatria in omnibus Gentibus Romano Imperio ſubiectis per Conſtantinum extincta. b. 44.
Ieroboam ſchiſma fecit inter tribus Iſraël erigens duo altaria in Bethel & Dan. idem facit Angliâ. a. 63.
Ignorantia hæreticorum circa myſteria ſuæ ſalutis, exemplo demonſtratur. a. 279.
Ignatij reliquiæ Antiochiam deportantur. b. 47.
Imaginum Sacrarum venerabilis olim vſus. b. 16. 17. 20. 56. 180.
Imaginum vſus licet in Eccleſiâ ab initio non fuiſſet licitè tamen introduci potuiſſet. b. 150.
Imaginum ſacrarum vſus in Eccleſijs Chriſtianorum. b. 66. 170. 179. 180. 183. 185. 186. 188. 191. 192. 193.
Imago Crucifixi in Eccleſijs vſitatiſſima. b. 211.
Imperatores Chriſtiani quinã præſertim idôla ſubuerterint. b. 26.
Imperatorum primorum erga Crucem Chriſti religio & pietas. b. 55. vſque ad 61.
Imperatores primi Chriſtiani in omnibus noſtri ſunt. b. 63.
Imperatorum Romanorum obſeruantia & ſubmiſſio erga Eccleſiam, per Prophetas prædicta. b. 36. 37. 64.
Imperatores Romani cedunt Româ totâque Italiâ vt locum dent Vicario Chriſti Summo Pontifici. b. 65.
Imperatorum erga Epiſcopos & cæteros eccleſiaſticos obſeruantia. b. 66. 67. 68.
Imperatores Eccleſiæ & eccleſiaſticum iudicium vſurpare non audent. b. 66. 67. 68.
Imperatorum primorum religio meritò imitanda. b. 35. 80.
Imperatorum primorum erga Sanctos martyres, eorumque reliquias deuotio & religio. b. 44. 45. 46.
Imperatorum primorum religio qualis. b. 40. vſque ad finem motiui.

Imperatori pietas perquam neceſſaria. b. 51. 52.
Imperatorum Romanorum conuerſio à Prophetis prædicta.
Imperatores Romani ædificant eccleſias, contra Gentiles & Hæreticos edicta promulgant. b. 38.
Imperatorum Romanorum religio omnibus nota. b. 40.
Imperatorum Romanorũ qui olim Chriſtiani fuerint religionem eandem eſſe cum noſtrâ euidentiſſimè probatur. b. 40. 41.
Imperatores Romani Sanctos venerantur, Crucem Chriſti honorant. b. 42. agnoſcunt Eccleſiaſticos in eccleſiaſticis ſibi ſuperiores. b. 43.
Impoſitio manuum in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ. b. 100. 103.
Incolæ huius mundi quaſi actores in ſcena. a. 2.
Indulgentiæ ad martyrum poſtulationem dari ſolitæ. b. 104. 105. 106.
Indulgentiæ quas ob cauſas olim conceſſæ. b. 105.
Indulgentiarum vſus antiquus in Eccleſia. a. 251. b. 102. 103. 104. 105.
Indulgentias ritè diſpenſare poteſt Summus Pontifex. a. 252.
Indulgentias diſpenſandi neceſſitas. a. 252.
Inuentio Sanctæ Crucis per Sanctam Helenam. a. 257. b. 11. 12. 13. 14.
Inuentio Corporum Sanctorum Geruaſij & Prothaſij. a. 258. 259.
Inuentio reliquiarum S. Stephani Protomartyris. a. 260.
Inſularum conuerſio à Prophetis prædicta. a. 202.
Interceſſione S. Oſwaldi regis peſtis fugatur. a. 269.
Inuiſibilitas eccleſiæ vmbra & tegumentum omnibus hæreticis eſſe poteſt. a. 134.
Ioãnes Monachus Prophetico ſpiritu victoriam Theodoſio promittit. b. 61.
Ioannis Baptiſtæ reliquiæ combuſtæ & earum cineres per Gentiles diſperſi. b. 112.
Ioannis Baptiſtæ oſſa aliqua a Chriſtianis colliguntur, & religiosè reconduntur. b. 112.
Iocus lepidus. b. 62.
Iouis ſimulachrum loco Paſſionis Chriſti ab Adriano erigitur. b. 10.
Iouiniani Imperatoris religio. b. 52. 53.
Iouinianus virgines Sacras legibus tutatur. b. 53.
Iudæi nũquam potuerũt templum reparare cuius deſolationẽ Chriſtus prædixerat. a. 53.
Iudæi Proteſtantium Parentes. a. 141.
Iudæorum miracula. a. 198.
Iudæi ab idolorum ſeruitute per Chriſtum liberati. b. 4.
Iudæi filios ſuos idôlis ſacrificabant. b. 3.
Iudæorum Gentem cæteris omnibus re-

bus re-

bus relictis elegit Deus, in quâ ritè coleretur. a. 130.
Iudæorum electio & reprobatio in vellere Gedeonis præfigurata. a. 130.
Iuelli impudentia. a. 104. b. 222.
Iudices in Eccleſiaſticis negotijs ſunt Epiſcopi. b. 66. 67. 69.
Iulianus Apoſtata Tēplum reædificare voluit ſed ignis operarios fugauit. a. 52.
Iulianus Apoſtata S. Babilæ reliquias ex templo Apollinis transferri iubet. a. 304. Chriſtianos Galilæos appellat, eoſque perſequitur. ibidem.
Iulianus Apoſtata mandat idolorum templa inſtaurari. a. 307.
Iulianus Apoſtata Eccleſias Chriſtianorum deſtruit. b. 9.
Iulianus ſtatuam Chriſti deturbat, ſuamque eius loco collocat. b. 16.
Iuliani ſtatua igne cælitus miſſo deturbatur. b. 17.
Iuliani in prima ætate pietas. b. 48.
Iulianus in clerum aſcribitur & vitam Monaſticam ſimulat. b. 48.
Iuliani in clericos, virgines, viduas perſequitur. b. 51.
Iulianus Crucis vexillum ab exercitu remouet. b. 57.
Iulius Çæſar primus Romanorum Britanniam vicit. a. 206.
Iuliani callida perſecutio. b. 111. 126.
Iuliani cædes à Iuliano Monacho, interuallo itineris viginti dierum diſtante viſa & prænuntiata eſt. b. 113.
Iulianus auunculus Iuliani apoſtatæ aduerſus ſacram mēſam mingit. b. 162. eiuſdem miſerabilis exitus. ibidem.
Iulianus Apoſtata Chriſtianos vt ſimia imitatur. b. 246.
Iuriſdictio Eccleſiaſtica penes Epiſcopos. b. 66. 67. 68. 69.
Iuſtinianus lege latâ iubet omnes ſuos ſubditos amplecti fidem Damaſi Papæ & nomen Chriſtianorum Catholicorum. a. 95.
Iuſtinus, & Irenæus ex nouis nominibus notat hæreticos. a. 114.

K.

Ketellus ex dono Dei dæmones conſpicabiles habuit. a. 330.
Ketelli deuotio & variæ viſiones. a. 330.
Ketellus inuocato Chriſti nomine dæmones fugat. Carrum dæmonum animas ad infernum ducentium conſpicit. à dæmonibus vexatur. per Angelum liberatur. a. 331.

L.

Laicocephali in cauſis Eccleſiaſticis ab antiquis irridētur. b. 118
Lampadarum vſus in Eccleſiâ. b. 172. 173.
Laurentius Cantuarienſis Epiſcopus a D. Petro flagellis cæditur, & ad perſiſtendum in Epiſcopatu animatur. b. 6.
Laurentij Humfredi impudentia. b. 50. 221.

Lectorum

Lectorum ordo antiquus. b. 48. 92. 124. 125. 126. 132.

Lectio vitarum Sanctorum vtiliſſima. b. 123. 306.

Ledeſma oſtendit Officium diuinum ab Apoſtolorum tempore in linguâ Latinâ in Occidentali Eccleſiâ. b. 240.

Lectio Scripturæ in Diuinis Officijs. b. 222.

Leges & decreta Imperatorum de Venerabili Crucis honore & cuſtodiâ. b. 60.

Leges primorum Imperatorum Chriſtianorum noſtram Religionem oſtendunt. b. 64.

Leges municipales Angliæ quæ fuerit Regum Angliæ religio declarant. b. 64.

Lex Theodoſij de irritãdis ſententijs per iracundiam latis. b. 73. eiuſdem legis vtilitas. b. 75.

Lex veterum Romanorum virginibus & cœlibatum colentibus iniurioſa corrigitur per Conſtantinum. b. 54. 55.

Liberum arbitrium non poteſt impedire quo minus ſcripturæ impleantur. a. 24.

Libellatici quinam dicti. b. 106.

Libri Caluinicæ Communionis comburendi. a. 272.

Licinius tyranus militibus ſuis præcipit ne Crucis vexillo ex aduerſo cant, neue in illud oculos conijciant b. 58.

Linguâ Latinâ in Diuinorum Officiorum celebratione Eccleſia Latina vſa eſt à tẽpore Apoſtolorum & vtitur. b. 239. 240.

Litaniæ in ſupplicationibus cantari ſolitæ. b. 234. 235.

Locus in quo Chriſtus aſcendens veſtigia poſuit marmore tegi nunquam potuit. b. 11. 14.

Locus laicorum & clericorum in Eccleſiâ diſtinctus. b. 74. 178. 179.

Lucius Arrianus Epiſcopus Eccleſiam impiè perſequitur. a. 144. b. 128. 129. 130.

Lucius Arrianus Epiſcopos, Monachos Ægypti perſequitur, eorumque patres in exilium mittit. a. 144. b. 31.

Lucij Epiſcopi Arriani horrenda facinora. b. 156. 157.

Lucius Brittannorum Rex Epiſtolam mittit Eleuthero vt per eius mandatum Chriſtianus fiat. a. 204.

Lucernæ argẽteæ in Eccleſijs olim habebantur. b. 146.

Luminum vſus in funeribus Chriſtianorum. b. 43.

Lutheranos & Caluiniſtas, qui Eccleſiam mille ducentis annis nuſquam remanſiſſe dicunt, anathematizat Paulus. a. 33.

Lutheri Euangelium Euangelio Chriſti contrarium.

Lutherus expungit Catholicum ex Symbolo, ſic etiam Anglo-Caluiniſtæ in ſuis Pſalmis Geneuenſibus. a. 103.

Lutherani nolunt auxilia præbere

contra

contra Turcas niſi ſua ſibi dogmata retinere liceret. a. 122.

Lutherus primò nos Papiſtas appellauit, nec tamen nomen iſtud arguit nos ſcindi ab eccleſiâ. a. 125.

Lutheri familiaritas cum dæmone. a. 329.

Lutherus ante ſuam hæreſim de dæmonis commercio ſuſpectus. a. 329.

M.

MAchabæorum libri Canonici ſunt. a. 244.

Magi plurimi in hæreticorum terris. a. 324.

Magni Arriani in Catholicos crudelitas. b. 118.

Martinus viſitatur ab Agnete, Theclâ & Mariâ, ab Apoſtolis Petro & Paulo, ab Angelis, à Chriſto ipſo. a. 253.

Martinus apparet Sulpitio. a. 254.

Martinus aduerſarium habet Bričtium. impetrat a Deo vt Brictius illi ſuccedat in Epiſcopatu, multa aduerſa Brictio ventura prædicit. a. 255. 256.

Martini virtus aduerſus dæmones. b. 23.

Martinus idolorum templa diruit. Signo Crucis cadentem in ſe arborem auertit. Flammis ſe opponit. b. 27. 28.

Martinus ſigno Crucis turbã Gentilium ſiſtit & in vertiginem agit. b. 29.

Martinus mortuũ puellũ ad vitam reuocat, eoque miraculo multos Gentiles ad fidem cõuertit. b. 29. eoſdem in Cãpo impoſitâ manu Catechumenos facit. ibidem.

Martinus idoli deſtructionem precibus impetrat. b. 30.

Martinus dæmonẽ Auitiani Comitis tergo inſidẽtem cõſpicit, eum exſufflando fugat. a. 330.

Martyres cuius eccleſiæ tales eſſe creduntur. a. 51.

Martyrium 40. ſociorum Nominis Ieſu. a. 141.

Martyrum reliquiæ in honore apud antiquos Chriſtianos. a. 258. vſque ad 261. 304. 328. vide Reliquiæ Sanctorum.

Martyres vt Chriſti teſtes & ſeruos non vt Deos honorãt Chriſtiani a. 297. 298. b. 108. 109. 110.

Martyrum Chriſti gloria. a. 298.

Martyrũ tẽpla. a. 298. 328. b. 45. 47. 49. vide Templa martyrum.

Martyrum Solemnitates. a. 299. b. 44. 47. 108. vide Feſta.

Martyrum nomina filijs à parentibus imponi ſolita. a. 299.

Martyrum reliquijs torquentur dæmones. a. 328.

Martyrum inuocatio. b. 18. 40. 43. 46. 109. 184. vide. Inuocatio Sanctorum.

Martyres vt Deos à Chriſtianis coli Gentiles olim falſo arbitrabantur. b. 107.

Martyriũ Sanctæ Potamiænæ, Sancti Baſilidis, Sanctæ Theodoſiæ. b. 114.

Martyres Angli ſub Henrico octauo & Elizabethâ plurimi numerantur qui in fide primorũ martyrum mortui ſunt. b. 135.
Martyrium hæreticorum & Schiſmaticorum ſterile eſt. b. 134.
Martyres antiqui pro vnico ſæpè Fidei articulo paſſi ſunt. b. 135.
Martyrium quod quis patitur pro eccleſiæ vnitate tuendâ multum commendabile. b. 136.
Martyrum Paſſiones in Eccleſijs legi ſolitæ. b. 222.
Martinianus ſuadente S. Maximâ cum tribus fratribus religionem ingreditur. b. 131.
Maximinianus iubet Chriſtianos templa ſuæ ædificare & diuina officia celebrare. b. 146. idem Maximinus. ibidem.
Maximinianiſtæ, & Rogatiſtæ, Schiſmatici erant Donatiſtarũ. a. 20.
Maximillam & Priſcillam Montani Propheti ſſas Catholici à dæmonibus agitari putant. a. 327.
Maxima virginitatem Deo conſecrat. Martiniano adoleſcenti eius nuptias affectanti idem perſuadet. tandem Monaſterium ingreditur. b. 131.
Melaniæ fœminæ nobiliſſimæ Conſtantia. Catholicos à perſecutorum rabiè abſcondit, quinque millia Monachorum latentium ſuis ſumptibus paſcit per triduum. b. 130.
Melanis Epiſcopi & Monachi humilitas. b. 160.
Mellitus Londonienſis Epiſcopus expellitur. b. 6. in Galliam proficiſcuntur. Et paulò pòſt reuocatur. b. 7.
Memoria S. Stephani Anconæ. a. 261.
Memoria S. Petri Romæ. a. 296.
Mercatoris cuiuſdam miſerãda ſors. b. 72.
Mexicana Ciuitas plerumque mille homines vno die Dijs immolabat. a. 138.
Miniſterium Eccleſiaſticum quãdo neceſſarium. b. 86.
Miniſtri hæreticorum in miniſtris idolorum figurati. b. 258.
Miniſtrorum tria genera. b. 258.
Miniſtri proteſtantium per Catholicos Epiſcopos ordinati non reordinantur a ſuis. b. 266.
Miracula confirmant Euangelium noſtrum. a. 160.
Miraculis confirmauit Chriſtus ſuam & Apoſtolorum doctrinam a. 161. 164.
Miracula Chriſti cur adeò accuratè tractentur in Euangelio Ioannis. a. 161.
Miraculis meritò credendum. a. 163.
Miraculis Chriſti vtuntur Apoſtoli in confirmationem ſuæ doctrinæ, & ad confuſionem & cõuerſionem tam Iudæorum quam Gentium. a. 165.
Miracula Apoſtolorũ in Confirmationem Euangelij facta. a. 166.
Miracula Petri & Pauli Apoſtolorum, Stephani & Philippi Diaconorum.

conorum. a. 167.
Miracula initio eccleſiæ plurima facta & mira ſuccedentibus temporibus pauciora. quare. a. 170. 171.
Miraculis fundata eſt Chriſti Eccleſia. a. 170.
Miracula poſterioribus temporibus facta cur non æquè nota ac illa Chriſti & Apoſtolorum. a. 173.
Miracula multa poſt Chriſti & Apoſtolorum tempora facta enumerantur. a. 174.
Miraculum Bruxellis in fœminâ Anglicâ. a. 176. 177.
Miraculoſæ Hoſtiæ Bruxellis in eccleſiâ S. Gudilæ. a. 177.
Miracula inumera per panem à D. Bernardo benedictum patrata. a. 180.
Miracula multa in Africâ à Catholicis contra Arrianos facta. a. 183.
Miracula contra Donatiſtas facta. a. 184.
Miracula Anti-Chriſti & ſeductorum nõ poſſunt eſſe vera. a. 185.
Miracula pro Chriſto & Fide Chriſtianorum contra Iudæos, Paganos, Hæreticos. a. 161. vſque ad 184.
Miracula Chriſtianorum eiuſdem generis ſunt cũ miraculis Chriſti, ideoque vera. a. 186.
Miracula Hæreticorum non in virtute Dei ſed per magicam artem plerumque fiunt. a. 187.
Miracula fiunt per ſignum Crucis, per aquam baptiſmi, per oblationem ſacrificij Corporis Chriſti, per terram Sanctam, per martyrum reliquias. a. 174.
Miracula innumerabilia & mira per S. Stephani reliquias. a. 174.
Miracula hæreticorum falſa cito euaneſcunt Catholicorum miraculis perdurantibus. a. 188.
Miraculorum multitudo in eccleſiâ tollit omnem ſuſpicionem falſitatis eorum. a. 189.
Miracula Sacræ ſcripturæ pro nobis contra Proteſtantes faciunt. a. 190.
Miracula contra eos qui Euchariſtiam ſuſcipiunt ante expiatum delictum. a. 191.
Miraculo terræ motus demonſtratur eccleſiam viſibilem perpetuam eſſe. a. 172.
Miracula noſtra fiunt in vnitate eccleſiæ. a. 193.
Miracula extra eccleſiam facta aut magica, aut naturalia opera ſunt, aut mera mendacia. a. 193.
Miracula Donatiſtarum. a. 195.
Miraculis non manifeſtè cognoſcitur eccleſia Catholica. a. 197.
Miracula extra eccleſiam interdum vera fiunt. a. 197.
Miracula Iudæorum. a. 198.
Miracula Nouatianorũ ſi vera fuerint ad religionis Chriſtianæ cõfirmationem ſpectabant. a. 198.
Miraculis (vt ſcribunt Germani) fulſit Victor quartus Antipapa. a. 200.
Miracula & à bonis & à malis & extra

extra eccleſiā & intra eccleſiam, ab errātibus circa veritatem aut circa vnitatē fieri poſſunt, nunquam tamen in confirmationem erroris. a. 200.
Miracula plurima ab Auguſtino & eius ſocijs in Angliâ patrata. a. 222.
Miracula ad corpora Sanctorū Geruaſij & Protaſij facta. a. 259.
Miracula per reliquias S. Stephani Hippone facta. a. 261.
Miraculum in oſtenſione Sanctæ Crucis. a. 285.
Miracula per ſignum Crucis. a. 288. vide ſignum Crucis.
Miracula terræ cui Chriſtus aſcendens veſtigia impreſſit. b. 11.
Miraculum in inuentione Sanctæ Crucis. b. 11. 14.
Miraculoſa Sanctæ Crucis multiplicatio. b. 15.
Miracula herbæ prope Chriſti ſtatuam enaſcentis. b, 17.
Miraculoſa penetratio corporum. b. 18.
Miracula per reliquias S. Oſwaldi, per pannos S. Eldridæ. b. 20.
Miracula S. Fœlicis martyris. b. 22.
Miraculum ingens per ſignum Crucis. b. 27.
Miraculum in ædificatione templi quod Gallus & Iulianus Fratres in honorem Maniæ martyris extruebant. b. 48.
Miraculum pueri in cælum rapti. b. 235.
Miracula ſanitatum operantur ſucceſſores Sancti Ludouici regis Galliæ & Sancti Eduardi regis Angliæ. a. 189.
Miſſæ ſacrificium pro viuis & defunctis. a. 248. 249. 264. 268. b. 143. 164. 171. 218. 225. 227. 270.
Miſſæ ſacrificium offerri ſolitum. a. 257. 269. 270. 322. b. 44. 94. 95. 96. 97. 99. 120. 142. 166. 169. 171. 172. 225. 232. 242. 267. 268. 270. 272.
Miſſæ in memoriam regis Oſwaldi. a. 270.
Miſſæ in memoriam & honorem Sanctorum. a. 270. 271. b. 108. 218. 219.
Miſſæ ſacrificium in carceribus & domibus priuatis à Chriſtianis perſecutionem ſuſtinentibus celebrari ſolitum. b. 96. 97.
Miſſæ initium ignoratur. b. 225.
Miſſæ partes præcipuæ quatuor. b. 228.
Miſſarum ritus à Sancto Paulo fluxerunt. b. 228.
Miſſarum diuerſitas eſt in verbis non in rebus. b. 229.
Modeſtus Valētis Imperatoris Præfectus Catholicos perſequitur. b. 118.
Modus quærendi eccleſiam in ſcripturis. a. 20.
Monachi Ægyptij multa miracula faciunt in confirmationem fidei contra Arrianos. a. 182.
Monachi è Britanniâ & alijs orbis partibus Hieruſalem religionis causâ confluunt. a. 212.
Monachi idolorum & idololatriæ euerſores.

euerſores. b. 26.
Monachi ad idolorum fana demolienda à S. Chriſtiano mittuntur. b. 31.
Monachorum Ægypti Patres in inſulam quandam à Lucio Epiſcopo relegati Sacerdotis idolorum filiam à dæmone poſſeſſam liberant, & templa idolorum deſtruunt. b. 31.
Monaſtici Conuentus. b. 49. 128. 129. 130. 131. 132.
Monachi in eccleſiâ. a. 220. b. 26. 31. 124. 128. 129. 130. 131. 133.
Monachorum quinque millia à S. Melania per triduum ſuſtentantur. b. 130.
Monachos cõſecrandi forma. b. 232.
Monachorum inſtitutum antiquiſſimum in eccleſiâ Dei. b. 280. vſque ad 288.
Monachorum abſtinentia. b. 282. 283. 284.
Monachorum exercitia. b. 282. 283. 284. 288. 291.
Monachorum olim magna copia in eccleſiâ. a. 220. b. 287. 288.
Monachorũ religio in quibus potiſſimùm conſiſtat. b. 289.
Monachorum habitus antiquus. b. 290. 292. 293.
Monachorum erga ſuos ſuperiores obedientia. b. 291. 297.
Monachorum paupertas. b. 292. 304.
Monachorum continentia. b. 292. 304.
Monachorum antiquorum profeſſio & religio eadem quæ noſtrorum Monachorum. b. 290. 291. 292. 293. 294.
Monachi præcipuæ in Ægypto Meſopotamiâ & Syriâ floruerunt. b. 287. 295.
Monachorum antiquorum religionem fuiſſe veram Chriſti religionem euidentiſſimè probatur. b. 295.
Monachorum inſtitutum plerique doctores eccleſiæ amplexati ſunt b. 298. 299.
Monachorũ vtilitas in eccleſiâ Dei. b. 301. 302. 303. 304.
Monachorum longæuitas. b. 304.
Monachorũ quinam vituperatores & quinam defenſores olim fuerint. b. 306. 307. 308.
Monachorum inſtitutum quoad paupertatem, cõtinentiam, obedientiam, ſcripturarum teſtimonio comprobatur. b. 311. 312. 313. 314. 315. 316.
Monachorum regulares obſeruantias licitas eſſe ex ſcripturis probatur. b. 316. 317. 318.
Monaſterium Bancor pluſquam duo millia Monachorum habuit. a. 220.
Monaſteria ſacrarum virginum. b. 126. 131. 286. 287. 288.
Monaſtica vita per S. Antonium ad ſummum perducta. b. 286.
Monaſteria, eorumque antiquitas. b. 282. 287. 305.
Monaſtica inſtitutio à Deo miraculis approbata. b. 296.

Monaſticæ obedientiæ exempla. b. 297.

Montanus Hæreſiarcha Pepuzam ſuam Hieruſalem nuncupauit. Et cur? a.324.

Montanus hæreſim ſuam Prophetiam appellat. a. 327.

Mors memorabilis Culpeperi nobilis Angli Catholici Pariſijs. a. 105.

Motiua generalia expeditiora ſunt ad veritatem indagandam quam ſingularum controuerſiorū explicationes. a.3.5. veritatem per talia Motiua inueſtigarunt antiqui. a. 5.6.7.

Motiua generalia valent contra omnes omnium temporum hæreticos, Paganos, Iudæos. a.7. Etiam & Atheos. a. 8.

Moyſis Monachi Conſtantia. b.129.

Mutationes vel minimæ in rebus ſpectantibus ad fidem ſtatim animaduerſæ & reprehenſæ ab Eccleſiâ. b. 202. 203.

Myſteria Chriſti Feſtis diebus ſingulis annis ſolenniter celebrantur. a. 212.

N.

NAtalitij Sanctorum dies ab eccleſiâ celebrari conſueti. b. 218. vide Feſta Sanctorum.

Neophili cuiuſdam in Indiâ memorabile factum. a. 159.

Nomen Catholicum nunquam niſi Orthodoxis tributum. a. 89.

Nomen Catholicum non eſſe humanum figmentum probat Auguſtinus contra Gaudentium. a. 102.

Nomen Proteſtantium vnde ſumpſit exordium. a. 122.

Nota cognoſcendi eccleſiam. a.59.

Nota Hæreticorum eſt exire de eccleſiâ. a. 59.

Nouatianorum miracula ſi vera fuerint ad religionis Chriſtianæ Confirmationem ſpectabant. a. 198.

Nouatianus iurando fidem ſuorum ſibi obſtringit. b. 120.

Nouatianus Presbyterum ſe eſſe denegat. b.125.

Nouus orbis ad fidem Chriſti per Catholicos conuerſus. a. 137.

Nouus orbis Carolinus tot habet Catholicos quot hic noſter. a. 137.

O.

OBedientia Eccleſiæ eiuſque Paſtoribus ab omnibus debita. b. 65.

Obediētia Monachorum erga ſuos Prælatos. b. 291. 297.

Obedientia docetur ex ſacrâ ſcripturâ. 315. 316.

Oblationes olim fieri ſolitæ in Eccleſiâ. b. 92.

Obſeruationum Eccleſiaſticarum duo fontes, traditio Apoſtolica & Conciliorum decreta. b.140.

Obſeruantiæ regulares Monachorū Sacrarū ſcripturarū teſtimonijs approbantur. b. 317.318.

Obſer-

Obſeruantiæ quæ malæ & invtiles, quæ verò bonæ & vtiles. b.319.
Odium Iudæorum & Gentiliũ erga Crucem Chriſti. b.10.11.12.13.
Officio ſuo vnuſquiſq; fungi debet etiamſi nullum inde emolumentum ad alios dimanet. b.78.
Officiorum diuinorum autoritas ad Hæreticos refellendos. b.197.206.
Officia Diuina antiqua noſtra ſunt non Proteſtantium. b.200.201.206.207. vſque ad finem motiui.
Officio diuino aliqua nõnunquam addita ad fidem diuinam magis inculcandam. b.200.
Officiorum diuinorum expoſitores. b.201.
Officia diuina non fuiſſe a S. Gregorio aut vllo alio quoad rem mutata. b.201.202.
Officia Eccleſiaſtica libris potiſſimũ quatuor continentur. b.295.
Officium Eccleſiaſticum in horas canonicas diſtributum. b.207.208.
Officia diuina omnia Chriſti myſteria ſingulis annis nobis repreſentant. b.210.211.
Officia lingua latina celebrari conſueta. b.239.
Omnipotentia Chriſti argumẽtum ſufficiens ad probandam Euchariſtiam. a.192.193.
Operum bonorum mortificatorũ reuiuiſcentia. b.100.
Opera bona vitæ æternæ meritoria. b.121.122.
Optatus arguit hæreſeos Donatiſtas quod Donatiſtæ non Chriſtiani voluerunt appellari. a.116.
Orationes Sanctorum apud Deum pro hominibus. a.244.260.262.269.270.297. b.43.114.
Oratio pro defunctis. a.248.249. b.43.44.45.171.227.230.270.
Oratio olim à Chriſtianis expanſis manibus fieri conſueta. b.121.
Orationes hæreticorum & Iudæorum Deo odioſæ. b.252.
Ordines varij in eccleſiâ. b.124.125.268.271.
Ordinandi poteſtas penes Epiſcopos. 264.
Ordines Sacri qui modo in Eccleſiâ ſunt à principio extiterunt. b.268.
Ordines omnes altaris miniſterio deſeruiunt. b.268.
Ordinatio clericorum quibus ceremonijs fieri conſueta. b.270.
Ordo lectorum antiquus in Eccleſiâ. b.48.
Oſtiariatus ordo antiquus in Eccleſiâ. b.125.268.

P.

Pacianus in Epiſtolâ ad Sympronianum Nouatianum. Chriſtianus mihi nomen, (inquit) Catholicus cognomen, illud me nuncupat, iſtud oſtendit. a.97.
Palladius primus Scotorum Epiſcopus. a.207.
Pallæ altaris. b.153.155.
Pallium à D. Gregorio, Auguſtino

Anglorum

Anglorum Archiepiſcopo mittitur, eiuſdem Pallij vſus conceditur Eboracenſi, & Londinenſi Epiſcopo. a. 219.

Pantheon Romæ in honore Dei Genitricis & omnium Sāctorum conſecratum. b.20.

Paſſio & Reſurrectio Chriſti reliquis omnibus Feſtis admiſcentur. b. 211.

Patres per eccleſiam probant Chriſtum Deum.

Patres eos qui ab Eccleſiā exierunt ſchiſmaticos eſſe, qui verò in eâ manent Catholicos eſſe fusè probant. a. 65. 66. & deinceps.

Patres eccleſiæ ſemper euigilarunt contra hæreſes. a.86.87.

Paulus conuerſus per viſionem de cælo. a. 235.

Paulus extraordinarius Apoſtolus miſſus ad Gentes. a. 29.

Paulus eremita trecentas orationes ſingulis diebus Deo perſoluit. b. 291.

Paupertas Monachorum. b.292.312.

Paupertas voluntaria ſcripturæ ſacræ teſtimonijs commendatur. b. 312.

Pelagius Monachus Brito in ſuâ hæreſi ſpargendâ cooperatore Iuliano de Campaniâ vſus eſt. a. 207.

Pelagius Catholicus primo nuptiarum die vxori ſuæ caſtitatem perſuadet, Epiſcopus deinde Laodicenſis factus eſt. b.129.

Penetratio miraculoſa corporum. b. 19.

Peregrino quærenti vbi ad Catholicam conueniatur nemo hæreticorum ſuam Baſilicam audet oſtendere. a. 103.

Peregrinatio Hieroſolymitana per Imperatrices Helenam & Eudociam ex voto ſuſcepta. b. 53. 54.

Peregrinationes Chriſtianorum ad loca ſancta. a.212. 266. 284. 285. b.15. 53. 54. 91. 122. 161. 168. 189. 190. 217.

Peregrinatio ad Sanctam Crucem. a. 284. 285. b. 15.

Perſequuntur hæretici Eccleſiam, non ab illa patiuntur. a. 49.

Perſecutione augetur numerus Chriſtianorum. a. 50. 51. 54.

Perſecutio in Britanniâ tempore Diocletiani. a. 207.

Perſecutio primorū imperatorum contra eccleſiam. b. 36. 38.

Perſecutores non à repugnantibus ſed à morientibus Chriſtianis victi. b. 42.

Perſecutionis vtilitates. b. 85.

Perſecutio quando non fugienda. b. 86.

Perſecutiones Gentilium contra Chriſtianos decem præcipuè numerantur. b. 88.

Perſecutio Genſerici regis Arriani contra Chriſtianos. b. 93. 131. 155.

Perſecutio Hunnerici regis. b. 94. 95. 96. 97. 98. 131. 132.

Perſecutio in Catholicos ſub prætextu læſæ maieſtatis vel aliorum crimi-

criminum moueri ſolita. b. 111.
Perſecutio modeſti Valentis Imperatoris Præfecti. b. 118.
Perſecutio in clericos, Monachos, Sanctimoniales. b. 124. vſque ad 133.
Perſecutio ſub Sapore Rege Perſarum. b. 133.
Perſecutio ſub Diocletiano. b. 144. 145.
Perſecutio Arrianorum contra Catholicos. b. 156. 157. 158. 159.
Petronia per Sanctum Stephanum à diutino languore liberatur. b. 18.
Petrus primum Euangelium Iudæis, deinde Paulus Gentibus annunciat. a. 27. 28.
Petrum Romæ fuiſſe teſtatur ſacra ſcriptura. a. 28.
Petrus ad prædicãdum Euangelium Cornelio & alijs Gentium primitijs eligitur. a. 28.
Petrus Romam venit vt Simonem Magum confunderet. a. 29.
Petri & Pauli Apoſtolorum dignitas. a. 48.
Petrus eccleſiæ fundamentum. a. 54.
Petrus Apoſtolus apparet Laurentio Cantuarienſi Epiſcopo, eumque flagellat. b. 6.
Petro præcipuè eccleſiæ cura incumbit. b. 117.
Philippus Imperator filium cuiuſdam regis pro pacis pignore ſibi datum interficit. b. 75.
Philippus Imperator à Babyla excommunicatur. b. 78.
Philippus Babilam in carcerem conijcit, ferro vincit, demum occidit. b. 78.
Philippi Imperatoris publica pœnitentia. b. 79.
Philippus primus Imperator Chriſtianus flagitijs deditus. a. 303.
Picti Septentrionales Britãniæ partes incolunt. a. 206.
Placillæ vxoris Theodoſij ſtatua ab Antiochenis deturbatur, & ignominioſa per vrbem trahitur. b. 51.
Potamiænæ Virginis martyrium. b. 114.
Potamiæna Baſilidi apparet, eiuſque capiti coronam imponit. b. 114.
Pœnitentiæ vſus in eccleſia. b. 70. 79. 87. 95. 103.
Pœnitentia Theodoſij ſenioris. b. 70. 72. 73.
Pœnitẽtiæ relaxatio ob quas cauſas fieri ſolita. b. 105.
Poteſtas miraculorum Apoſtolis data. a. 163.
Potẽtia crucis Chriſti. a. 289. 290. 291.
Potentia crucis diuinitatem Chriſti arguit. a. 287. b. 42.
Potentia nominis Chriſti aduerſus dæmones. a. 331. 332.
Poteſtas Chriſtianorum in dæmones. a. 312. 314. 315. 317. 318. 319. 322. 324. 325.
Poteſtas ordinandi pænes Epiſcopos. b. 264.

Poteſtas abſoluendi a peccatis pænes Sacerdotes. b. 272.
Poteſtas clauium in Eccleſia. b. 70.
Poteſtas Sacerdotū maior poteſtate Imperatoria. b. 78. 263.
Presbyteratus ordo in Eccleſia. b. 114. 125. 133.
Præſentia Chriſti in Euchariſtia. a. 248. 249. 264. 322. b. 151. 152. 153. 166. 272.
Primatus Romani Pontificis olim agnitus. b. 117. 118. 119.
Proculi Sacrilegum facinus. b. 155.
Proculi Arriani mors miſerabilis. b. 92.
Proceſſiones antiquitùs vſitatæ in eccleſia. b. 235.
Prophetiam non poſſe impleri qui dicit, falſitatis illam arguit. a. 23.
Prophetiæ impletio non impeditur pro libero hominis arbitrio. a. 24.
Prophetiæ multæ de Inſularum cōuerſione, in conuerſione Angliæ maximè implentur. a. 202.
Prophetiæ de regum Gentiliū conuerſione. b. 35. 36. 37.
Prophetias de regum conuerſione non verificari in regibus hæreticis ex ſcripturis probat. b. 38.
Proteris Epiſcopi Martyriū. b. 91.
Proteſtantes dicunt ſe ſemper extitiſſe ſed inuiſibiliter. a. 12.
Proteſtantes non poterant eſſe inuiſibiles quia erant viſibiles Catholici. a. 13.
Proteſtantes iugulati in Donatiſtis. a. 14.
Proteſtantes Donatiſtis ipſis abſurdiores. a. 14. 22.
Proteſtantes Donatiſtarum filij. a. 17.
Proteſtantes ideo Scripturas non potuiſſe compleri aſſerunt, quia corrupta natura non potuit perſeuerare. a. 24.
Proteſtantes nullum ſcripturæ locum pro ſua eccleſia proferant. a. 39.
Proteſtantes a nobis exierunt, nos ab illis exijſſe nullo modo probare poſſunt. a. 59.
Proteſtantes oſtendere nō poſſunt quo tempore, quo loco, quo autore ſurrexerūt Catholici, quod tamen nos de illis facile probamus. a. 73.
Proteſtantes Angli in ſuis biblijs pro hæreſes & hæreticum hominem, tranſtulerunt ſectas, & autorem ſectarum, timentes ipſum nomen hæretici. a. 109.
Proteſtantes oſtendere non poſſunt à Chriſti tempore aliquos ſumētes ſibi nomen nouum qui non fuerint ſchiſmatici aut hæretici. a. 113.
Proteſtantes Chriſtianos euertere conantur, Ethnicos euertere non poſſunt. a. 133.
Proteſtantes non vt Paſtores audiendi, ſed vt lupi fugiendi. a. 133.
Proteſtantes nec incœperunt nec compleuerunt Gentium conuerſionem. a. 133.

Prote-

Proteſtantes cooperantur Paganis & Iudæis cõtra Catholicos. a. 275. vſque ad finem motiui.
Proteſtantes patroni dæmonum & Gentilium contra Chriſtianos. a. 321.
Proteſtantes dæmones eijciendi poteſtatem non habent. a. 321. 322.
Proteſtantes illam modo eccleſiam oppugnare, quam olim oppugnabant Iudæi & Gentiles probatur. a. 275. vſque ad finem primi tomi.
Proteſtantes idolorum procuratores & patroni. b. 34.
Proteſtantes tum perijſſe eccleſiam vel ſaltem diſparuiſſe affirmant, quando ſecundum prophetas maximè claruit. b. 39.
Proteſtantes ab ijs fidei articulis receſſerunt quibus olim Chriſti Diuinitas, a Chriſtianis contra Paganos demonſtrabatur. b. 41.
Proteſtantes Iuliani Apoſtatæ imitatores. b. 53. 59.
Proteſtãtes reges, nullam obedientiam eccleſiæ exhibẽt, ſed ſe Caput eius conſtituunt. b. 67.
Proteſtantes feſta Sanctorum eliminant. b. 123.
Proteſtantes dum Catholicos perſequuntur primorum martyrum ſocios perſequuntur. Seque ſocios primorum perſecutorum faciunt. b. 134.
Proteſtãtes in plurimis fidei articulis nobiſcum diſſident. b. 136.
Proteſtãtes inſinuant ſe nulla templa velle habere. b. 140.
Proteſtantes nihil damnant in templis noſtris quod non fuerit in templis primorum Chriſtianorum. b. 150. 151.
Proteſtantes Donatiſtarum imitatores, dum altaria deſtruunt, res eccleſiæ diripiunt. b. 151. 152.
Proteſtantium patres Donatiſtæ & Arriani. b. 151. 152. 153. 154. 155.
Proteſtantes peiores antiquis Hæreticis. b. 165.
Proteſtantes multa noua in officijs diuinis retinent, antiqua multa explodunt. b. 199.
Proteſtantes aliquas Chriſti ſolemnitates & plurimas Sanctorum non obſeruant. b. 219.
Proteſtantes feſtos Sanctorum dies in profanum vſum conuertunt. b. 220.
Proteſtãtes non tam hæretici quam Apoſtatæ. b. 243.
Proteſtantes ſimiæ Catholicorum. b. 244. 247.
Proteſtantes ius omne Sacerdotale Laicis ſubſternunt. b. 263. 264.
Proteſtantes cleri antiqui ordinem mutauerunt. b. 262. 264.
Proteſtantes nec Sacerdotes nec eccleſiam habent. b. 265. 266.
Proteſtantes a noſtris Epiſcopis miniſtros ſuos ordinari cupiunt. b. 266.
Proteſtantes omnes Chriſtianos Sacerdotes eſſe volunt. b. 277.

Pſalmodiæ vſus antiquus in eccleſia. a.259.298. b.46.47.50.92.93. 127.142.143.158.166.217.221.224. 234. 238. 242. 243. 282.
Pſalmorum alternationis in choro origo. b. 222.
Pſeudomartyres Proteſtantium deteſtandi ſunt. b. 134.
Publia S. Chriſoſtomi mater Monaſterio Sacrarũ virginum præfecta. b.127. eiuſdem Conſtantia aduerſus Iulianum. ibidem.
Pulcheria Arcadis Imperatoris filia virginitatem Deo deuouet: ſorores ad idem vitæ inſtitutũ educat. b.49. donaria eccleſijs mittit. alia pia opera facit. ibidem.
Pulcheriæ Sanctus Thirſus apparet. b. 49.

Q.

QVadrageſimæ ieiunium. b.213.
Quadraginta militum martyrum reliquiæ à Pulcheria inuentæ. b.49.
Quartadecimani Heretici qui dicti. b. 255.
Querimonia de locis Sanctis Hieruſalem & Bethleem à Paganis profanatis. b. 12.
Querimoniæ Gentilium de idolorum per Sanctorum cultum abolito. b. 17. 18.
Quinquageſimæ & quadrageſimæ obſeruatio. b. 213.
Quinquaginta ſatellites ad ferẽdum in exercitu crucis vexillũ à Conſtantino electi. b. 57.
Quintiniani Epiſcopi terribilis viſio. b. 259.

R.

REchabitarum vitæ inſtitutum laudabile. b. 318.
Reconciliationis neceſſitas. b. 100. 101.
Regia Theodoſij iunioris Monaſterio ſimilis. b. 48.
Regula ad dignoſcendam Apoſtolicam traditionem. b. 140.
Regum Oſroini & Sigberti erga Epiſcopos obſeruantia. b. 80.
Religionem veram inquirendi neceſſitas. a. 2.
Religio fruſtra quæritur niſi Deus agnoſcatur. a. 8.
Religio S. Auguſtini quænam fuerit. a. 247. 248.
Religio primorum Imperatorum Chriſtianorum merito imitanda. b. 35. 80.
Religionem primorum Imperatorum Chriſtianorum eandem eſſe cum noſtra luculentiſſime demonſtratur. b. 40. 41.
Religioſi in magna olim veneratione apud antiquos. b. 80.
Religionem noſtram eandem eſſe cum religione primorum Chriſtianorum qui pro fide Chriſti paſſi ſunt euidentiſſimè probatur. b. 84. Et deinceps.
Religionem quam olim Monachi profitebãtur fuiſſe veram Chriſti religionem euidentiſſimè probatur. b. 295.

Reli-

Reliquiæ Sanctorũ religioſè a Chriſtianis antiquis honorantur. a. 247. 296. b. 20. 44. 45. 47. 49. 107. 108. 110. 112. 171. 189. 218. vide Sanctorum reliquiæ.

Reliquiæ SS. martyrum Geruaſij & Protaſij Ambroſio reuelantur. a. 258.

Reliquiæ S. Babylæ dæmonibus ſilentium imponunt. a. 304. 306.

Reliquiæ Sanctorũ cur nobis à Deo relictæ. a. 305.

Reliquiarum virtus in reformatione morum. a. 305. 306.

Reliquijs Sanctorum torquentur dæmones. a. 328. b. 44.

Reliquiæ Sanctorum in idolorum templis ad abolendam idololatriam collocantur. a. 304. b. 20.

Reliquiæ S. Chriſoſtomi Conſtantinopolim per Theodoſium iuniorem trãsferuntur. ibique honorantur. b. 45.

Reliquiæ S. Ignatij Antiochiam deferuntur. b. 47.

Reliquiæ S. Polycarpi comburuntur, oſſa eius à Chriſtianis colliguntur. b. 108.

Reliquiæ aliquæ S. Ioannis Baptiſtæ colliguntur à Chriſtianis & religioſè ſeruantur. b. 112.

Reliquiæ S. Ioannis per Gentiles comburuntur, earumque cineres diſperguntur. b. 112.

Reliquiæ Sacræ in eccleſijs collocari, & honorari ſolitæ. a. 304. b. 20. 166. 167. 171. 172. 173. 174. 180. 182. 184. 185. 186. 187. 192.

Reliquiæ Sanctorum in ſupplicationibus portari ſolitæ. b. 235. 236.

Reparatus diaconus exciſsâ linguâ clare loquitur. b. 132.

Reprehenſiones generales quæ aduerſus malos in ſcripturis proferuntur detorquent heretici in eccleſiam Dei vt probent de toto orbe defeciſſe. a. 34.

Reprobatio Iudæorum & vocatio Gentium in eorum locum in vellere Gedeonis præfigurata. a. 130.

Reſeruatio Euchariſtiæ. b. 100.

Reſponſio Auguſtini ad argumenta Donatiſtarum contra eccleſiam. a. 34. 35.

Reſurrectionis feſtum octauo quoque die celebratur. b. 210.

Reſurrectio, & Paſſio Chriſti reliquis omnibus feſtis admiſcentur. b. 211.

Ritus ſepeliendi mortuos. b. 230.

Ritus inungendi morientes. b. 230.

Ritus baptiſmi. b. 231.

Ritus conſecrandi monachos. b. 232. 280.

Ritus hæreticos frequentare illicitum. b. 252. vſque ad fine Motiui.

Ritus in traditione ordinum. b. 270.

Rogatiſtæ & Maximinianiſtæ erant ſchiſmatici Donatiſtarum. a. 20.

Romanorum & Pauli fides eadem.

Romani Pontifices vnum & idem Euangelium Gentibus annunciant. a. 146.

Romæ plurima loca ſancta. a. 213.
Roma Babylon nuncupata. a. 214.
Roma Sancta ſeu alia Hieruſalem. a. 215.
Romana Eccleſia caput omnium eccleſiarum. b. 117.
Rotmanaus Pater Anabaptiſtarum a. 37.

S.

Sacerdotes & Leuitæ in vniuerſo Iſraël deſerunt Ieroboam Schiſmaticum, & tranſeunt ad Iudam, & Hieruſalem. a. 65.
Sacerdotes exemplo maiorum honorandi. b. 32. 47. 48. 49. 66. 80.
Sacerdotes a Sacerdotibus non à Laicis iudicandi. b. 69.
Sacerdotis poteſtas maior quam Imperatoria. b. 78.
Sacerdotium & Lex neceſſariò cōiuncta. b. 262. 278.
Sacerdotes noſtros eſſe Ordinis Apoſtolici & antiquis Sacerdotibus per omnia ſimiles probati. b. 263. 264. 265. 266.
Sacerdotum poteſtas ſupra Laicos b. 263.
Sacerdotium Proteſtantium à quibus ortum, & quale. b. 264. 265.
Sacerdotij cum Eccleſia neceſſaria connexio. b. 265.
Sacerdotij mutationem factam eſſe a Catholicis hæretici nequeunt oſtendere. b. 267.
Sacerdotes & reliqui inferiores ordinis altaris miniſterio deputati. b. 268.
Sacerdotis officium offerre ſacrificium, abſoluere a peccatis. b. 269. 270. 271. 272.
Sacerdotum dignitas. b. 272. 273.
Sacerdotes quo ſenſu appellentur omnes Chriſtiani. b. 277.
Sacramenta conferunt gratiam. b. 93. 154. 234. 283.
Sacramenta nouæ legis à Chriſto eiuſque cruce efficaciam ſuam trahunt. b. 276.
Sacrificium miſſæ pro quibus offerri ſolitum. a. 248. 264. 266. 268. vide miſſæ ſacrificium.
Sacrificium Miſſæ omnia dæmonū ſacrificia aboleuit. b. 25. 269.
Sacrificium miſſæ omnium veteris legis Sacrificiorum complementum. b. 25. 269.
Sacrificati quinam olim dicti. b. 106.
Sacrificia ſoli Deo in memoria tamen martyrum offeruntur. b. 110. 143.
Sacrificium Chriſtianorum vnum. b. 110. 269.
Sacrificium miſſæ incruentum. b. 142. 169.
Sanctorū interceſſio & benedictio. a. 254. b. 18.
Sanctorum orationes pro hominibus apud Deum. a. 269. 244. 302. b. 42. 109. 114. 115. 227.
Sanctorum tutela. a. 270. 299. b. 43.
Sanctorum memoriæ ab eccleſia celebrantur. a. 270. 296. b. 108. 109. 218.

Sancto-

Sanctorum cultus & veneratio. a. 294. 296. 297. 298. 299. b. 17. 18. 42. 44. 45. 46. 47. 107. 108. 109. 112.
Sancti vrbium cuſtodes, & locorum præſides. a. 297.
Sanctorum Chriſti eorumque reliquiarum miraculoſa potentia diuinitatis Chriſti argumentum. a. 300.
Sanctorum inuocatio. a. 298. b. 18. 43. 46. 60. 109. 132. 173. 184. 190.
Sancti auxiliantur in bello contra inimicos fidei. b. 61. 62. 63.
Sanctos vt Deos a Chriſtianis primitiuis coli, Iudæi, & Gentiles falſo arbitrabantur. b. 107.
Sanctuarium, eiuſque vſus in eccleſia. b. 161. 168. 169. 173. 174.
Sandeſius populo prædicat Chriſtũ non in Cruce, ſed in vulgari omnium Gẽtium patibulo mortuum eſſe. a. 279.
Sapor Rex Perſarum Chriſtianos perſequitur. b. 133.
Satanas interdum ſe transfigurat in angelum lucis. a. 242. 243.
Schiſma habetur omnis ſeparatio ab orbe Chriſtiano. a. 19.
Scripturæ ipſæ Sacræ quas ſolas requirunt hæretici oſtendunt noſtram non ipſorum eſſe veram eccleſiam. a. 11.
Scriptura vniuerſa commendat nobis Chriſtum viſibilem, & eccleſiam viſibilem. a. 12. 19.
Scripturas obſcuras tantum contra Eccleſiam proferunt hæretici. a. 39.
Scripturas manifeſtas pro eccleſia proferunt Catholici. a. 39. 40. 43. 44.
Scripturæ Canonicæ ſolùm, non ſufficiunt in quæſtione religionis. b. 38.
Scripturis probatur Hæreticorum reges non eſſe illos quorum Conuerſio a Prophetis prædicta eſt. b. 38.
Scripturæ Sacræ ſub Diocletiano à Gentilibus combuſtæ. b. 144.
Scripturarum ſacrarum diligens cuſtodia. b. 149.
Scotorum miracula. a. 199.
Sebaſtiani Ducis crudelitas. b. 125.
Sebaſtianus Comes à Genſerico occiſus quia ſe profeſſus eſt Catholicum. a. 94.
Securitas multos decipit. a. 1.
Seductores tempore Chriſti. a. 56.
Seminatur prius triticum, poſtea zizania, prius veritas, poſtea hereſis. a. 75.
Sepulchrum Chriſti Regum Palatijs auguſtius, & venerabilius. a. 48.
Sepulchrum Chriſti a Chriſtianis veneratur. a. 213. 294.
Sepulchra Martyrum, eorumque veneratio. a. 213. 294. b. 42. 45. 47.
Sepulchra Sanctorum ad eorũdem Sanctorum æmulationem nos prouocant. a. 305.

Sepultura Chriſtianorum ſolemni ritu fieri ſolita. b. 93. 95.
Serapionis miraculoſa mors. b. 100.
Signum crucis, & miracula per illud facta. b. 27. 28. 93. vide crucis ſignum.
Signum crucis à Conſtantino Romæ erectum. b. 56.
Signum crucis fronti imprimit Conſtantinus in omnium conſpectu. b. 56.
Signum crucis Conſtantino eiuſque exercitui in aëre apparet, hac inſcriptione, In hoc vinces. b. 57.
Signum crucis exercitui ſuo præferri iubet Conſtantinus. b. 57.
Signo crucis Conſtantinus primo Maxentium. a. 290. b. 56. deinde Licinium. b. 57. demum Scythas debellat. b. 58.
Signatio frontis inter baptizandum. b. 92.
Signum crucis eiuſque frequens vſus in baptiſmo, confirmatione, multiſque alijs. b. 175. 193. 232. 234. 280.
Signo crucis curantur morbi. a. 288. dæmones fugantur. a. 289. 321. 331.
Sigberti Regis Angliæ mors. b. 80.
Simeonis Archiepiſcopi, & aliorum centum martyrium. b. 133.
Solemnitates martyrum. a. 299. b. 44. 49. 217. 218.
Spes ſubuerſionis eccleſiæ vana. a. 54.
Spiritus Sanctus & exterius aſſiſtit, & interius ſanctificat. a. 152.
Spiritus donum in Confirmationis Sacramento peculiariter datur. b. 122.
Statuam Chriſti Iulianus Apoſtata deturbat, ſuamque eius loco collocat. b. 16.
Statua Iuliani delapſo cœlitus igne deijcitur. b. 17.
Statua Chriſti à Gentilibus confracta, a Chriſtianis colligitur, & & in eccleſia collocatur. b. 17.
Stephanus Protomartyr mortuum catechumenum vitæ reſtituit. b. 116.
Subdiaconatus ordo antiquus in eccleſia. b. 124. 125. 126.
Succeſſores Ludouici Regis Galliæ, & S. Edoardi Regis Angliæ, miras ſanitates operantur. a. 189.
Suffitus in eccleſijs. b. 161. 168. 169. 173.
Superſtitio Iudæorum in curandis morbis. b. 18. 19.
Supplicationes Imperatorum ad Sepulchrum D. Petri. b. 42.
Supplicationum ſeu proceſſionum antiquus vſus in eccleſia. a. 269. b. 234.
Superior ab inferiori non eſt iudicandus. b. 69.
Synagoga Iudæorum nec modo inuiſibilis eſt. a. 48.

T.

Tabernaculum crucis Conſtantinus extra caſtra erigit, eoq; pro

pro oratorio vtitur. b. 170.
Tabernacula in quibus res diuina fieret, a militibus erecta. b. 170.
Templi deſolatio eccleſiæ durationem confirmat. a. 52.
Templum à Romanis deſtructum nũquam reædificari potuit. a. 52.
Templa in honorem martyrum. a. 298. 299. 328. b. 20. 47. 48. 54. 89. 109. 126. 167. 174. 175.
Templa Hieroſolymis per S. Helenam erecta. b. 11. 13. 15.
Templorum olim magnificentia. a. 298. b. 39. 48. 54. 89. 146. 164. 174.
Templa noſtra, & primorum Chriſtianorum, quoad ornatum, & apparatum Calicum, imaginum vniformia ſunt. b. 144. vſque ad finem Motiui.
Templorum antiquiſſimorum in Anglia enumeratio; à quibus ædificata, & quorum fuerint oſtenditur. b. 142.
Templorum vaſtatio per Gentiles & Hæreticos. b. 144. vſque ad 166.
Templa Chriſtianorum Dominica olim appellata. b. 146. 147.
Templorum ædificatio diuinitatis Chriſti argumentum. b. 142. 143. 147. 148.
Templorum per Chriſtianos ædificatio à Prophetis prædicta. b. 148.
Templa in honorem ſacrarum reliquiarum extructa. b. 166. 167.
Templorum dedicationes, conſecrationes. b. 167. 168. 169. 187.
Templum Sepulchri Dominici à Conſtantino Hieroſolymis erectum, muneribuſque ditatum. b. 168.
Templum in honorem S. Crucis à Conſtantino erectum. b. 170.
Templa in honorem B. Mariæ Virginis erecta. b. 172. 174. 180.
Templa olim ob eorum reuerentiam pro azilis habebantur. b. 176.
Templorũ ornatus qualis olim fuerit. b. 184. 185. 190. 191.
Templa ab hæreticis poſſideri olim prohibitum. b. 194.
Templorum decem millia per hæreticos in Gallia euerſa. b. 195.
Terra cui Chriſtus aſcendens veſtigia impreſſit nunquam potuit pauiri. b. 11. 173. eiuſdem terræ miraculoſa multiplicatio. ibid.
Teſtimonijs manifeſtis in probanda eccleſia vtendum, non figuratiuis. a. 21.
Teſtimonia Prophetarum de Eccleſia quæ vera eſſe fatentur hæretici, impleri non poſſe contendunt. a. 23.
Teſtimonium Chriſti de Eccleſia adeo manifeſtum vt qui in hoc erret ſibijpſi imputet. a. 26.
Teſtimonijs obſcuris & ænigmaticis contra eccleſiam vtuntur hæretici. a. 39. 48.
Teſtimonijs manifeſtis probant ſuam Eccleſiam Catholici. a. 39. 40. 43. 44.

Teſtimonium oculorum ad perſuadendum alias rationes ſuperat. a. 58.

Tertullianus & Irenæus Hæreticos reuincunt ex prioritate. a. 76. 77.

Theodoſius iunior reliquias Sancti Chryſoſtomi Conſtantinopoli transfert, ad eas orat pro parentibus defunctis. b. 45.

Theodoſius ſenior Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi reliquias Conſtantinopolim transfert eaſque honorat. b. 45.

Theodoſij ſenioris & ſororum eius religio, & pietas. b. 48.

Theodoſij iunioris Regia Monaſterio ſimilis. b. 48.

Theodoſius iunior a quodam excommunicatus noluit cibum ſumere priuſquam abſolueretur. b. 50.

Theodoſius iunior idolorum templa, eorumque memoriam penitus extinguit. b. 51.

Theodoſius ſenior excommunicatus à S. Ambroſio humillimo paruit. b. 51. 71.

Theodoſij ſenioris miraculoſa victoria. b. 61.

Theodoſius ſenior Iouis ſimulachra demolitur. b. 62.

Theodoſij ſenioris publica pœnitentia. b. 70.

Theodoſij mandato ſeptem millia hominum Theſſalonicæ interfecti. b. 72.

Theodoſij ſenioris humilitas, & obedientia. b. 73. 74.

Theodoſij martyrium. b. 114.

Theopaſchitarum hæreſis vnde orta. b. 202.

Thuribula, eorumque vſus. b. 176.

Tonſura Hijenſium Monachorum. a. 227.

Tonſura clericalis. a. 270.

Traditio. b. 140. 232.

Tranſitus eccleſiæ à Iudæis ad Gentes. a. 27.

Tranſlatio reliquiarum SS. Andreæ Lucæ, Timothæi per Conſtantinum, & S. Gamalielis per Arcadium. b. 44.

Tranſlatio reliquiarum magna olim cum ſolemnitate fieri ſolita. b. 44. 45.

Tranſlatio capitis S. Ioannis Baptiſtæ Conſtantinopolim. b. 46.

Trinitarij in Polonia Symbolum Sancti Athanaſij blaſphemant. b. 200.

Tutela Sanctorum. a. 270. 299. 300. b. 43. 61.

V.

Valentis Imperatoris Arriani filius ob contumeliam Baſilio Magno irrogatam grauiter morbo afflictatur. a. 181.

Valentinianus ſenior ſe laicum eſſe, ideoque non licere ſibi in eccleſiaſticis negotijs ſe interponere fatetur. b. 68.

Valentinianus ſenior electionem Epiſcopi Mediolanēſis ſibi oblatam reſ-

tam reſpuit. b. 68. talem eligi cupit cui caput ex animo inclinet, & cuius repræhenſionem amplexetur. b. 68.
Valentinianus ſenior Concilium Nicænum approbat. b. 68. 69.
Valentis Imperatoris in Catholicos ſæuitia. b. 68. 128.
Valens Imperator ad fidem conuerſus per Sanctum Baſilium, redit ad vomitum. b. 129.
Vandalorum impia facinora. b. 156. 157. 158. 159.
Vaſa ſacra, eorumque vſus in eccleſia. b. 90. 146. 153. 161. 162. 163. 164.
Vaſa ſacra templorum ſumptuoſa olim fuerunt. b. 162. 163. 164. 176.
Vaſa ſacra templorum ad redimendos captiuos, & alios pios vſus conflari ſolita. b. 163. 164. 165.
Vates Deorum Gentilium à ſpiritibus immundis obſeſſi putantur. a. 327.
Velamen virginibus ſacris dari ſolitum. b. 310.
Vellus Gedeonis, electionis & reprobationis Iudæorum figura. a. 130.
Veneratio Sanctorum. a. 294. 296. 297. 298. 299. b. 17. 18. 42. vide Sanctorum cultus.
Verecundiam eorum quos vexant dæmones reuelare non permittuntur. b. 22. 23.
Veſtigia Chriſti aſcendentis terræ impreſſa nunquam tegi marmore potuerunt. b. 13. 14. 173.
Via quam tenuerũt qui ſunt beati, tutiſſima. a. 3.
Viaticum Dominici Corporis & Sanguinis morientibus dari ſolitum. a. 264. b. 106.
Victor quartus contra Alexandrum tertium Antipapa poſt mortem multas virtutes operatur, vt ſcribunt Germani. a. 200.
Vigilantium à dæmone poſſeſſum S. Hieronymus arbitratur. a. 328.
Victoriæ aliquot celebres, & miraculoſæ primorum Chriſtianorum Imperatorum. b. 57. vſque ad 62.
Virgines Deo Sacræ. b. 49. 51. 52. 53. 54. 55. 91. 124. 125. 126. 127. 129. 130. 131. 133. 157. 158. 232. 274. 282. 287.
Virginum conſecratio. b. 232.
Virginitas vitæ coniugali præferenda. b. 292.
Virginitatis honor in noua lege. b. 295.
Viſibilitas eccleſiæ oſtenditur. a. 12. 36. 50. 203. 239. 294.
Viſibiles ſunt doctores eccleſiæ ſemperque fuerunt. a. 157.
Viſionum autoritas diuina eſt. a. 233.
Viſionibus Deus approbauit Chriſtum & Apoſtolos, eorumque doctrinam. a. 233. & deinceps.
Viſiones de Chriſto. a. 233.

Viſiones de reſurrectione Chriſti. a. 234.

Viſiones multæ & mirabiles D. Pauli. a. 235. 236. 237.

Viſio D. Petri admirabilis. a. 239.

Viſiones Apoſtolorum nobis contra Proteſtantes & omnes hæreticos ſuffragantur. a. 239.

Viſionibus fundata eſt Eccleſia viſibilis. a. 239.

Viſionibus quibuſdam particularibus eccleſia viſibilis in æternum deſignatur. a. 239.

Viſiones quando approbandæ. a. 240.

Viſiones & miracula hæreticorum vel ſunt hominum figmenta vel dæmonum portenta. a. 240.

Viſio diuina pro interceſſione Sanctorum defunctorum. a. 244.

Viſio S. Monicæ de Auguſtini conuerſione. a. 245.

Viſio mirabilis Sancti Auguſtini. a. 246.

Viſiones S. Cypriani. a. 250.

Viſiones D. Martini multæ, & miræ. a. 253.

Viſio Sulpitis de Sancto Martino. a. 254.

Viſionibus admonetur Helena vt crucem Chriſti quærat. a. 257.

Viſio diuina de morte Caſſij Narnienſis Epiſcopi presbytero cuidam facta. a. 265.

Viſiones D. Gregorij Magni. a. 267.

Viſio Copioſi de fratre ſuo Iuſto.

Viſiones Ricardi Allingtoni. a. 271.

Viſio miraculoſa de comburendis libris Caluinianæ communionis. a. 272.

Viſio de communione Hæreticorum. a. 272.

Viſio Culpeperi Angli. a. 272.

Viſio cuiuſdam alumni Collegij Duaceni. a. 273.

Viſiones de perſecutione Vandalica futura. b. 155.

Viſio S. Antonij. b. 156.

Viſiones admirabiles Ketelli. a. 330. 331.

Viſio Conſtantini Magni, & totius eius exercitus. b. 57.

Viſio Theodoſij ſenioris. b. 61.

Viſio Probiani ſatellitis. b. 171.

Viſio Euagrij & aliorum. b. 175.

Viſio Quintiniani Epiſcopi, de futura perſecutione Arrianorum. b. 259.

Vita bene peracta aliud nihil coram tribunali Chriſti hominem iuuat. a. 2.

Vitæ Sanctorum per noſtros ſcriptæ. b. 123.

Vitas Sãctorum legere vtiliſſimum. b. 123. 306.

Vltionis diuinæ exempla. b. 6. 87. 147. 154. 155. 162.

Vnio cum eccleſia neceſſaria. a. 18.

Vna eſt eccleſia quæ Catholica nominatur. a. 92.

Vocatio Gentium nunquam intermittitur. a. 157.

Vota

Vota Deo & Sanctis nuncupari ſolita. a. 301. b. 175. 180. 294.
Votiua Chriſtianorum dona in Eccleſijs ſuſpenduntur. a. 301. b. 49.
Vſuræ reſtituendæ. a. 271.
Vtilitas Monachorum in eccleſia Dei. b. 301. 302. 303. 304.
Wilfridi reſponſum ad Scotos de obſeruatione Paſchæ. a. 199.
Wilbrordus Anglus, Phriſiæ Apoſtolus, Romam ad obtinendam Apoſtolicam benedictionem & reliquias Sanctorum Petri & Pauli proficiſcitur. b. 20.

Z.

Zeno nouam doctrinam, & viuendi rationem apud Græcos induxit. a. 54.

FINIS.

OPERIS HVIVS EDITIONEM PRIMAM ROBERTVS MAVDHVY, SEXTO IDVS MARTIAS ANNO M. D. C. VIII.
ABSOLVIT.

ERRATA SIC CORRIGAS.

IN PRIMO TOMO.

Pagina	*linea*	*lege*	*Pagina*	*linea*	*lege*
8.	30.	propitio.	51.	24.	ego.
21.	7.	inquit.	185.	2.	donata.
31.	37.	exierunt.	294.	8.	Eccleſia.
44.	12.	ſine.	308.	9.	adumbrare.

IN SECVNDO TOMO.

50.	25.	conſuetudinis.	216.	13.	Memphitica tellus.
80.	15.	Smyrnenſi.	240.	16.	nulloque.
	16.	Abagaro.	257.	17.	Sic ab.
91.	19.	hebdomada.	254.	11.	Catholica.
95.	21.	tempeſtate.	256.	11.	alia.
109.	8.	Hunnerico.	281.	20.	ipſe.
118.	2.	Magnus.	282.	5.	irritatus.
132.	27.	commanentes.	300.	14.	regnum.
156.	3.	Altari.	302.	13.	confectam.
159.	23.	abijſſent.	303.	31.	reſponſum.
160.	13.	lychnos.	311.	3.	iudicia.
178.	8.	cura.		15.	Neque enim.
187.	35.	miramur.	313.	25.	venundatum.
205.	13.	conſecrandi.	317.	23.	reuertentibus.

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

QVI hac ætate viuimus, lector Chriſtiane, non tantùm videmus facilè, ſed etiam moleſtè & grauiter experimur, malorum & turbarum plenos eſſe dies noſtros; idque propter quaſdam de Religione quæſtiones, intra ſexaginta annos à Luthero eiuſque ſequacibus excitatas. Vnde, licèt maxima Chriſtianorum hominum pars adhæreat vſque conſtans & immota Religioni illi, quam ſolam Chriſtianorum omnium ipſiuſque adeò Lutheri ante ſeceſſionem ſuam fuiſſe, in confeſſo eſt: plurimi tamen alij penitus ſunt abrepti; multi etiam vacillant, interque Deum & Baal, vel ignari vel incerti quem ſequantur, hæſitant. Singulorum iſtorum generum, defuncti ſunt iam hac vitâ poſt initia tumultuum innumeri; atque ad illa peruenerunt loca, vbi, quis hic rectum tenuerit, quis à recto deuiauerit, ſinguli experiuntur. Nos quoque ad vnum omnes idem caſus manet, iſtâ enim viâ caro vniuerſa graditur. Conditio grauis ac luctuoſa: cum vitam hanc tranſegerit quis (vt ſibi viſum eſt) in ſecuritate, demergi vno ſtatim momento, vel pertinaciæ causâ, vel negligentiæ, vel ignorantiæ, in æternum ignem, ſine fine, ſine ſolatio, ſine leuamine, ſine ſpe, continuo flêtu & ſtridore dentium.

Similia mala, animarumque pericula extiterunt (vti ſcimus) prioribus quoque ſeculis frequentiſſima: nulla ferè ætas, per mille hos iam & ſexcetos annos, quæ huiuſmodi calamitate vacauerit: imò pleræque ætates varijs generibus, magniſque cumulis eiuſmodi calamitatum miſerabiliter afflictæ, & grauiter oppreſſæ ſunt. Quod quidem planè ita fore prædixit & præmonuit Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus, eiuſque Apoſtoli. *Mat. 24. 2. Tim. 3. 2. Pet. 3. Iud. epiſt.*

Simon Magus, eiuſque diſcipuli, ipſo Apoſtolorum tempore, quas turbas dederunt? Nicolaitas, & pſeudoapoſtolos ipſa ſacra Scriptura commemorat. Deinde verò antiqui Patres, Clemens, Irenæus, Euſebius, Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus, & alij, quantam præterea Hæreticorum cateruam memoriæ prodiderunt? Ebionitæ, Valentiniani, Montaniſtæ, *Apoc 2. Epiſt. Pauli & cæterorum.*

 Noua-

Nouatiani, Sabelliani, Manichæi, Donatiſtæ, Ariani, Macedoniani, Pelagiani, Neſtoriani, Eutychiani, Monothelitæ, & ſexcenti alij varijs temporibus varias tragœdias excitarunt. ita vt vix vlla particula, vix vllus articulus totius Fidei ſit, quin aliquem aliquo tempore inuenerit aduerſarium. Tamque plauſibilis viſus eſt ad tempus iſtorum conatus, vt ſinguli ferè greges & armenta ſecum traxerint ſectatorum, plurimoſque alios fecerint fluctuare.

Quinam iſtorum omnium probandi fuerint, qui rurſus improbandi, non hîc definio. Illud verò identidem ſubmoneo, receſſiſſe eos iam de medio, & recepiſſe ſingulos pro meritis, tam eos qui vento quolibet ſeſe dimoueri noluerunt, quàm eos qui flatibus ipſis ſeſe excuti permiſerunt. Noſque iam poſt illos in ſcena ſumus: ſed inſtat in proximo ſua cuique ſubductio, & mox diſtricto Iudici reddenda ratio, quo quiſque modo partem ſuam egerit: adeoque & in dies, & in horas accerſuntur aliqui. Moxque vt tribunali quis ſiſtitur, ſententiam de ſe Iudicis audit, pergrauem illam quidem & importabilem, ſi eius ſic merita poſtularunt. Ac tum pœnitere, ſerum: rerum tum humanarum conſueta quærere ſolamina, prorſus caſſum. Non tum puluillos cubitis licebit aſſuere. Non tum vana profuerit quicquam gloria, non ſplendor veſtium, non magnitudo redituum, non magnificentia ſtructurarum, non libido, non patrimonia, non regna & imperia, nihil denique rerum terrenarum omnium opulentia, quarum inani ſpecie ſtulti hîc quilibet capiuntur, pro momentanea earum vmbra corpus æternæ vitæ dimittentes. Quod vnum ſi ſeriò & ſedulò cogitemus, nonne eos cenſemus nunc fœlices, qui in illis ſuperioribus ſimilium procellarum periculis viam rectam inuenerunt, nullaque cupiditate, nullo metu deduci de ea potuerunt? Et eos rurſum nunc miſerrimos, qui prædictarum vmbrarum ſtudio vaniſſimo, relictâ viâ, ſecuti ſunt deuia? Nos igitur etiam, qui hoc tempore in ſimili verſamur periculo & ſempiterno animarum diſcrimine, non expergiſcemur? non excutiemus ſocordiam, non veram religionem ſtudioſiſſimè inquiremus?

Non ego nunc cum illis inſipientibus ago, qui dicunt in corde ſuo, & quidam impudentiores etiam in ore ſuo, Non eſt Deus, Non Chriſtus, non anima, non cœlum, non infernus, non via recta, non peruerſa. quorum, heu, nimis plena ſunt omnia. Neque cum illis ago, qui viam nullam ſic peruerſam putant, quin ad cœlum ferat. Quorum hominum vaniſſimorum genera omnia, quantumcumque in ſuis oculis ſapientes ſibi videntur, habent proculdubio omnem ſanam rationem, omnem veram ſapientiam, & (quæ inter Chriſtianos eſt penitus irrefragabilis) Diuinam omnem

Scripturam, ſibi prorſus aduerſam. Vbi enim de Nicolaitis & ſimilibus eadem Scriptura loquitur, quam quæſo illis relinquit ſpem ſalutis? Hos igitur euaneſcentes in ſtultiſſimis cogitationibus ſuis prætermittens parumper, alios interim conuenio qui Scripturis credunt, ideoque non ambigunt, quin in prioribus illis ſeculis quidam viam quæ ad cœlum duceret, tenuerint; alij verò ſequuti errores præcipitarunt ſe in æternum Gehennæ ignem. Itaque hos interrogo (ſaltem ſi animas ſuas pluris æſtimant quam mammona ſuum mox deſerendum) vtrum eis placeat harum rerum tam ſalutarium, tam neceſſariarum cognitionem capere, vt rectum iter aggrediantur, & obliquos calles vitent? Antiqui illi, quos dixi in ſimiles incidiſſe tempeſtates, defuncti ſunt, nec habent iam relictum aut deliberandi aut pœnitendi locum. Nos autem ſumus, qui vt grauiſſimè periclitamur, ita conſilij de ſalute noſtra capiendi breue adhuc tempus habemus. Quod ſi fortè in illorum incidere veſtigia poſſemus, qui iam defuncti periculis portum vitæ æternæ tenent, ſalua nobis res eſſet. At ſi aliorum deuia ſequamur ad inferos deducentia, actum de nobis & ſalute noſtra in æternum eſt.

Hoc igitur loco vtiliſſimum foret didiciſſe; quam illi qui nunc ſecuri in cælo agunt, viam tenuerint tum cum & ipſi in periculo erant. Nam diuerſis quoque ipſorum temporibus quæſtiones plurimæ atque maximæ (vt dixi) à Nouatoribus excitatæ ſunt. Ac ſemper extiterunt aliqui altitudine ſcientiæ admirabiles viri, qui de rebus ſingulis controuerſis accuratè diſſerendo veritatem eruerunt, & inſipientiam aduerſariorum manifeſtarunt. Sed hi pauciſſimi fuerunt, ſi cum cætera turba comparentur: & via ipſa longiſſima fuit tum docentibus, tum diſcentibus; ita vt pleriſque, antequam eam confeciſſent, de hac vita fuerit exeundum, idque ad certiſſimam condemnationem, ſi abirent incerti. Quapropter doctiſſimi quidam & ſapientiſſimi Maiorum noſtrorum vias alias & communiores, & breuiores, & omnino meliores indagandæ veræ religionis animaduerterunt, eaſque propter tunc præſentia, & poſt futura periculoſa tempora poſteris tradiderũt. vellet modò quis libenter viam cognoſcere, & cognitam tenere: ſatis erat, nihil aliud requirebant.

Et hac nunc ætate noſtra ſimiliter, certiſſimè ſciunt rerum periti, & planiſſimè perſpexerunt qui quærendi adhibuerunt diligentiam: effectus quoque ipſe, reuocatis (laus Deo) innumeris animabus ab errore, euidentiſſimè declarauit: Catholicos, quoad huius infelicis ſeculi noſtri controuerſias, ſufficientiſſimè & manifeſtiſſimè demonſtraſſe, quòd veritas fidei ac religionis per omnia & ſingula ſtet cum ipſis: ſcriptis nimirum varijs

per varios voluminibus de rebus ipſis ſingulis controuerſis, non ſolùm in Latina lingua, verumetiam in plurimarum Gentium vulgaribus atque vernaculis. In noſtra certè Anglicana (vt de ea nominatim loquar) fecerunt id Catholici aliquot doctiſſimi Gentis noſtræ, per pleraſque controuerſias, tam eruditè, tam copioſè, tam ſolidè, vt eorum aduerſarij, eiuſdem noſtræ Gentis hæretici, conſcij ſibi quòd nihil poſſint contradicere, non ſint auſi, ad pleroſque eorundem Catholicorum libros vel attentare reſponſionem: ſed coacti ſint cum ſummo ſuo dedecore à Regina edictum petere, catholicos libros omnibus interdicens; cum tamen Hæretici ipſi tunc Catholicos noſtros ſilentes ad ſcribendum confidentiſſimè prouocaſſent. Quantumque attinet ad paucos illos, quibus reſpondere conati ſunt, tantam dederunt in reſponſis copiam, tantos aceruos apertiſſimorum & impudentiſſimorum mendaciorum, vt Angli plurimi omnium ordinum, examinatis diligenter ijſdem reſponſis, ad Catholicam fidem ſint conuerſi, qui (vt veriſimile eſt) ſolis Catholicorum libris legendis conuerti nunquam voluiſſent.

Vide, an vnum hoc non ſit idoneum motiuum.

Hæc omnia vel ſunt, vel eſſe poſſunt cognita & perſpecta omnibus veritatem ſcire cupientibus, aut animas ſuas ſaluare curantibus. Cæteri, qui oculos ſuos claudunt, & videre iſta nolunt, non alij ſunt, quàm quos D. Paulus intelligit, vbi dicit: Quòd ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum: in ijs qui pereunt eſt opertum, in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti.

2. Cor. 4.

Neque tamen omnes ego vel Gentis meæ, vel aliarum adhuc conuerſos, huiuſmodi eſſe puto. Nam probè equidem ſcio, quoſdam eſſe qui libros prædictos non habent, nec habere poſſunt: quoſdam, quibus non vacat eos perlegere: quoſdam, quibus tam multa volumina, vel vnum etiam quoduis eorum percurrere, nimis moleſtum videtur: quoſdam denique, qui pleraque eiuſmodi ſcripta, nimis ipſorum tarditati difficilis vel argumenti, vel tractationis exiſtimant. Quibus tamen fortaſſe omnibus vel optabile eſt, vel placeret ſaltem diſcere, ſi commodiorem, breuiorem, faciliorem viam cernerent.

An. 1574.

In talium igitur gratiam, ſcripſi ego anno ſuperiori Anglicè: Et, quia id intelligo, operante Deo, plurimis meis popularibus profuiſſe, idem, eodem adiuuante Deo, adgredior latinè, ſed penè nouo & longè (vt ſpero) meliori opere: vt quales dixi veritatis inueniendæ vias aperiam & oſtendam plurimas, certiſſimas, planiſſimas, ſimulque breuiſſimas: in quarum etiam vnaquaque, ſi quis laborem & longitudinem reformidat, veritatem quam

quam quærit inueniet: nec tamen, ſi vniuerſas perambulare dignabitur, nimis prolixum comperiet aut moleſtum. Quin & hoc inſuper addo, quòd, licèt vni integro aliorum autorũ qui de ſingulis tractant Catholicæ religionis articulis, libro legendo incumbas, tantum vnam, aut certè non multas veritates addiſces; imò nec legendis illis omnibus, niſi certas quaſdam addiſces veritates, vt de venerabili Sacramento, de Primatu, de Purgatorio, de Confeſſione, alijſque paucis; ideóque iſtis veritatibus cognitis & receptis, remanere poteris de alijs dubius & incertus: at verò hoc noſtrum legens volumen, imò & quodlibet ferècius capitulum, veritates planè vniuerſas addiſces, nec eas ſolùm de quibus hodie tantis diſſentientium animorũ contentionibus diſceptatur, verùm etiam alias omnes, de quibus vel olim fuit, vel inpoſterum eſſe queat inter Chriſtianos digladiatio.

Non hæc, ſi mihi bene conſcius ſum, fiducia proprij loquor ingenij, nec mei ipſius commendandi libidine. Sed profectò ita eſt, vt Catholicæ fidei contra omnes hæreſes præiudicia, præſcriptiones, & firmamenta exiſtant innumera & inuicta: mihique contigit, Diuinâ ſic præter mea merita ordinante clementia, per annos iam multos contubernio frui cuiuſdam viri Catholici & noſtratis, maxima pietate, ſapientia, doctrina, multiſque alijs Dei pretioſiſſimis donis præditi, quo quidem eiuſque ſimilibus miſerrima noſtra Anglia non eſt digna. Cuius ego viri familiares & quotidianos de rebus hiſce ſermones, quemadmodum cum ſumma admiratione, ita cum omni diligentia & attentione audire conſueui. Animaduerti autem facilè, poſtea mecum omnia cogitans & pependens, eaſdem viri ſapientiſſimi veritatis methodos, etiam Antiquorum Patrum in ſimilibus hæreticorum temporibus extitiſſe. Nam & ipſorum quidam (vt præmonui) præter ſpeciales rerum ſingularum defenſiones ex proprijs cuiuſque rei locis depromptas, quædam generaliora totius eruendæ veritatis quaſi loca populis demonſtrarunt: eaque doctis indoctiſque communia; quorum adminiculo vtrique veram religionem facillimè inuenirent, & in ea ſe iuſtiſſimè continerent. Talia multa D. Auguſtinus ſimul interdum coaceruat: vt vbi Manichæos, quorum ſemel ſectæ fuit, ſic alloquitur:

In Catholica Eccleſia, vt omittam ſinceriſſimam Sapientiam, ad cuius cognitionem pauci ſpiritales in hac vita perueniunt, vt eam ex minima quidem parte, quia homines ſunt, ſed tamen ſine dubitatione cognoſcant: (cæteram quippe turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.) Vt ergo hanc omittam Sapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis: multa ſunt alia quæ in eius gremio me iuſtiſſimè tenean. Tenet conſenſio populorum atque gentium. Tenet authoritas *Cõ ep. fund. cap. 4.*

,, miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet
Ioan. 2. ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt Reſurrectionem
,, Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum Succeſſio Sa-
,, cerdotum. Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa
,, inter tam multas Hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, &c. Et alibi ad
eoſdem Hæreticos ſic rurſus ait: Chriſto eſſe credendum, credidi famæ,
De vtil. cred. cap. 14. celebritate, conſenſione, vetuſtate roboratæ. Vos autem & tam pauci, &
tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium eſt, quin nihil dignum autho-
,, ritate præferatis. Hoc autem eſt, quod etiam Vincentius Lirinenſis Scrip-
Com Proph. omn. ũ hær. nouationes, ca. 3. 38. Cap. 1. tor notiſſimus monet, Sequendam eſſe in omnibus vniuerſitatem, Anti-
quitatem, Conſenſionem. & eſſe hanc certam, & quaſi generalem, ac re-
gularem viam, qua poſſit quis catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pra-
,, uitatis falſitate diſcernere, hæreticorum exurgentium fraudes deprehende-
,, re, laqueoſque vitare, & in fide ſanus atque integer permanere. Et, cum
,, ſæpè magno ſtudio & ſumma attentione perquireret à quamplurimis ſan-
,, ctitate & doctrina præſtantibus viris, id ſe ſemper reſponſum ferè ab omni-
Cap. 14. de vtil. cred. bus retuliſſe. Porrò D. Auguſtinus paulo poſt prædicta etiam hæc ſubiun-
git; quæ in hoc genere his qui ſalutem ſuam non nimis negligunt, ſola ſuf-
ficerent: Chriſtus, inquit, afferens medicinam, quæ corruptiſſimos mores
,, ſanatura eſſet, miraculis conciliauit authoritatem, authoritate meruit fi-
,, dem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem,
,, vetuſtate roborauit Religionem, quam non ſolùm Hæreticorum ineptiſ-
,, ſima nouitas fraudibus agens, ſed nec Gentium quidem veternoſus error
,, violenter aduerſans, aliqua ex parte conuelleret. Sed & ante hos antiquiſ-
Iren. præf. li. 3. ſimus ſcriptor, & martyr glorioſiſſimus Irenæus, tertij libri ſui Contra
Hæreſes argumentum proponens: In hoc autem tertio, inquit, ex Scrip-
,, turis inferemus oſtenſiones &c. Sed & præterquam opinabaris, ad arguen-
,, dum & euertendum eos qui quolibet modo malè docent, occaſiones à nobis
,, accipies, &c. pleniſſimam habebis à nobis aduerſus omnes Hæreticos con-
,, tradictionem, & fiducialiter ac inſtantiſſimè reſiſtes eis, pro ſola vera ac
,, viuifica fide, quam ab Apoſtolis Eccleſia percepit, & diſtribuit filijs ſuis.
Denique de pleniſſimis huiuſmodi contra omnes hæreticos exceptionibus,
& iuſtiſſimis cauſis ſemper atque in omnibus credendi Catholicis, eſt inte-
Aug. Tertul. Vinc. lir. ger liber Auguſtini, De vtilitate Credendi: eſt integer liber Tertulliani,
,, De præſcriptionibus aduerſus Hæreticos: eſt integer liber Vincentij Liri-
nenſis, Contra prophanas omnium hæreſeôn nouationes. Quos libros
opto & hortor omnes verſare diligentiſſimè, quibus cognitio veritatis &
ſalus animarum ſuarum cordi curæque eſt.

Quænam

Quænam autem eiuſmodi rationes ſeu Motiua fidei Catholicæ contra hæreſes, ex dictis libris, eorumque ſimilibus, decerpi poſſint: propoſitum mihi eſt, in hoc ſcripto, cum Dei adiutorio indicare; ſimul autem & è ſacra Scriptura ac veriſſima ratione dilucidè demonſtrare, in ſingulis eorum tantum eſſe ponderis ac momenti, quantũ homines ſuæ ſalutis amantes iuſtiſſimè debeat commouere ad credendum nobis, & non Lutheranis, Caluiniſtis, Anabaptiſtis, Proteſtantibus, Puritanis, Trinitarijs, vel alijs quibuſcumque hæreticis quocumque nomine cenſeantur. Hoc, inquam, in ſingulis huius libri capitulis demonſtrabitur. In omnibus autem pariter capitulis euidentiſſimè apparebit, nihil prorſus eſſe, quod quidem Chriſtianus homo requirat, quin manifeſtè nobiſcum, & manifeſtè contra illos faciat; nihil verò tale eſſe, quod contra nos, aut cum illis vllo modo faciat. Nam cùm Hæreſis iſta huius temporis non tam propriè hæreſis ſit, id eſt, fidei noſtræ quadam ex parte corruptio, quàm Apoſtaſia quædam, & integra ac plena à tota propemodum fide diſceſſio (id quod aliquo huius libri commodiori loco ſpero me clariſſimè oſtenſurum:) inde fit, vt non, quemadmodum contra veteres hæreticos, ſic contra iſtos paucæ quædam demonſtrationes ſeù Motiua ſint: ſed planè quicquid ferè vnquam contra vllos hæreticos, imò & contra Paganos, & contra Iudæos, & omnino quicquid pro Chriſto ipſo adferri à Maioribus noſtris potuit, id omne nobis nunc contra iſtos militet; & multa inſuper alia, quia non ſolùm in veterum inimicorum caſtris conſpiciuntur iſti, ſed ſua etiam propria contra Chriſtum eiuſque Eccleſiam caſtra fixerunt. Cæterùm quæ ſint iſta quæ dico arma, D. Auguſtinus & Vincentius Lirinenſis pauloante ex parte inſinuarunt; & hoc legendo libro, plenius cognoſces. Id quod quiſquis cum vlla Diuini timoris mica facere dignabitur, multum equidem miror, niſi vel ore vel corde confiteatur, ſiqua ſit veritas in Chriſto, eam indubiè noſtram eſſe. Adeò hic perſpicuè videbit oculis ſuis, quòd noſtra ſit Religio, quæ à Chriſto Domino eiuſque Apoſtolis tradita mundo fuit; quæ etiam ab illo vſque tempore ſine mutatione durauit; quæ item certiſſimè & procul omni dubio poſthac etiam ad conſummationem vſque ſeculi perdurabit: nullis terroribus aut violentijs, nullis fraudibus aut inſidijs vnquam eam conuellere ac ſubuertere aliqua ex parte valentibus. Quum aliæ Religiones ad vnam omnes, vt Arianorum, Manichæorum, Pelagianorum, & cæterorum qui ſub falſo Chriſtianorum nomine priora (vt prædixi) ſecula conturbarunt, vt principium habuere, ſic habuerint quoque finem: ſolis exceptis præſentibus Sectis per Lutherum introductis: quarum tamen & ipſarum finis videbitur abſque dubio, ſicut viſum principium eſt, qua-

Moti. 15.

eſt, quaſique heri duntaxat. nunquam enim priùs vel vno ſeculo, vel vno anno, vel vno die, vel vna horula, in vllo totius mundi climate aut angulo extiterunt. Hæc omnia, & alia plura ſimilis momenti hic ſolidiſſimè probata & apertiſſimè demonſtrata reperies.

Quod ſi & ipſi legere dignabuntur, qui ſecuti iſtorum Hæreticorum itinera iam ad profundum venerunt; quorum non ſolùm Anglia noſtra, verumetiam cætera eorundem Hæreticorum loca ſunt pleniſſima; qui partim ſua cæcati libidine & omnium ſordibus vitiorum quibus ſe deſperantes tradiderunt, partim Machiauelliana politicæ cuiuſdam ſapientiæ inflati ſpecie, placent ſibi homines vaniſſimi & inſipientiſſimi, non ſolùm corde iam, verumetiam ore dicentes, Non eſt Deus, Non eſt Chriſtus, Non eſt Religio: etiam hi legentes iſta, vt ſpero, adiuuante Deo videbunt, quàm turpiter, quamque damnabiliter ipſi ſe decipiant. Quanquam iſtis directè quidem hæc & ex primo inſtituto non elucubro. Memini enim, quid apertæ rationi conſonantiſſimè dicat S. Auguſtinus: Deum niſi & eſſe, & humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem ipſam veram Religionem debemus. Itaque huiuſmodi hominibus magis debentur, magiſque conueniunt prolixi gemitus, quàm prolixi libri. Veruntamen, quoniam fides Catholica, & fides Chriſti, eiſdem ipſis vtraque nititur fundamentis (ſicut reuera vna eſt vtraque & eadem fides: niſi quòd Hæretici, deſerta fide Catholica, opinantur ſe nihilominus adhuc in Chriſtum credere) hinc & talis profectò hæc fidei Catholicæ fundamenta conſiderans & examinans, multa quoque fidei quæ in Chriſtum eſt, fundamenta ſimul intelligit: quemadmodum quòd nunc non credit in Chriſtum, ad id non peruenit primo ſtatim gradu, ſed priùs (vt meminit) fidem deſerendo catholicam, & nouas hæreſes amplectendo. Ac propterea (ſicut dixi) ſi dignabitur hæc Motiua cognoſcere, & quædam præſertim eorum maturè & grauiter conſiderare, ſimul (adiuuante Chriſto) tum ad Catholicam fidem, tum ad Chriſti fidem denuò reuertetur. Et ſic quicquid eſt hoc laboris noſtri, id, proprio Deo, confido, cunctis hominum generibus vtilitatem, Catholicis firmamentum, Hereticis ſanitatem, & lumen ipſis Atheis allaturum.

De vtil. cred. cap. 13.

Cæterùm cùm nonnulli ſint, qui vel humano timore, vel ſocordi negligentia, vel ſuperbo quodam faſtidio ab vtilibus atque ſalutaribus libris legendis impediuntur, de quibus tamen lucrandis ſpes magna eſt, ſi viri Catholici charitate flagrantes, quibus ad eos pateat acceſſus, eum eis colloquerentur & conferrent, qui præſertim ſciant viâ ac ratione inſinuare fidem: Scriptum hoc eiuſmodi Catholicis quaſi Enchiridion eſſe

poterit,

poterit, quod ſemper in promptu habeant & ad manum, vt ex eo ad perſuadendum talibus amicis ſuis, delectum depromant inuentionis. Sed multo magis, ſi doctiores meliora quàm hæc noſtra, aut ſaltem melius eadem vel ſimilia (vt facilè poſſunt) ſcriberent, vt quàm inexpugnabilis atque inuincibilis ſit cauſa Eccleſiæ Catholicæ, & rurſus quàm vana atque deplorata ſit Hæreticorũ cauſa, poſſit etiam ad ipſius humillimi vulgi, & omnino imperitorum atque idiotarum, quorum ab iſtis ſimplicitas miſerrimè ſeducitur, notitiam peruenire. Quas ad res Catholicos omnes per amorem, & miſericordiam, & viſcera Dei obſecro & obteſtor, vt nullam occaſionẽ prætermittant, nullum laborem ſubterfugiant: ſcientes, vt S. Iacobus dicit, quòd qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. *Iac. 5.*

Quòd ſi autem quidam nihilominus pertinaces & perditi eſſe volunt (qui ſine dubio multi erunt; non enim omnium eſt fides, nec Hæreticorum ignoramus duritiam atque cæcitatem) indignos ſe iudicantes æternæ vitæ: tamen quia non idem eſt Hæreticus, & hæreticis credens homo, vt ſapienter D. Auguſtinus admonuit, & quia Nemo perit, niſi filius perditionis: cæteri in nomine Domini aperiant oculos & reſpiciant, nec pernicioſis vocibus temerè credant, nec fallacibus verbis facilè conſenſum commodent, pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu ſitim, venenum pro remedio, mortem pro ſalute ſumentes. Nemo Chriſtianos ab Euangelio Chriſti rapiat; nemo filios Eccleſiæ de Eccleſia tollat; pereant illi ſoli, qui perire volunt; extra Eccleſiam ſoli remaneant, qui redire ad Eccleſiam nolunt. Soli luant pœnas duræ ceruicis & Aegyptiacæ pertinaciæ, qui nullis Moyſi verbis aut factis flecti ſe ſinent, donec Deus in eis, ſicuti in Pharaone, potentiam ſuam oſtendat. Qui cum eis demergi nolunt in infernum, exeant per Deum de Aegypto cum Iſraël. Neque in locis ipſis vbi regnant Hæretici, vbi ſedes eſt Satanæ, impediant quemquam terrores vlli, vlla pericula, quo minus conſulat ſaluti ſuæ. Cogitent potius omnes & conſiderent, nihil prodeſſe homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur. Chriſtumque Dominum huiuſmodi per varia tẽpora diſpenſare procellas, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in nobis, & qui aliud quicquam pluſquam ipſum diligunt, ſimiliter reuelentur. Vnde ſi cui quicquam propter ipſum pati contingat, meminerit veracem eſſe & omnipotentem qui dixit, Centuplum accipiet, & vitam æternã poſſidebit. Ideóque ſic non eſſe de quarumcumque rerum propter ipſum amiſſione dolendũ, vt exultare potius oporteat & gaudere, quoniam merces copioſa eſt in cœlis. Quod ita iure optimo fa-

2. Theſ. 3. *De vtil. cred. ca. 1.* *Ioan. 17.* *Cyp. ep. 40.* *Matth. 16.* *1. Cor.* *Matth. 10.*

B

mo faciendum eſſe probè intelligens Cyprianus, de Carthagine ſua
Epiſt. 9. tempore cuiuſdam perſecutionis meritò exclamauit: O beatam Eccle-
„ ſiam noſtram, quam ſic honor Diuinæ dignationis illuminat, quam tem-
„ poribus noſtris glorioſus Martyrum ſanguis illuſtrat. Erat antè in operi-
„ bus fratrum candida, nunc facta eſt in Martyrum cruore purpurea: flori-
„ bus eius nec lilia, nec roſæ deſunt. Meritoque, vt ille ſuos, ſic nos noſtros
„ ipſius verbis hortamur: Certent nunc ſinguli ad vtriuſque honoris am-
„ pliſſimam dignitatem, vt accipiant Coronas vel de opere candidas, vel de
„ paſſione purpureas. In cæleſtibus caſtris & pax & acies habent flores ſuos,
„ quibus miles Chriſti ob gloriam coronetur.

RICHARDI

RICHARDI BRISTOI VIGORNIENSIS, EXIMII SVO TEMPORE SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS ET Profeſſoris, Antihæreticorum Motiuorum, cunctis vnius veræ atque ſolius ſalutaris Chriſtiano-Catholicæ Eccleſiæ Fidei & Religionis Orthodoxis cultoribus longè conducibiliſſimorum,

TOMVS PRIMVS.

MOTIVVM PRIMVM.

Quòd noſtra nunc ſit Eccleſia, quam olim è Sacris Scripturis D. Auguſtinus & alij Catholici Epiſcopi Africæ in Collatione cum Donatiſtis demonſtrarunt.

PROPOSITVM nobis hoc libro eſt, plurimas & iuſtiſſimas cauſas reddere, quamobrem omnes qui animas ſuas ſaluas eſſe cupiunt, debeant in Religione ac fide Catholicis credere, & non Proteſtantibus aut alijs vllis Hæreticis: non minùs quàm olim ſalutem ex Iudæis, & non ex Samaritanis, *Ioan. 4.* petere oportebat. Hoc autem dum promitto, non ignoro, quòd Hæretici demonſtrationes ex ſolis Sacris Scripturis requirent, & alias non admittent. Conſiderent igitur viri prudentes, quantum in hoc primo noſtro Motiuo ſit ponderis ac momenti. Ex ipſis enim Sacris Scripturis, quas & omnes Chriſtiani venerari atque amplecti debent, & *Humf. de* iſti homines tantopere ſolas flagitant, clariſſimè oſtendam, Eccleſiam illam, *vita Iuelli,* de qua Chriſtus ipſe dixit, Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam *pag. 212.* Ethnicus & Publicanus, noſtram eſſe ſine omni controuerſia, non autem *Matth. 18.* Proteſtantium vllo modo.

Student quidem Hæretici quantum poſſunt, tenebras maniſeſtiſſimis

rebus offundere, quaſi non vincantur, ſi non intelligantur. Sed facilli-

Tota Scriptura, Chriſtus & Eccleſia.

mum eſt quod Catholici dicimus (probabimus autem mox quòd etiam ſit certiſſimum) Omnem ſacram Scripturam duas nobis perſonas, ſine quibus ſaluari non poſſumus, Chriſtum & Eccleſiam, ſeú potiùs vnius perſonæ myſticæ, id eſt, Chriſti myſtici partes duas, nimirum Caput, & Corpus commendare: idque Chriſtum viſibilem, & Eccleſiam viſibilem: & non aliter inuiſibilem Eccleſiam, quàm inuiſibilem Chriſtum: ne Caput Corpori, vel Corpus Capiti ineptum & inconueniens iungeretur.

Auguſt. de Paſtoribus cap. 14. & Epiſt. 156. & de Cat. rud. c. 3. Aug. Epiſt. 45.

Hos igitur duos totum Vetus Teſtamentum varijs promiſſionibus, prædictionibus, figuris prænunciauit: & Eccleſiam quidem apertiùs, quàm Chriſtum; vt veriſſimè obſeruauit D. Auguſtinus, qui & eius rei rationem reddit meritò ab omnibus ponderandam: Puto, inquit, propterea, quia

Aug. in pſ. 30. cō. 2.

„ videbant (Prophetæ) in ſpiritu, contra Eccleſiam homines facturos eſſe
„ particulas, & de Chriſto non tantam litem habituros, de Eccleſia magnas
„ contentiones excitaturos: ideo illud, vnde maiores lites futuræ erant,
„ planius prædictum & apertius prophetatum eſt, vt ad iudicium illis valeret, qui viderunt, & foras fugerunt.

Pſalm. 30.

Rurſus eoſdem duos Nouum teſtamentum hiſtoricis apertiſſimis narrationibus nobis annunciat: Chriſtum quidem in quatuor Euangelijs: Eccleſiam verò, potiſſimum in Actis Apoſtolorum. Et Chriſtum quidem, incarnatum, natum, paſſum, rediuiuum, aſcendentem, rediturum. Eccleſiam verò mox ab eius Aſcenſione Hieroſolymis incipientem, & interim dum ipſe redeat, creſcentem in omnes Gentes, idque viſibiliter, ſicut incepit viſibiliter, & omnibus diebus vſque ad eius reditum viſibiliter duraturam. Quod ſemel ſi recipiatur & creditur, (vt illud Magdeburgenſes Centuriones, coacti Scripturarū euidentia, paſſim admittunt: nec interim reſponſionem contrà vllam parant, tum quia non poterant, tum vt per hoc videretur ſimplici Lectori nihil eos contra habere quod reſponderent) ſi ſemel, inquam, hoc admittatur, ſilere oportet non tantum ipſos Centuriones cū Melanchthone & Caluino (qui duo modò aiunt modo negant) cæteriſque Proteſtantibus & Hæreticis quibuſcumque, ſed etiam oportet eos à vindicanda ſibi Eccleſia abſtinere, quia (vt claret per ſe, vtque ipſi concedunt) non ab illis Eccleſiæ naſcentis exordijs ad hæc vſque tempora viſibiles dimanarunt.

Cent 1. li. 1. c. 2. de Eccleſia, col. 170, 172, 175. & li. 2. col. 389. Melanch in locis Com. et praef. Operū, 1560. Cal. in Inſtit. li. 4. ca. 1. 8.

Quod igitur, quoties premuntur à nobis euidentiſſimis Scripturarum de Eccleſia ſic durabili teſtimonijs, dicere aliàs audent, ſe etiam ſemper inuiſibiliter extitiſſe; vident ſapientes, id nihil aliud eſſe niſi vaniſſimum in cauſa peſſima ſubterfugium. Quando enim apertiſſimè demonſtramus, eos nunquam ante Lutherum fuiſſe viſibiles, putant ſe aliquid inexpugnabile

Contra Eccleſiā inuiſibilem.

inueniſſe, cùm inuiſibiles ſe fuiſſe reſpondent, neque nobis ſcilicet, neque alijs, neque ſibi ipſis cognitos. Quis verò ſaluari curans, huiuſmodi ſe illudi nugis & figmentis patiatur? Namque eſt etiam quod dicunt, non ſolum friuolũ, verumetiam apertè falſum; vt cuilibet paulũ intuenti in promptu eſt videre. Cum enim audent dicere ſuos quoſdam ante exortum Lutherum fuiſſe, ſed inuiſibiles, quos quæſo debent intelligere niſi Lutherum ipſum, & illos alios qui cum Luthero vel paulò poſt Lutherum ex illis inuiſibilibus & quaſi tenebris emerſerunt? At illi tunc ita non fuere inuiſibiles Proteſtantes, vt contrà fuerint viſibiles & manifeſti Catholici, & quidam eorum etiam Monachi, idque in ſuis etiam ipſorum conſcientijs. An iam dicturi ſunt iſti, ſuos illos inuiſibiles fratres non ſolùm nobis, & alijs, & ipſis eorum iam fratribus, ſed ſibi quoque ſingulos ignotos fuiſſe? Dignam ſanè quam ſequantur, Eccleſiam inuenerunt, qui tam parui faciunt animas ſuas, vel potius qui animas ſe habere non putant. Contrà autem Scriptura (vt prædixi, vtque mox oſtendam) quemadmodum viſibilem Chriſtum, ita Eccleſiam viſibilem & perdurabilem eſſe teſtatur: Et hoc tam euidenter tamque apertè, vt, quemadmodum quòd Iudæi in Scripturis Chriſtum non videant, ita quòd Hæretici in Scripturis Eccleſiam non vident, nulli alij cauſæ abſcribi vllo modo poſſit, niſi ſpontaneæ ac voluntariæ cæcitati, de damnabili perfidia & claræ illuſtriſque fidei vacuitate venienti. Sicut igitur Iudæus, vt eius auferatur cæcitas, conuerti ad fidem noſtram debet (Cum enim conuerſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen) ſic & Hæreticus conuertere ſe ad fidem Catholicam debet: & tum videbit indubiè tam apertas pro Eccleſia Scripturas, quàm apertas viſurus eſt fidelis Iudæus pro Chriſto Scripturas: imò & apertiores, quemadmodum paulò antè à D. Auguſtino audiuimus obſeruatum. Quales nos qui dignatione Diuina Catholici ſumus, pro vtroque videmus, in vnaquaque ferè pagina, tam multas, tam certas, tam claras, vt facilè ſentiamus, Iudæum & Hæreticum nihilo plus videre, quàm eum qui Solem in meridiè, vel Lunam in plenilunio videre non poteſt.

2. Cor. 3.

Pſalm. 18.

Sed nunc agè demonſtremus quod promiſimus, huiuſmodi Eccleſiam, qualis Hæreticorum non eſt, & aliquorum ſemper eſſe debet, denique noſtram Eccleſiam, eſſe in ſacris literis probatiſſimam. Verùm hoc labore iam olim ante mille pæneque ducentos annos leuati ſumus per D. Auguſtini aliorumque Catholicorum Africæ Epiſcoporũ cum Donatiſtis Collationem: cuius Collationis ſeu Diſputationis Breuiculus ab ipſo Auguſtino ſcriptus, ideſt compendium extat inter Opera eius tom. 7.

An. Dom. 411.

Iterum moneo prudentes ac ſalutis cupidos, vt attentè cogitent, quàm multiplex ſit in vno hoc Motiuo pondus. Dixi, Sacras Scripturas quarum eſt omni exceptione maior authoritas; addidi, & quibus ſolis acquieſcere Hæretici oportere volunt, noſtræ Catholicæ Eccleſiæ illuſtriſſima reddere teſtimonia. Adhuc tertium adijcio, cauſam ipſam totam, Catholicis Africanis agentibus, iam pro nobis eſſe iudicatam. Addam & quartum; quòd ibi contra Donatiſtas tranſactum eſt, non ſolum id contra Proteſtantes etiam tranſactum eſſe, ſed multo etiam magis contra Proteſtantes, quàm contra Donatiſtas. Id ſtatim intelliget, qui differentiam Proteſtantium & Donatiſtarum in hac cauſa cognouerit. Dicebant Donatiſtæ, Eccleſiam quidem, poſt Chriſti aſcenſionem, ex Hieruſalem in varias Gentes, ſimul autem & in Africam perueniſſe: ſed iam de alijs Gentibus perijſſe, & in ſola Africa remanſiſſe. probarunt è Scripturis contra eos Catholici, Eccleſiam non ſolùm in Africa, ſed etiam in alijs Gentibus remanſiſſe; quinetiam creſcere adhuc ex alijs æquè Gentibus ad Gentes cæteras complectendas: denique nec ante finem ſeculi creſcere deſituram. Dicunt Proteſtantes, Eccleſiam iampridem (non enim tempus aliquod audent definire) ex omnibus omnino Gentibus perijſſe, ſeu (quod idem eſt) ex viſibilibus ad inuiſibilia euanuiſſe: donec poſt mille (vt minimum) annos viſibilis Monachus, id eſt (vt ipſi interpretantur) à vera Eccleſia alieniſſimus, viſibili Monachæ turpiſſimè copulatus, eam ad auras & in conſpectum hominum reuocauit. Primùm igitur contra iſtos euidentiſſimè valet, quod Afri Catholici contra Donatiſtas è Scripturis oſtenderunt, Eccleſiam nullo vnquam tempore perituram. Deinde vt hoc eis tantiſper concedamus, Eccleſiam poſſe perire: tamen contra eos manifeſtiſſimè ſaltem illud valet, quod ijdem Catholici ex ijſdem Scripturis conati ſunt oſtendere, nondum ſuo tempore ex omnibus, excepta Africa, Gentibus Eccleſiam perijſſe. Hoc enim nobis conceſſo (quemadmodum ipſum Caluinum concedere alibi oſtendam) Eccleſiam nondum S. Auguſtini euanuiſſe temporibus, ſed eam ipſam veram fuiſſe Eccleſiam, in qua iam tum S. Auguſtinus, & cæteri per Africam Catholici, eorumque participes aliarum Gentium extiterunt: nulla huius tēporis hæreſis tenere Eccleſiam poteſt, quippe cùm facillimū ſit docere, tum eas omnes ab illa Auguſtini Eccleſia plurimum diſſidere, tum noſtram hanc cum illa in omnibus conuenire: quod dilucidè huius libri decurſu clarebit.

Proteſtantes ingrati in Donatiſtis.

Infra Moti. 15.

Quanquam igitur ex his quæ dicta ſunt, ſatis conſtet, Collatione illa Carthaginenſi Afros egiſſe cauſam noſtram, dum agerent ſuam: tamen adhuc multis alijs modis conſtare poteſt magis. Obſeruent enim prudentes, qui

tes, qui

tẽs, qui ſint hoc tempore qui Collationem illam vrgeant, qui rurſus qui mentionem eius reformident. Certè Lutherani Magdeburgenſes hæretici, licet generaliſſimam per Centurias Eccleſiaſticam Hiſtoriam exarare prætendant, & minutiſſima quæque ſi pro ipſis videantur facere, proſequantur: tamen hanc Collationem, quamuis celeberrimam, & ſuo tempore (vt mox videbimus) vtiliſſimam, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ partem auguſtiſſimam, adeò & breuiter & obſcurè perſtringunt, vt Lector ſubeſſe aliquid dignum ſua attentione nunquam cogitet. Contrà verò Franciſcus Balduinus Catholicus eiuſdem Collationis doctiſſimè & ampliſſimè ſcripſit Hiſtoriam, quam etiam bis edidit, ſemel ſeorſim, iterum autem cum Optato. Qui legerit Scriptum eius, huius Motiui noſtri vim multo melius intelliget. Quin etiam in Conuentu Germanico Ratisbonenſi, & in Gallicana Diſputatione Poſſiaca, ſategerunt Catholici, vt Proteſtantes ſtarent huius Collationis Actis; Idemque ego Catholicorum minimus nunc à Proteſtantibus poſtulo. Sed nunquam conſentient: probè enim norunt, ſi illa ſit Eccleſia quam Collationis illius Catholici voluerunt, actum eſſe de Eccleſia ſua, prorſus confirmatã eſſe Eccleſiã noſtram. Ideoque Collationem hanc refugiunt non minus, quàm olim Donatiſtæ ipſi: vnde faciliimè vident qui non claudunt oculos, qui noſtrũm hoc tempore cum Auguſtino ceteriſque Catholicis ſint, & qui cum Donatiſtis.

Cent. 5 cap. 9. col. 879.

Hiſtor. Collationis per Balduinũ.

Aug. epiſt. 166. & Opt. li. 1. fol. 2.

Sed licet ita erga illam Collationem affecti nunc quoque ſint Hæretici, tamen qui veritatis cognoſcendæ ſtudioſi ſunt, non ſic eam præterire debent. Certiſſimè enim in ea inuenient id quod quærunt. Propterea que eam tunc Auguſtinus cum ſuis ſemper contra Donatiſtas omnibus inculcauit. Primum enim ne Geſtorum fortè longitudo Lectores deterreret, Epitomen eorum conſcripſit, quam vocauit Breuiculum. Deinde Librum Poſt Collationem dictum ad ipſos Donatiſtas ſcripſit, ne ab Epiſcopis ſuis iam in Collatione victis ſeducerentur vlterius. Idemque multo breuiùs egit in quadam ad eoſdem rurſus epiſtola, nomine Epiſcoporum omnium Concilij Catholici Cirtenſis, quæ eſt inter Epiſtolas eius 152. Inſuper ad Marcellianum ep. 158. de eadem repetit. Et ep. 50. Bonifacium Comitem optat hiſtoriam eius cognoſcere. Idemque Donatiſtam quendam monet ep. 204. Denique præter alia multa loca, maximè commendat certiſſimam Collationis vtilitatem & victoriam, quod in libro de Geſtis cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo refert tum de alijs multis Catholicis Eccleſijs quotannis Collationis Geſta legentibus, tum de Eccleſiâ Cæſareæ Mauritaniæ à ſe ipſo coràm his interpellatã verbis: Multa ſunt quidem, vbi ſuperfluis & moratorijs proſecutionibus Geſta cumularunt Donatiſtæ,

Vtilitas Collationis Carthag.

Auguſtini Scripta de Collatione. 2. Ret. 39. 40.

Auguſt. de Geſtis cum Emer.

nihil

nihil aliud magnis viribus agentes, niſi vt nihil ageretur. Sed Domino præſidente, & cauſam ſuam agente, ventum eſt quò noluerunt: Dicta cauſa, atque definita eſt. Sed quia non omnia vobis modò legere poſſumus: præſentibus vobis fratrem & coëpiſcopum meum Deuterium (Cæſarienſem epiſcopum) obſtringo, vt, quemadmodum fit apud Carthaginem, apud Tagaſten, apud Conſtantinam, apud Hipponem, apud omnes diligentes Eccleſias, ſic etiam deinceps facere non pigreſcat: vt annis omnibus per ieiuniorum dies, id eſt, Quadrageſima ante Paſcha, quando vobis maximè ieiunantibus plus vacat audire, eadem Geſta Collationis, per annos ſingulos, vniuerſa à capite in finem ex ordine recitentur. Porro hæc tanta D. Auguſtini & aliorum Catholicorum circa hanc Collationem à ſe cum Donatiſtis habendam, & deinde ab omnibus legendam, diligentia, fructum habuit tam vberem, tamque ingentem, vt eodem libro de Geſtis cum Emerito idem ſcribat: Donatiſtas in nomine Chriſti in gremium Catholicum magna ex parte ſuſcepimus, ita vt pænè omnes communioni Catholicæ ſociatos eſſe gaudeamus. Et rurſus ep. 50. ad Bonifacium: Maximè poſt Collationem quæ inter nos & Epiſcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magna parte correcti ſunt. Quare nunc quoque qui ſapientes ſunt, rem ſibi quoque tam fructuoſam futuram, tamque indagandæ veritati commodam neque contemnent, neque negligent, ſed ſimiliter cum omni diligentia ſcrutabuntur. quanquam ſcrutatione multa non eſt opus. Facillimum enim omnibus eſt videre, illa tum citata teſtimonia Scripturarum eatenus probare, Eccleſiam adhuc Auguſtini ſuperfuiſſe temporibus, quatenus probant, eam ſemper poſt primum in Hieruſalem ortum vſque ad finem ſeculi ſuperfuturam. Ex quo eſt conſequens, quòd, ſicut tunc non erat opus Donato inſtauratore, ſic neque nunc opus fuit inſtauratore quaſi Eccleſiæ collapſæ Luthero vel Caluino.

Lectio Collationis.

Aug. Epiſt. 50.

Sed videamus demum, an id in Collatione ſit actum, & è Scriptura ſacra probatum, Eccleſiam ſemper, qualem & quemadmodum diximus, permanere. Illud verò ex ſupradictis D. Auguſtini de Collatione ſcriptis facilè innoteſcit. Primùm igitur in ipſo Breuiculo: In eiſdem, inquit, literis (Catholicorum) etiam tota ipſa cauſa comprehenſa eſt, vt oſtenderetur Eccleſia Catholica non eſſe pars Donati (neque pars Lutheri aut Caluini) ſed illa potius quæ per totum mundum fructificaret & creſceret, incipiens ab Hieruſalem ſecundum Sacram Scripturam. (Et rurſus:) Lectæ ſunt, inquit, literæ Donatiſtarum, quibus conati ſunt reſpondere mandato Catholicorum. Cui mandato non eos potuiſſe reſpondere inueni; & qui vtraque legere & conſiderare voluerit, comperiet quia teſtimonia ex lege, & Pro-

Quæſtio Collationis quæ fuerit.

Aug. Breui. Collatione primæ diei, num. 7.

Collat. tertiæ diei, num. 4.

& Prophetis, & Pſalmis, & Apoſtolicis atque Euangelicis literis deprompta, quibus oſtenditur Eccleſia Catholica per totum mundum diffundi incipiens ab Hieruſalem, vnde in propinqua & longinqua creſcendo, etiam in Africam (Saxoniam, Angliam) venit, & in alia loca & ciuitates per quas primitus dilatata eſt, in quibus multæ Eccleſiæ ad ipſam vnicam pertinentes, Apoſtolico labore fundatæ ſunt, quibus Donatiſtas (Lutheranos, Caluiniſtas) non communicare manifeſtum eſt, non ſolùm non pertractare, ſed omnino nec attingere voluerunt, nec aliquod teſtimonium in tam prolixa Epiſtola ſua proferre auſi ſunt de Scripturis ſanctis, quo aſſererent Eccleſiam partis Donati, (Lutheri, vel Caluini) eſſe prædictam & prænunciatam, ſicut tam multa Catholici potulerunt pro Eccleſia cui communicant, quæ incipiens ab Hieruſalem toto orbe diffunditur. verumtamen ne quis putet, Donatiſtas penitùs mutos fuiſſe; imò vt omnes videant, eos contra Eccleſiam tunc eadem obieciſſe, quæ nunc contra eam obijciunt Proteſtantes; ac per conſequens, tum eandem eſſe nunc Eccleſiã quæ tunc fuit, tum Proteſtantium parentes fuiſſe Donatiſtas: ecce quid ſuperioribus verbis ſubijciat Auguſtinus: Illud oſtendere tentauerunt, prolatis multis teſtimonijs diuinarum Scripturarum, quòd Eccleſia Dei non cum malorũ hominũ cõmixtione futura prædicta ſit. ad quæ omnia teſtimonia videat ibi qui volet, Auguſtini reſponſa. Similiter in alio libro Poſt Collationem dicto, quid in eadem Collatione actum & peractum ſit, refert eodem modo, ita Donatiſtas alloquens: Quid adhuc Donatiſtæ ſeducimini ab Epiſcopis veſtris, quorum fallaces tenebræ clara luce diſcuſſæ ſunt, quorum apparuit error, quorum pertinacia ſuperata eſt? &c. Quid adhuc attenditis humana mendacia, & diuina teſtimonia non attenditis? Quid adhuc victis hominibus creditis, & veritati quæ nunquam eſt victa non creditis? Veritas enim Dei, ſicut in ipſa etiam Collatione probauimus, perhibuit teſtimonium Eccleſiæ ſuæ per multa documenta Scripturarum ſanctarum, per Propheticas, & Euangelicas literas: & locus deſignatus eſt vnde Chriſti Eccleſia fuerat inceptura, & finis terræ quouſque peruentura. Per omnes Gentes futuram Eccleſiam ſuam Dominus dicit, incipientem ab Hieruſalem. Diuina lectio recitatur, quemadmodum cœperit ab Hieruſalem: vbi primùm congregatis fidelibus miſſus eſt de cælo Spiritus Sanctus. Diuinæ lectiones recitantur, quemadmodum ſe ab Hieruſalem per vicina & longinqua diffuderit. Expreſſa ſunt nomina locorum, manifeſta ſunt nomina ciuitatum, in quibus Eccleſia Chriſti Apoſtolico labore fundata eſt. Quæ loca & ciuitates, etiam Epiſtolas ab Apoſtolis accipere meruerunt.

Finge Collatione͂ habitam cum Lutheranis vel Caluiniſtis. eadem æque contra eos, ac Donatiſtas, valet.

Proteſtantes filii Donatiſtarum.

Auguſt. poſt Collat. cap. 1.

Cap. 2.

Luc. 24.

Act. 2.

Vt Romanorum.

" Quas epiſtolas & ipſi in veſtris congregationibus legunt, & tamen non
" communicant eorum locorum & ciuitatum Eccleſijs, quæ ipſas epiſtolas
" accipere meruerunt: obijcientes eis neſcio quæ crimina Aſtrorum, quòd
" contagione perierunt. Pauloque poſt narrat quas è Scripturis protulerunt
Cap. 4. in Collatione parabolas & figuras; quibus, vt ait, parabolis & figuris Eccleſia prænunciata eſt vſque in finem ſeculi bonos & malos ſimul habitura. Meritò igitur & ipſe Donatiſtas hortatur, & nos eius verbis Lu-
Cap. 18. theranos atque Caluiniſtas hortamur: Expergiſcimini aliquando, non
" vos tartareus obliget ſomnus, non in profundum ſacrilegi erroris adhuc
" impia conſuetudo demergat: iam conſonate paci, cohærete vnitati, acqui-
" eſcite charitati, cedite veritati; Eccleſiam Catholicam incipientem ab
" Hieruſalem cognoſcite vſquequaque diffundi, cui non communicat pars Donati, Lutheri, nec Caluini.

Aug. Epiſt. 152. Item in Epiſtola illa, quam nomine Cirtenſis Numidici Concilij ad plebem Donatiſtarum ſcripſit, hæc eadem in Collatione ſic eſſe tranſacta
" commemorat: Confeſſi ſunt, inquit, contra Eccleſiam quæ toto orbe
" diffunditur, nihil ſe habere quod dicerent, quia diuinis ſacrarum Scriptu-
" rarum teſtimonijs oppreſſi ſunt; quibus Eccleſia deſignatur, incipiens ab
" Hieruſalem creuiſſe per loca in quibus Apoſtoli prædicauerunt, & no-
Vt Romæ. mina eorundem locorum in ſuis Epiſtolis & Actis conſcripſerunt, & inde
" diffundi per cæteras Gentes, &c. Iam cum timore Dei Hæretici omnes & Schiſmatici audiant quæ ſequuntur: Quiſquis ergo ab hac Eccleſia Ca-
" tholica fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc
Ioan. 3. ſolo ſcelere quòd à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habet vitam, ſed ira
" Dei manet ſuper eum, &c. Itemque hoc: Si autem manifeſtiſſima veri-
" tate conuictam partis Donati (Lutheri, ſiue Caluini) falſitatem adhuc
" ſequi deſideratis: mundi erimus à pœna veſtra, quando vos ſerò poſtea
" pœnitebit, &c.

Scripturæ, quas citârunt Catholici in Collatione. Cæterùm vt veritas de Eccleſia quàm maximè eluceſcat: & omnibus non ſolùm diligentibus atque ſtudioſis, verumetiam curioſis pleniſſimè ſatisfiat; & ipſa quoque duriſſima corda, iuuante Deo, flectantur atque ſaluantur: ipſa iam, ex parte, Scripturarum teſtimonia, quibus Catholici illius Collationis contra Donatiſtas Eccleſiam demonſtrarunt, paulo adhuc diutius in hoc Motiuo immorans, indicabo. Et quoniam melius à
Aug. de vnitate Eccleſiæ. S. Auguſtino in libro De vnitate Eccleſiæ digeſta ſunt, quam feruor diſputationis & aduerſariorum pertinacia in Collatione permittebat: ea ex dicto libro decerpam. Omnes autem qui iſta legere ſuſtinebunt, planiſſimè ſentient & ſe audire putabunt ipſum Auguſtinum non ſuam modò

contra

contra Donatiſtas cauſam, ſed noſtram etiam contra Proteſtantes, quia eadem prorſus eſt; & propterea Catholicorum etiam cuiuſcumque temporis, ſeu præteriti, ſeu futuri, contra quoſcumque Hæreticos, ex manifeſtiſſimis Scripturis agentem. Primò igitur quæſtionem ſic proponit, quibuſque eam tractare & tractari argumentis velit præſcribit:

Quæſtio certè inter nos verſatur, vbi ſit Eccleſia, vtrum apud nos, an apud illos. Tum admonito breuiter, quòd vna eſt Eccleſia, extra quàm non eſt ſalus, quia eſt corpus Chriſti ſecundum Apoſtolum, & ipſe ſaluator Corporis, Nam qui in corpore ſiue in membris non eſt, non viuit de Capite: in hunc modum quæſtionem proſequitur: Totum igitur quod annunciatur de Chriſto, caput & corpus eſt. Caput eſt ipſe vnigenitus Ieſus Chriſtus filius Dei viui, &c. Corpus eius, Eccleſia &c. Inter nos autem & Donatiſtas (Lutheranos, Caluiniſtas) queſtio eſt, vbi ſit Eccleſia? *Auguſt. de vn. Eccl. cap. 2. Conſtitutio Quæſtionis. Col. 1.*

Quid ergo facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri, an in verbis Capitis ſui, Domini noſtri Ieſu Chriſti? puto quòd in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum, &c. Sapientiſſimè omnino. Nam eodem prorſus modo commendat Hæreticis Eccleſiam Chriſti, quam non receperunt, de teſtimonijs Chriſti, quem ſe recipere dicebant; quo modo paſſim in Euangelio S. Ioannis commendatum videmus Iudæis Chriſtum ipſum Filium Patris, quem non receperunt, de teſtimonijs Patris qui miſit eum, quem ſe credere iactitabant. Sequitur ergo Auguſtinus, & dicit: Quæ ſint autem verba noſtra, in quibus eam (id eſt, Eccleſiam) quæri non oportet, aduertite, & videte etiam ibi quid interſit inter noſtra verba & illorum: & tamen in verbis noſtris Eccleſiam quæri nolumus. Quicquid nobis inuicem obijcimus de quibuſcumque quorumcumque criminibus, verba noſtra ſunt. Et in talibus quidem nos hunc tenemus modum, vt vel vtraque vera eſſe deputent, ſiue quæ à nobis, ſiue quæ ab ipſis dicuntur; vel vtraque falſa; vel noſtra vera & ſua falſa; vel noſtra falſa & ſua vera. Et in his omnibus nullum crimen eſſe orbis Chriſtiani, cui nos communicamus, oſtendimus: & propterea in eiſdem omnibus nihil eſſe, quo ipſi purgentur à crimine Schiſmatis, qui ſe ab orbe Chriſtiano ſine cauſa ſeparauerunt. Quid igitur habent quod reſpondeant? &c. *Aequa ſolutio. Ioan. 5. 7. 8. 12. Cap. 3.*

Sed tamen vt dicere cœperam, non audiamus, Hæc dico, Hæc dicis, ſed audiamus, Hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum authoritati vtrique conſentimus, vtrique credimus, vtrique ſeruimus: Ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram, &c. Auferantur ergo illa de medio, quæ aduerſus nos inuicem, non ex diuinis canonicis

 libris,

„ libris, ſed aliunde recitamus, &c. Quærat fortaſſe aliquis, & dicat mihi,
„ Cur ergo iſta vis auferri de medio, quando Communio tua, etiam ſi pro-
„ ferantur, inuicta eſt? Quia nolo humanis documentis, ſed diuinis oraculis
„ ſanctam Eccleſiam demonſtrari. Si enim ſanctæ Scripturæ in Aphri-
cà (ſiue Saxonia) ſola deſignauerunt Eccleſiam, &c. quicquid de chartis
alijs aliquid proferatur, non tenent Eccleſiam niſi Donatiſtæ (ſiue Luthe-
„ rani). Si in paucis Mauris prouinciæ Cæſarienſis (ſiue in fæce Zelandiæ &
Hollandiæ) &c. eam ſancta Scriptura determinat, ad Rogatiſtas (ſiue Ana-
baptiſtas) tranſeundum eſt. Si in paucis Tripolitanis & Byzacenis & Pro-
uincialibus (ſiue in paucis Geneuenſibus & Gallis) Maximinianiſtæ (ſiue
Caluiniſtæ) ad eam peruenerunt. Si in quibuſdam Polonis, Trinitarij
eam habent. Si in ſolis Orientalibus (ſiue in ſolis Britannis) inter Arianos
„ & Macedonianos & Eunomianos (ſiue inter Angloproteſtantes & Purita-
„ nos & Præciſianos) & ſi qui illic alij ſunt, requirenda eſt. Quis autem poſ-
„ ſit ſingulas quaſi Hæreſes enumerare gentium ſingularum?

Modus quærendi Eccleſiæ in Scripturis.

Donatiſtarum Schiſmatici fuerunt Rogatiſtæ, & Maximinianiſtæ.

„ Si autem Chriſti Eccleſia canonicarum Scripturarum diuinis & cer-
„ tiſſimis teſtimonijs in omnibus Gentibus deſignata eſt; quicquid attule-
rint, & vndecumque recitauerint, qui dicunt, Ecce hic Chriſtus, ecce illic;
„ audiamus potius, ſi oues eius ſumus, vocem Paſtoris noſtri dicentis, No-
„ lite credere. Illæ quippe ſingulæ in multis gentibus, vbi iſta eſt, non inue-
„ niuntur: hæc autem, quæ vbique eſt, etiam vbi illæ ſunt inuenitur.
„ Ergo in Scripturis ſanctis canonicis eam requiramus.

Matth. 24.

Cap. 4. Totus Chriſtus caput & corpus eſt, &c. Quicumque de ipſo Capite
„ ab Scripturis ſanctis diſſentiunt, (vt Arriani, &c.) etiamſi in omnibus
„ locis inueniantur in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia.
„ Et rurſus quicumque de ipſo Capite Scripturis ſanctis conſentiunt, &
„ vnitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia, &c. qui ab eius
„ Corpore, quod eſt Eccleſia, ita diſſentiunt, vt eorum communio non ſit
„ cum toto quacumque diffunditur, ſed in aliqua parte ſeparata inuenia-
„ tur, &c. Quapropter quia cum Donatiſtis (Lutheranis, Caluiniſtis) quæ-
„ ſtio nobis eſt, non de capite (vt cum Arrianis, &c.) ſed de corpore, &c.
„ ipſum Caput de quo conſentimus, oſtendat nobis Corpus ſuum, de quo
„ diſſentimus, vt per eius verba iam diſſentire deſinamus.

Hactenus D. Auguſtini & cæterorum tum Catholicorum ad Donatiſtas, & noſtra nunc ad modernos omnes hæreticos æquiſſima poſtulatio: vt nimirum hanc ſalutarem & neceſſariam de Eccleſia quæſtionem ex ſanctis Scripturis quietè nobiſcum audiant, & diſcutiant, tum propter certiſſimam ipſarum authoritatem, tum propter notiſſimam ipſorum quaſi

omnia.

omnia ad illas exigendi conſuetudinem. Nam cùm omnes hæretici Scripturis ſanctis aures præbere debeant, tum iſti omnium maximè, qui id maximè præ ſe ferunt. Non igitur tam ſurdi, tam cæci, tam ſalutis ſuæ hoſtes eſſe velint, vt quod in hoc Motiuo agitur & promittitur, contemnendum eſſe dicant. Num Scripturas diuinas non contemnunt? Imò num ſuas animas non contemnunt? Sinant igitur D. Auguſtinum pergere, & Eccleſiam veram ex ipſius veritatis verbis oſtendere. Sonuit (inquid) vnigenitus filius verbum Dei, prioribus temporibus per Prophetas; deinde per ſeipſum; deinde per Apoſtolos ſuos. In his igitur omnibus quærenda eſt Eccleſia. Sed quoniam multa obſcurè poſita ſunt, &c. hoc etiam prædico atque propono, vt quæque aperta & manifeſta deligamus, &c. Illa interim ſeponenda ſunt, quæ obſcurè ſunt poſita; & figurarum velaminibus inuoluta, & ſecundum nos & ſecundum illos poſſunt interpretari. Eſt quidem acutorum hominum dijudicare atque diſcernere, quis ea probabilius interpretetur: ſed nolumus in has ingeniorū contentiones in ea cauſa quam populus tenet, noſtram diſputationem committere, &c. Si quis noſtrum dicat, propterea cuncta animalium genera in Arca fuiſſe, quia in omnibus Gentibus futura prænunciabatur Eccleſia, fortaſſe Donatiſtis, (Lutheranis, Caluiniſtis) aliud videatur, &c. In hac ergo diſputatione noſtra parcamus talibus interpretationibus, & apertum aliquid quo manifeſtetur Eccleſia, requiramus. Tum aliam pro Eccleſia per omnes diffundenda Gentes figuram incertæ interpretationis adfert vellus Gedeonis. Nec tamen (inquit) in talibus rerum figuris, quamuis non videam quid hic aliud poſſit intelligi, volo quæramus Eccleſiam, &c. Sed aperta veritas clamet & luceat, in obturatas aures irrumpat, diſſimulantium oculos feriat. Nemo in eis latebris quærat falſæ ſuæ ſententiæ locum, omnem conatum contradicendi confundat, omnem frontem impudentis elidat. Demum igitur quomodo tam perſpicuis, tam inuictis ſanctarum Scripturarum pro Eccleſia noſtra teſtimonijs Catholici abundemus; & quomodo ſimilibus omnes prorſus deſtituantur Hæretici: accedat hic vir ſanctiſſimus, doctiſſimus, antiquiſſimus, animarum ab hæreſi, id eſt, ab inferno eripiendarum zelator acerrimus, & oſtendat.

Cap. 5. *Geneſ. 8.* *Iud. 6.*

O Donatiſtæ (Lutherani, Caluiniſtæ) Geneſim legite: Per memetipſum iuraui, dicit Dominus ad Abraham, Propter quod feciſti verbum hoc, & non peperciſti filio tuo amantiſſimo propter me, niſi benedicens benedicam te, &c. & benedicentur in SEMINE TVO omnes Gentes terræ, quia obaudiſti vocem meam. Quid ad hæc dicitis?

Ex lege Nouiſ. Cap. 6. *Geneſ. 22.*

„ An Iudæorum nobiſcum peruerſitate contenditis, vt dicatis, in ſolo po-
„ pulo nato ex carne Abrahæ intelligendum Semen Abrahæ? Sed Iudæi
„ Paulum Apoſtolum non legunt in ſynagogis ſuis, quem vos legitis in con-
„ uenticulis veſtris. Quid ergo dicat Apoſtolus, audiamus. Quærimus
Gal. 3. „ enim iam, quemadmodum intelligendum ſit Semen Abrahæ. Fratres, in-
„ quit, ſecundum hominem dico, tamen hominis confirmatum teſtamen-
„ tum nemo irritum facit, aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt promiſſio-
„ nes & Semini eius. Non dicit, & Seminibus, quaſi in multis; ſed tanquam
„ in vno, & Semini tuo, quod eſt Chriſtus. Ecce in quo Semine benedi-
„ centur omnes Gentes. Ecce teſtamentum Dei, aperite aures: Hominis,
„ inquit, confirmatum teſtamentum nemo irritum facit, aut ſuperordinat.
Quare vos irritum facitis teſtamentum Dei, dicendo, non perit de genti-
bus Eccleſia, antequam completa ſit in omnibus gentibus, nec in omnibus
gentibus eſſe completum, & perijſſe iam de gentibus in quibus erat Semen
Abrahæ? Quare ſuperordinatis dicendo, in nullis terris hæredem perma-
nere Chriſtum, niſi vbi potuerit cohæredem habere Donatum, Luthe-
rum, ſeu Caluinum? Et propterea nec in vlla prorſus terra hæredem
permanſiſſe, ſed mille ac ducentis vt minimùm annis penitùs exhæredem
Proteſtantes abſurdiores Donatiſtis. Aug. poſt Collat. cap. 29. fuiſſe (quod Donatiſtæ nunquam auſi ſunt dicere, Eccleſiam ſcilicet ante
ſua tempora perijſſe, quia videbant, quòd ſic iam non fuiſſet ex qua naſce-
retur Donatus illorum) quoniam tanto annorum curriculo cohæredem
nuſquam habuit Lutherum, ſeu Caluinum. Non inuidemus alicui: Le-
„ gite nobis hoc de Lege, de Prophetis, de Pſalmis, de ipſo Euangelio, de
„ Apoſtolicis literis: Legite & credimus. ſicut nos vobis legimus & de
„ Geneſi & de Apoſtolo, Quia in Semine Abrahæ, quod eſt Chriſtus, be-
Geneſ. 26. Geneſ. 28. nedicuntur omnes Gentes. Poſthac idem teſtamentum ad Iſaac, idem ad
Iacob ijſdem verbis factum eſſe commemorat. & ad Iacob quidem, addi-
„ diſſe Deum: Quia non te derelinquam donec faciam omnia quæ tecum
„ locutus ſum. Vnde, Ecce (inquit D. Auguſtinus) cui promiſſioni reſiſti-
„ tis, ecce quàm firmum teſtamentum irritum facitis. Dicit Deus, Non te
„ derelinquam donec faciam omnia quæ tecum locutus ſum: & vos contra-
„ dicitis, dicentes, vt vobis potius credamus &c. Deo autem dicenti, Non
„ relinquam donec faciam, non credamus, &c. Legite nobis tam aperta quàm
„ ſunt iſta, &c. Date mihi hanc Eccleſiam ſi apud vos eſt, oſtendite vos
„ communicare omnibus Gentibus, quas iam videmus in hoc Semine be-
„ nedici. Date hanc, aut furore depoſito accipite, non à me, ſed ab illo ipſo
„ in quo benedicuntur omnes gentes. Tranſiens iam à Lege ad Prophetas:
„ Hæc, inquit, de primo libro Legis commemoraſſe ſuffecerit. Plura inno-
teſcent,

creſcent, ſine impia contentione, & cum pia dilectione legentibus.

Quid in Prophetis, quàm multa & quàm manifeſta ſunt teſtimonia Eccleſiæ per omnes gentes toto orbe terrarum diffuſæ? Tum de vno Eſaia quibuſdam recitatis, infert: Qui audet contradicat: qui autem non audet, ſperet in eum cum Gentibus, & ab vnitate Gentium in eum ſperantium non recedat: aut ſi receſſerat, redeat ne pereat. Tum poſt alia de eodem Propheta: Quis tam ſurdus, inquit, quis tam demens, quis tam mente cæcus, vt his tam euidentibus teſtimonijs obloquatur, niſi qui neſcit quid loquatur? Ac deinde: Sed ad manifeſtiora, inquit, veniamus. Vbi alio manifeſtiſſimo ex Eſaia teſtimonio recitato, ac per illud ſolidiſſimè redargutis Hæreticis de paucitate gloriari ſolitis, ſic concludit: Quid dici adhuc manifeſtius exigendum eſt? Ecce ex vno Propheta quàm multa, quàm clara: Et tamen reſiſtitur & contradicitur, non cuiquam homini, ſed Spiritui Dei, & euidentiſſimæ veritati: Et tamen ab eis qui nomine Chriſtiano gloriari volunt, gloriæ Chriſti ipſius inuidetur, ne iſta quæ tanto antè de illo prænunciata ſunt, credantur impleri, cùm iam non prænunciantur, ſed oſtenduntur, videntur, tenentur. Poſt Eſaiam alijs Prophetis breuitatis cauſa prætermiſſis; ac deinde multis quoque ex Pſalmis pro eadem omnium Chriſtianorum gentium Eccleſia prolatis teſtimonijs apertiſſimis (quæ & ego omnia, aliaque plurima, legi tamen in ipſo Auguſtino & videri digniſſima, breuitatis cauſa præterire compellor) ſubiungit quid ad iſta omnia Donatiſtæ reſponderint, quod ſolum etiam Proteſtantes, ſi conentur, reſpondere poterunt. Sic igitur ait:

Ex Prophetis. Cap. 7. Eſa. 11. 27 41. 42. Eſa. 49. 51. 52. Eſa. 53. 54 Adde Eſa. 61. c. 9. Ex Pſalmis Cap. 8. Pſal. 2. 21. 18. 79 56. 71. 44.

Quid ad hæc dicturi ſunt quæ commemoraui ex Lege & Prophetis & Pſalmis de Chriſti Eccleſia, quæ toto orbe diffunditur, cui malunt repugnare peruerſi, quàm communicare correcti? Quid, inquam, dicturi ſunt, vtrum hæc falſa eſſe, an obſcura? Sed falſa eſſe non audent dicere. Premuntur enim mole tantæ authoritatis. Hæc ergo cum vera eſſe fateantur, impleri non poſſe contendunt. Quaſi aliud ſit, prophetiam crimine falſitatis arguere, quàm dicere, quæ prænunciauit non poſſe compleri. Hoc eſt enim dicere, non eſſe prophetiam, ſed pſeudoprophetiam.

Cap. 9. Ad reſponſionem Donatiſtarum.

Et cùm quæſieris ab eis, cur hæc impleri non poſſint? Reſpondent, quia homines nolunt. Cum arbitrio quippe (inquiunt) libero, homo creatus eſt: & ſi vult, credit in Chriſtum, ſi non vult, non credit. Si vult, perſeuerat in eo quod credit; ſi non vult, non perſeuerat: Et ideò cùm cœpiſſet per orbem terrarum creſcere Eccleſia, noluerunt homines perſeuerare, & defecit ex omnibus gentibus Chriſtiana religio, excepta parte

Donati,

Donati, imò (ſecundum Proteſtantes) quod multo abſurdius eſt, ex omnibus omnino gentibus, ſine exceptione; idque ſupra mille annos neſcio quot centenarijs annorum: donec nouas Lutherus ſeu Caluinus
„ ſuppetias attulit. Quaſi verò (inquit Auguſtinus) neſcierit Spiritus Dei
„ futuras hominum voluntates. quis hoc inſaniſſimus dixerit? Cur ergo
„ non hoc potius prænunciauit, quod de voluntatibus hominum ſciebat
„ futurum? Hoc enim modo quo iſti putant hæc eſſe prædicta, quiſquis
„ voluerit poteſt eſſe Propheta, vt cùm ea quæ prædixerit impleta non
„ fuerint, reſpondeat, Homines noluerunt, libero enim arbitrio † Chri-
† Forte, creati.
ſtiani ſunt. Hoc modo poterat aliquis prophetare, Chriſtum non in cruce paſſurum, ſed gladio moriturum: vt cùm aliter factum eſſet, reſponderet
„ Quid ego feci? Homines in libero arbitrio conſtituti noluerunt ei facere
„ quod ego prædixeram, & hoc fecerunt quod ipſi voluerunt. Iam cui non
„ occurrat, quàm multa iſto modo poterant prophetari, vel etiam poſſunt
Liberũ arbitrium.
à quibuſlibet hominibus? Quis enim dubitauerit, quòd Iudas Chriſtum,
„ ſi voluiſſet, non vtique tradidiſſet: & Petrus ſi voluiſſet, ter Dominum
„ non negaſſet? Sed ideò fuit de iſtis certa prædictio, quia & Deus etiam
Ad Proteſtantes.
futuras præuidet voluntates. Hoc, inquam, ſolum etiam Proteſtantes (vt prudentes facilè animaduertunt) poterunt ad eadem Teſtamenti veteris teſtimonia reſpondere. Nec tamen hoc, quia liberum arbitrium (in eo etiam deteriores Donatiſtis) negant, reſpondere debent. Aut ſi quid melius, vel ſi quid aliud poſſunt, procedant quæſo, ac † ſuccurrant Donatiſtis parentibus ſuis, & cum eis ſe opponant caſtris Dei viuentis, non nobis ſolùm qui nunc viuimus, verumetiam Patribus noſtris D. Auguſtino & cæteris tunc Catholicis aduerſantes. Proferant igitur aliquid, cur tot Scripturæ diuinæ clariſſimæ de Eccleſia diffundenda per orbem, licet etiam eas oculis noſtris videamus impleri, tamen impleri non potuerint. Sed ſi ſapiant, vt non vaniſſimæ vmbræ neſcio cuius gloriolæ, cæteriſque ſuis quibuſcumque tranſitorijs, verum æternæ animarum & ſuarum & miſelli populi ab eis ſeducti ſaluti conſulant: audiant adhuc patienter S. Auguſtinum, & liberabit eos tum labore tum errore, ex Chriſti ipſius ore depromens apertiſſima teſtimonia, quòd neque liberũ arbitrium, neque quid aliud impedire potuerit, Scripturas prædictas impleri, ſed quòd eas omnino adimpleri oportuerit & oporteat.

† Donatiſtæ: Liberũ arbitriũ noluit perſeuerare, ideo Scripturæ nõ potuerũt compleri.

† Proteſtantes: Corrupta natura non potuit perſeuerare, ideo Scripturæ non potuerunt compleri.

Ex ore proprio Chriſti.
Veruntamen, inquit, quanquam hæc (quæ iam ad eorum reſponſa replicauimus) & tardis cordibus pateant: audiamus hinc & ipſius verbi
„ vocem ore propria carnis expreſſam. Certè poſt Reſurrectionem, &c.
„ dixit Diſcipulis: Iſti ſunt ſermones quos locutus ſum ad vos, cùm adhuc

eſſem

eſſem vobiſcum, quia oportebat adimpleri omnia ſcripta in Lege Moyſi, «
& Prophetis, & Pſalmis, de me. De quo autem, niſi de illo ſcripta ſunt, «
quæ nos quoque commemorauimus ex Lege & Prophetis & Pſalmis, ſi- «
cut per ſingula demonſtraui? Cùm ergo ipſe dicat qui veritas eſt, Opor- «
tebat adimpleri omnia: quomodo iſti negant, niſi quia veritatis inimici «
ſunt? Si autem obſcura eſſe adhuc dicunt, & hinc ipſum Caput audia- «
mus veriſſimum demonſtratorem Corporis ſui. Cùm enim dixiſſet, quia «
oportebat adimpleri omnia ſcripta in Lege & Prophetis & Pſalmis de me: «
tanquam quæreremus, vtrum in eo quod dixit, De me, illic intelligenda «
eſſet Eccleſia, propter id quod ſcriptum eſt, Erunt duo in carne vna: vt *Geneſ. 2.*
non ſolùm de Capite, verumetiam de Corpore certa diuina oracula tene- *Epheſ. 5.*
remus, ſequitur Euangeliſta, & dicit: Tunc aperuit illis ſenſum vt intelli- *Luc. 24.*
gerent Scripturas, et dixit illis, Quoniam ſic ſcriptum eſt, et ſic oportebat «
Chriſtum pati, et reſurgere à mortuis tertia die. Hic ipſum Caput oſten- «
ditur, quod etiam ſe manibus Diſcipulorum præbuit contrectandum. Vide «
quemadmodum de Corpore adiungat, quod eſt Eccleſia, vt nos nec in «
Sponſo nec in Sponſa errare permittat: Et prædicari, inquit, in nomine «
eius pœnitentiam et remiſſionem peccatorum per omnes Gentes, † inci- *† Iſa. 2. a 3. Mich. 4. a 2.*
pientibus ab Hieruſalem. Quid hac voce veracius, quid diuinius, quid *Pſ. 69. a 3.*
manifeſtius? Me piget eam commendare verbis meis, et Hæreticos non *Pſal. 109. a 2.*
pudet eam oppugnare verbis ſuis, &c. Teneamus ergo Eccleſiam ex ore *Cap. 10.*
Domini deſignatam, vnde cæptura, & quouſque peruentura eſſet: cæptura «
ſcilicet ab Hieruſalem, & peruentura in omnes Gẽtes, &c. Rurſus in Acti- *Act. 1.*
bus Apoſtolorum ſcriptum eſt: Et eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in «
tota Iudæa, & Samaria, & vſque in totam terram. Ecce & hic manifeſtatũ «
eſt, vnde cæptura, & quouſque eſſet peruentura Eccleſia. Quid ad hæc «
dicunt qui ſe Chriſtianos ſuperbiſſimè dicunt, & Chriſto apertiſſimè con- «
tradicunt? Nos hanc Eccleſiam tenemus: contra iſtas diuinas voces, nullas «
humanas criminationes admittimus. Mouet enim nos plurimum, quòd *Nouiſſima verba Chriſti.*
Dominus noſter, cui non credere ſacrilegum & impium eſt, nouiſſimis
verbis ſuis quæ habuit in terra, hæc primitiuæ Eccleſiæ documenta ſalu- «
bria & nouiſſima dereliquit. His enim dictis mox aſcendit in cœlum: præ- «
munire voluit aures noſtras aduerſus eos quos procedentibus temporibus «
exurrecturos eſſe prædixerat, & dicturos, Ecce hic Chriſtus, ecce illic. «
(Ecce Wittenbergæ Chriſtus, ecce Geneuæ, ecce in Anglia.) Quibus ne *Matth. 24.*
crederemus, admonuit. Nec vlla nobis excuſatio eſt ſi crediderimus con- «
tra vocem Paſtoris noſtri, tam claram, tam apertam, tam manifeſtam, «
vt nemo vel obtuſus & tardus corde poſſet dicere, Non intellexi. «

Luc. 24. Quis enim non intelligat, Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere tertia
" die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum
Act. 1. " in omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem? Quis non intelligat, Eritis
" mihi teſtes in Hieruſalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vſque in totam
" terram? His dictis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum, & viderunt eum
" euntem in cælum. Quid hoc eſt rogo? cùm verba nouiſſima hominis mo-
" rientis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dicit eſſe mentitum, & im-
" pius iudicatur hæres qui fortè illa contempſerit. Quomodo ergo effugie-
" mus iram Dei, ſi vel non credentes vel contemnentes repulerimus verba
" nouiſſima, & vnici Filij Dei, a Domini noſtri ac Saluatoris; & ituri in
" cælum, et inde proſpecturi quis ea negligat, quis obſeruet; & inde venturi,
" vt de omnibus iudicet? Habeo manifeſtiſſimam vocem Paſtoris mei com-
" mendantis mihi, & ſine vllis ambagibus exprimentis Eccleſiam: mihi
" imputabo ſi ab eius grege, quod eſt ipſa Eccleſia, per verba hominum
" ſeduci atque aberrare voluero: cùm me præſertim admonuerit dicens, Quæ
Ioan. 10. " ſunt oues meæ, vocem meam audiunt, & ſequuntur me. Ecce vox eius
" clara, & aperta, ac audita. Qui eum non ſequitur, quomodo ſe ouem eius
" dicere audebit?

Omnibus qui ſuas animas non contemnunt, ſatis ſuperque ſunt iſta quæ non ex ſenſu noſtro, ſed ex ſenſu ipſius S. Auguſtini produximus, & plura breuitatis causâ prætermiſimus, tam multa diuina oracula apertiſſima, per id teſtantia, Eccleſiam ad D. Auguſtini tempora viſibilem durauiſſe, per quod teſtantur, eam & ad noſtra tempora & ad futura tempora, donec nimirum omnes Gentes peruaſerit, viſibilem perdurare. Sed licet iſta, vt dixi, ſufficiant, & abundent, placet tamen adhuc à D. Auguſtino non diſcedere, ſed (vt omnes qui volunt, imò & qui nolunt, pleniſſimè videant veritatem) ex eo ipſo inſuper recitare, quomodo Scriptura ſacra non ſolùm de Eccleſia tali talia prædixerit, verumetiam narrauerit, ſuas illas prædictiones impleri. Auguſtinum igitur rurſus audiamus:

Hiſtoria Eccleſiæ incipientis & creſcentis. Sed prædictam demõſtrauimus Eccleſiam in verbo Dei Sponſo eius, ſiue per Legem & Prophetas & Pſalmos, ſiue per os proprium, ab Hieruſalem cæpturam, & peruenturam vſque ad terminos orbis terræ.

" Quomodo autem cæperit ab Hieruſalem, & in omnes Gentes inde diffuſa
Hieruſalem. " fructificet, in eodem verbo Dei etiam per Apoſtolos demonſtratur, ſicut
Act. 1. ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum, &c. Tunc reuerſi ſunt in Hieru-
Act. 2. ſalem, &c. Erat autem turba hominum circiter centumuiginti, &c. Et
" cùm complerentur dies Pentecoſtes, &c. repleti ſunt omnes Spiritu
" ſancto, &c. Et adiectæ ſunt in illa die animæ (quæ, prædicante D. Petro,

credide-

crediderunt, & baptizatæ ſunt) circiter tria millia. Ecce quemadmodum cæpta eſt ab Hieruſalem, inde itura Eccleſia per omnes linguas: quod etiam præſignatum eſt in eis, qui ibidem conſtituti, accepto Spiritu ſancto, linguis omnibus ſunt locuti. Iam per alias Gentes quemadmodum ierit, &c. deinceps videamus, &c. Facta eſt autem (ſub Stephano) perſecutio magna in eccleſia quæ erat Hieroſolymis, omneſque diſperſi ſunt in regionibus Iudææ & Samariæ, exceptis Apoſtolis, qui remanſerunt Hieroſolymis. Videte quemadmodum deinceps impleatur, quod per ordinem Dominus dixerat, Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in tota Iudæa, & Samariæ, & vſque in totam terram. Iam in Hieruſalem factum erat: ſequebatur in Iudæa & Samaria. propter quod illi diſperſi ſunt in regionibus Iudææ & Samariæ. Hoc enim de illis mox dicitur, At illi qui diſperſi erant, tranſeuntes per ciuitates & caſtella euangelizabant verbum Domini, &c. Petrus (item) & Ioannes (Samariæ) teſtificati verbum Domini, redibant Hieroſolymam, multiſque vicis Samaritanorum euangelizabant tranſeuntes, &c. Philippus (item, baptizato Eunucho,) inuentus eſt veniſſe in Azotum. vnde reuertens euangelizabat per omnes ciuitates vſquedum veniret in Cæſaream. Sic ergo inuenitur & per Iudææ & per Samariæ ciuitates prædicatum Euangelium. Reſtabat ergo vt prædicaretur ex ordine etiam per omnes gentes, ſicut Dominus dixerat, vſque in totam terram. Vocatur ergo Saulus de cælo, &c. vt portet (dicit de illo Dominus ad Ananiam) nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Iſraël, &c. Iam itaque tenemus Eccleſiam in Hieruſalem, & per totam Iudæam, & Samariam. vnde apertiſſimè paulo pòſt dicitur, Eccleſiæ quidem per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habebant pacem, &c. Deinde &c. venitur ad eum locum vbi Cornelius centurio credidit, & baptizatus eſt cum ſuis, qui omnes gentiles erant incircuncíſi. Quòd antequam fieret, Petrus vidit, &c. Quòd autem per hoc viſum Gentes crediture ſignificatæ ſunt, &c. ipſe exponit, &c. Iam cui non appareat illo vaſe ſignificatum Orbem terrarum, cum omnibus gentibus? vnde etiam quatuor initijs erat alligatum, propter notiſſimas quatuor partes, Orientem, Occidentem, Auſtrum, & Aquilonem, &c. Iam verò Paulus miſſus ad Gentes, quæ loca circumierit diſſeminans verbum dei, & natas confirmans Eccleſiis, longum eſt commemorare. Cui Iudæi cum reſtitiſſent Antiochiæ, ipſe & Barnabas dixerunt ad eos, vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis vita æterna, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus, Poſui te lumen gentibus, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ. Et ſequitur

Iudæa & Samaria. Act. 8.

Omnes Gentes. Act. 9.

Act. 10.

Petrus.

Paulus.

Tranſitur à Iudæis ad Gentes. Act. 13.

Eſa. 46.

„ dicens, Audientes autem gentes, perceperunt verbum Dei, &c.

Perductâ iam Hiſtoriâ Actuum Apoſtolicorum poſt cæteros Apoſtolos ad S. Paulum; & ad Euangelium primò per D. Petrum, deinde per D. Paulum poſt Iudæos Gentibus annunciari cæptum: S. Auguſtinus Librum illum Actorum vlterius non proſequitur, quia hoc ipſum ſatis erat. Verumtamen mihi videtur, & ſpero omnes non nimium contentioſos, ſed æquos ac graues rerum æſtimatores mihi facilè aſſenſuros, non minori conſideratione dignum eſſe, quónam etiam inter omnes Gentes D. Paulum Liber ille perducat; & ibi demum, Spiritu ſancto non ſine grauiſſima indubiè cauſa id volente, finem accipiat. Ergo poſt ſuperiora quæ diximus, quibuſdam interpoſitis, quomodo ſcilicet varijs in locis prædicauerit idem Apoſtolus tum Iudæis tum Gentilibus, paſſim fundans, & cônfirmans Chriſti tum Eccleſias, tum doctrinas: tandem D. Lucas incipit narrare, quo etiam modo dictus Apoſtolus, cuius & ipſe comes fuit ac diſcipulus, poſt plurima Gentilium loca, ad ipſum denique Caput Gentium, id eſt, Romam quoque peruenerit.

Cur liber Actorum terminetur in Pauli aduentu ad vrbem Romam.

Nihil interim de Petri aduentu ad eandem vrbem narrans. Quod aliquis dixerit fortaſſe factum ſimpliciter, quia Lucas erat comes Pauli, & non Petri. Sed adhuc et quæſtione et ratione carere non poteſt, quòd Spiritus ſanctus voluerit Scriptorem huius Sacræ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ eſſe comitem Pauli, & non Petri. Impudentiſſimum autem eſt (quia contra omnes Antiquos, et Recentes, etiam Hæreticos, modò non inſanos) quod quidam Hæretici contendere non erubeſcunt, Petrum nunquam Romæ fuiſſe: imò et contra Sacram Scripturam, quæ teſtatur ipſum Petrum ſcripſiſſe primam Epiſtolam ſuam è Roma, ſub myſtico nomine Babylonis, propter confuſionem Gentilitatis ibi tunc viſendam. De Libro autem Actorum, non equidem dubito, quin eandem ob cauſam nihil narrauerit de Petro veniente Romam, ob quam nihil etiam vel de illius, vel de aliorum vndecim apud vllas Gentes, ſed tantum apud Iudæos prædicatione narrauit: hoc ſolo excepto, quòd Deus, ne quid Eccleſiæ Gentilium (qui ſumus nos) minus eſſe videretur, Petrum (qui habebat Primatum) elegit, per quem Primitiæ Gentilium, Cornelius ſcilicet cum paucis alijs apud Cæſaræam Palæſtinæ, Euangelium audirent, et crederent. Aliud autem nihil neque de Roma neque de cunctis Gentibus, quibus vel Petrus vel vndecim euangelizauerunt, narrat Lucas. idque hanc nimirum ob cauſam (quantum datur mihi videre) vt ordinem Diuinæ diſpenſa-

Cur liber Actorum nõ meminit de aduentu Petri ad vrbem Romam.

1. Pet. 5. v. 13.

Act. 10.

diſpenſationis ordo iſtius Sacræ Hiſtoriæ nobis exprimeret. Fuit autem diſpenſatio hæc, vt licèt tum Petrus cum vndecim, tum Paulus cum Barnaba, in omnes Gentes Apoſtolicam acceperint poteſtatem: vnde & illis dixit Chriſtus, Euntes docete omnes Gentes: & de Paulo dixit idem, Vas electionis eſt mihi, vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & Filijs Iſraël: tamen vt Iudæorum pertinacia nihil haberet excuſationis, quemadmodum Chriſtus ipſe prius, ita poſtea Petrus et vndecim Apoſtoli ſolis Iudæis prædicare viſi ſunt, quia ad Iudæos promiſſiones de Chriſto et de Euangelio directè ac primariè pertinebant; Proptereaque ad Gentes (ad quas extra ordinem ſalus venit) Paulus extraordinarius Apoſtolus miſſus eſt; vt ita Iudæi & Gentes, velut duo aduerſi parietes, dum pro illis Petrus, pro his Paulus ſtare videbatur, quaſi per quandam ſanctiſſimam, vt multis Patribus placuit, colluſionem Apoſtolorum à Deo diſpenſatam, in vno angulo, id eſt in vna Eccleſia, ſub Chriſto capite, vnirentur. Cui tamen ſalutari diſpenſationi quia Iudæi perfidi eâdem qua Chriſtum Gentibus traditum crucifixerunt, cæcitate & pertinacia aduerſaturi erant, & ſic Euangelium ſalutemque amiſſuri, atque inſcij Gentibus tradituri: diſpenſante Deo factum eſt, vt tranſitum ipſum à Iudæis ad Gentes, non Petrus, ſicut neque Chriſtus ipſe, ſed Paulus Gentium Apoſtolus faceret tum in re tum in Hiſtoria; idque dum eum Iudæis euangelizantem Iudæi inuidia Gentium vbique perſequerentur, & demum Gentibus (ſicut prius Chriſtum) traderent. Non enim eodem modo, id eſt traditione Iudæorum, venit Petrus Romam, ſed alia occaſione, nimirum Simonis Magi Patriarchæ Hæreticorum confundendi gratia. Huius (inquam) circa Iudæos Diuinæ diſpenſationis ordinem voluit Spiritus Sanctus, vt prænunciari in toto veteri Teſtamento, ita quoad meritum quidem in Euangelijs, quoad executionem verò in Actis Apoſtolicis annunciari, & ſicut in tabula efformari.

Matth. 28. *Act. 9.* *Euſ. Hiſt. li. 2. ca. 12. 13.* *Inf. Moti. 4.*

Et eadem Paulus ipſe in Epiſtolis diuinitus tradit, primùm de Chriſto ipſo ita ſcribens: Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe Circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum: Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum. *Rom. 15.*

„ (Deinde de Apoſtolis:) Creditum eſt mihi Euangelium Præputij, ſicut
Gal 2. Petro Circumciſionis. &, Iacobus & Cephas & Ioannes qui videbantur
„ columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis.: vt nos in
„ Gentes, ipſi autem in Circumciſionem. Porrò Lucas in Actis Apoſtolicis
a Act. 2. ad 8. nihil aliud quàm hoc idem. Hinc enim cùm [a] in principio libri narratio-
b Act. 3. v. 1. & 9 v. 31. nem feciſſet de Petro et vndecim qui prædicabant Iudæis in Ieruſalem: ac
deinde de alijs ſub Stephano prædicantibus in tota [b] Iudæa, Samaria &
c Act. 11. v. 19. Galilæa, qui [c] perambulauerunt vſque Phœnicen et Cyprum et Antio-
chiam, nemini (tamen) loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis: et inter hæc
d Act. 9. e Act. 10. 11. de [d] Conuerſione Pauli, maximè ad prædicandum Gentibus, [e] iam à
Petro principe omnium mirabiliter initiatis: [f] proſequitur tandem, omiſ-
f Act. 13. g Act. 9. v. 22. ſis cæteris, de ſolo Paulo cum ſuis. Quem cùm oſtendiſſet vbique [g] con-
fundentem Iudæos, et propter blaſphemias tranſeuntem ab eis [h] Antio-
h Act. 13. v. 46. chiam, Piſidiam, et [i] Corinthum et [k] Epheſum ad Gentiles: tandem
i Act. 18. v. 6. accedit narraturus de quo agimus, quomodo denique Romam venerit,
k Act. 19. v 9. idque traditus à Iudæis. in quo narrando vnam inſumit ex tribus libri par-
l Act. 19. v. 21. tibus. Itaque ſequitur, et dicit: [l] His autem expletis, propoſuit (Epheſi)
Paulus in Spiritu, tranſita Macedonia et Achaia ire Ieroſolimam, dicens,
„ Poſtquam fuero ibi oportet me et Romam videre. Tranſita igitur Mace-
„ donia et Achaia, iam iter agens in Ieruſalem, ſcribit ipſe etiam ad Romanos
Rom. 1. (quorum iam fides annuntiabatur in vniuerſo mundo) de hoc ſuo ad eos
„ veniendi propoſito. Teſtis enim (inquit) mihi eſt Deus, cui ſeruio in
„ ſpiritu meo in Euangelio Filij eius; quòd ſine intermiſſione memoriam
„ veſtri facio ſemper in orationibus meis, obſecrans ſi quo modo tandem
„ aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei, veniendi ad vos.
„ Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad
„ confirmandos vos: id eſt, ſimul conſolari in vobis per eam quæ inuicem
Eadem fides Romanorum & Pauli. eſt fidem veſtram atque meam. Nolo autem vos ignorare, fratres, quia
ſæpe propoſui venire ad vos, (& prohibitus ſum vſque adhuc) vt aliquem
fructum habeam et in vobis, ſicut et in cæteris gentibus. Græcis ac Bar-
„ baris, ſapientibus et inſipientibus debitor ſum. itaque (quod in me)
Rom. 15. „ promptum eſt, et vobis qui Romæ eſtis, euangelizare. (Et rurſus:) Ab
„ Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleui Euangelium Chriſti,
„ prædicans vbi nondum nominatus eſt Chriſtus. propter quod et impe-
„ diebar plurimum venire ad vos. Nunc verò vlterius locum non habens
„ in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis
„ iam præcedentibus annis: cùm in Hiſpaniam proficiſci cæpero, ſpero quòd
„ prætereiens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte
fruitus

ſtitus fuero. Nunc autem proficiſcor in Ieruſalem miniſtrare ſanctis. «
Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in «
pauperes ſanctorum qui ſunt in Ieruſalem, &c. Obſecro ergo vos fratres «
per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem S. Spiritus, «
vt adiuuetis me in orationibus ad Deum, vt liberer ab infidelibus qui ſunt «
in Iudæa, & obſequij mei oblatio accepta fiat in Ieruſalem ſanctis, vt ve- «
niam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiſcum. «
Deinde in eodem itinere concionatur ad Presbyteros Epheſi, quos Mi-
letum accerſierat, & dicit inter cætera: [m] Et nunc ecce alligatus ego Spi- [m] Act. 20. v. 22.
ritu, vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans, niſi quòd «
Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens, quoniam «
vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent. Paulò pòſt in Cæſa- «
rea, [n] cùm veniſſet ad nos (inquit Lucas) de Iudæa Agabus propheta, [n] Act. 21. v. 11.
tulit zonam Pauli: & alligans ſibi pedes & manus dixit, Hæc dicit Spiri- «
tus ſanctus: virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in Ieruſalem Iudæi, «
& tradent in manus Gentium. [o] Ieroſolymam igitur cùm veniſſet, ibique [o] Act. 21. v. 15.
ſeditione Iudæorum cogente, & militum Tribuno iubente, raptus eſſet in
caſtra, ſtans in gradibus concionatur ad illos, inter cætera narrans, Chriſtũ
ſibi olim oranti in Templo Ieruſalem in viſione dixiſſe: [p] Feſtina, & exi [p] Act. 22. v. 17.
velociter ex Ieruſalem: quoniam non recipient teſtimonium tuum de «
me, &c. Et dixit ad me, vade, quoniam ego in Nationes longè mittam te. «
Audierunt autem eum vſque ad hoc verbum (inquit Lucas) & leuaue- «
runt vocem ſuam dicentes (Tribuno,) Tolle de terra huiuſmodi: non «
enim fas eſt eum viuere. Poſtera autem die productus à Tribuno ad Sa- «
cerdotes & omne concilium, cum timeretur [q] ne diſcerperetur ab ipſis, [q] Act. 23. v. 13.
reductus eſt in caſtra. [r] Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Dominus ait: [r] Act. 23. v. 11.
Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet
& Romæ teſtificari. [ſ] Biennio deinde Cæſareæ a Felice præſide in cu- [ſ] Act. 24.
ſtodia detinetur. Tum [t] ſub Portio Feſto Præſide Cæſarem appellans, [t] Act. 25.
Romam à Centurione Iulio ducitur. [v] Cum autem veniſſemus Romam, [v] Act. vlt.
(inquit Lucas) permiſſum eſt Paulo manere ſibimet cum cuſtodiente ſe «
milite. Ibi autem rurſus concionatur mox ad Iudæos, ſuadens eis de Ieſu «
ex lege Moyſi & Prophetis, à mane vſque ad veſperam. Et quidam crede- «
bant his quæ dicebantur, quidam verò non credebant. Itaque repetiuit «
Paulus incredulis verbum Iſaiæ Prophetæ dicentis, Iudæos non audituros: «
(& ſubintulit,) Notum ergo ſit vobis, quoniam Gentibus miſſum eſt hoc «
ſalutare Dei: & ipſi audient. (Et ſic) exierunt ab eo Iudæi. Ipſe autem «
manſit biennio toto in ſuo conducto: et ſuſcipiebat omnes qui ingredie- «
bantur

bantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto cum omni fiducia, ſine prohibitione. Atque hoc demum loco D. Lucas Librum ſuum de Actis Apoſtolorum terminat; Ob hanc, vt mihi videtur cauſam: quòd Eccleſia (quæ hoc iam modo tranſibat à Iudæis ad Gentiles, cum his in finem etiam permanſura) vtcumque aliquando de alijs quibuſdam in quibus fuiſſet, locis Gentilium iterum periret, Deo propter hæreſes impijſſimas & pertinaciſſimas, aliáque peccata grauiſſima deſolationem ibidem inducente: tamen in vrbe Roma ſemper extaret. Propterea, inquam, Spiritus ſanctus, cùm Eccleſiam quam in omnibus Gentibus futuram eſſe prædixerat; quamque per hanc ſacram Actorum hiſtoriam narrauerat in quibuſdam Gentibus eſſe cæpiſſe; ſed quomodo omnes Gentes peruaſiſſet, quia id non ante finem ſeculi, nedum Apoſtolorum tempore futurum erat, narrare vt rem geſtam in illo Libro non poterat: eandem Sacram de Eccleſia Hiſtoriam ad illum, antequam terminaretur, celeberrimum Gentilium locum perduci à Scriptore voluit, in quo loco voluit ipſe eandem Eccleſiam ſine termino celeberrimam maximeque glorioſam atque conſpicuam, vt pote in auguſtiſſimo totius Orbis capite, collocare: vt omnes quoſcumque in poſterum circumuenire quilibet & qualeſcumque conarentur Hæretici, repetitis è ſacra Scriptura his Eccleſiæ Romanæ primordijs, eiuſdemque conſtantiſſima & inuictiſſima ſuis quorũque temporibus perſeueratione animaduerſa, poſſent nullo negocio, eandem Eccleſiam ſemper intuentes, ſe in fide Catholica integros conſeruare. De qua re quoniam in alio Motiuo, Deo donante, iterum dicturus ſum, eam interim prudentis & æqui Lectoris conſiderationi relinquens, ad D. Auguſtinum redeo.

Inf. Moti. 45.

Cum quo, & per quem iam ex Diuinis literis copioſiſſimè & clariſſimè demonſtraui, tum quòd prædictum ſit, Eccleſiam ab Hieruſalem in totam Iudæam, & Samariam, & in omnes gentes progreſſuram; tum quòd narratum ibidem ac teſtatum ſit, Eccleſiam & cæpiſſe, vt prædicta eſt, in Hieruſalem, & perueniſſe in Iudæam, in Samariam, atque in alias multas gentes: vt nec antecedentes, viſis illis principijs, dubitarent, eam in cæteras Gentes ſimiliter peruenturam; & poſteri eam ad ſua quique tempora perueniſſe videntes, & ſicut non ſine Chriſto, ita nec ſine ea ſaluari valentes, libenter illam & obedienter agnoſcerent. Quare omnes iſtos Euangeliſtas nouos eorumque diſcipulos vehementer oporteret, dignâ actâ pœnitentiâ, ſibi ab illo terribili & infallibili non ſolùm D. Auguſtini, ſed etiam D. Pauli, ipſiuſque adeo omnipotentis Dei anathemate præcauere.

Fideliſſi-

Fideliſſimus, (inquit Auguſtinus,) diſpenſator (Domini) (Doctor *1. Tim. 2.*
Gentium in fide & veritate, quia ipſe in eo loquebatur) hæc dicit: Miror, *Gal. 1.*
"quòd ſic tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Chriſti
"in aliud Euangelium: quod non eſt aliud, niſi aliqui ſunt conturbantes
"vos, & volentes conuertere Euangelium Chriſti. Sed licet ſi nos aut
"Angelus de cælo vobis euangelizauerit præterquam quod euangelizaui-
"mus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Siquis
"vobis euangelizauerit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.
"Euangelizata eſt nobis Eccleſia per totum orbem terrarum futura. Hoc
"in Lege & Prophetis & Pſalmis eſſe prænunciatum ipſe Dominus teſtifi-
"catus eſt: qui eam cœpturam àb Hieruſalem, & per omnes gentes perman-
"ſuram eſſe prædixit, teſtes ſibi futuros in Hieruſalem & in tota Iudæa &
"Samaria vſque in totam terram, cùm iam in cælũ aſcenderet prænunciauit.
"Hæc verba, facta ſecuta ſunt. Quomodo cœptum ſit ab Hieruſalem, &
"deinde proceſſum in Iudæam et Samariam, et in totam terram, vbi adhuc
"creſcit Eccleſia donec vſque in finem etiam reliquas gentes, vbi adhuc
"non eſt, obtineat, Scripturis ſanctis teſtibus conſequenter oſtenditur.
"quiſquis aliud euangelizauerit, anathema ſit. Aliud autem euangelizat *Cap. 12.*
"qui periiſſe dicit de cætero mundo Eccleſiam, et in parte Donati in
"ſola Africa remanſiſſe dicit. Et multo magis aliud euangelizat qui pe-
"riiſſe dicit de toto mundo Eccleſiam, et nuſquam mille ducentis vt mi-
nimum annis remanſiſſe dicit: ſed tandem in parte imò perſona ſolius
Lutheri Wittenbergæ in Saxonia, vel in parte imò perſona ſolius Cal-
uini Geneuæ in Sabaudia poſt tam multa ſecula reuixiſſe. Ergo ana-
"thema ſit. Aut legat mihi hoc in Scripturis ſanctis, & non ſit anathema.

Atque hìc Auguſtinus, qui hactenus ſuam, id eſt Catholicam Eccleſiam, è Scripturis, vt vidimus, demonſtrauit, hìc (inquam) aggreditur ad refellendum Donatiſtarum argumenta, quæ ipſi pro ſua Eccleſia prætenderunt: quæ eadem & ſimilia, proteſtantium quoque, vt videbimus, in ore ſunt, vt & ipſi ſuas contra Eccleſiam Catholicam particulas è Scripturis ſanctis defendere videantur. Ex quo omnibus qui cæci eſſe nolunt, facilè videre licet, tum Catholicos priores fuiſſe parentes noſtros, tum Hæreticos priores fuiſſe parentes Proteſtantium. Sed pergat Auguſtinus loqui. *Ad Scripturas, & reſponſiones Donatiſtarum.*

Ergo anathema ſit. Aut legat mihi hoc in Scripturis ſanctis, & non ſit anathema. Lego, inquit. Nam Enoch vnus, &c. ſolus Noë, &c. *Geneſ 5. 7. 19.*
ſolus Loth, &c. Abraham, Iſaac, & Iacob pauci, &c. poſtremò ex duodecim
tribubus, &c. duæ tantùm remanſerunt filio Salomonis ad regnum, quod *3. Reg. 11. 12.*

E erat in

" erat in Hieruſalem. Sic & nunc, inquiunt, totus mundus apoſtatauit; nos
" autem tanquam duæ illæ tribus in templo Dei, hoc eſt in Eccleſia per-
" manſimus. vel non quidem permanſimus, inquiunt Proteſtantes; ſed
" cunctis perditis, poſt ſecula neſcio quot emerſimus. His, inquit Auguſti-
" nus, atque huiuſmodi exemplis Hæretici ſuam Paucitatem commendare
conantur, & in † ſanctis Eccleſiæ multitudinem toto orbe diffuſam, blaſ-
" phemare non ceſſant, &c. Cur non & ipſi de Eccleſia toto orbe diffuſa
" eiſdem Scripturis credunt? Ecce nos omnia illa credimus: credant & hoc
" ipſi, &c. Et illa, & iſta vera eſſe credantur, & nulla inter nos contentio
" remanebit: quia nec illis veris iſta, nec iſtis veris illa impediuntur.

† For. ſacramentis.

Obſeruetur iam attentè, quod ſequitur, quomodo, ſcilicet aliter reſponderint Donatiſtæ ad Scripturas ſuperius allegatas. Erat enim prior reſponſio (vti vidimus) eas propter liberum arbitrium hominum compleri non potuiſſe. Nunc verò reſpondebunt id quod Lector diligens hactenus fortaſſe ſuſpicatus eſt, quodque Hæreticus fortaſſe etiam cogitauit & dixit, Eas nimirum completas eſſe, & mundum à Chriſto poſtea receſſiſſe. Sed ex ipſo Auguſtino præſtat audire hanc eorum reſponſionem falſam, & eiuſdem refutationem ſolidiſſimam; non magis ad tempus eius, quàm ad noſtrum, & ad omnia tempora, propter nunquam apoſtatantem Eccleſiam, pertinentem.

" Et iſta, inquiunt, (De Eccleſia toto orbem diffuſa) credimus; &
" completa eſſe confitemur: ſed poſtea Orbis terrarum apoſtatauit, & ſola
" remanſit Donati communio (vel, nec remanſit Lutheri ſeu Caluini com-
" munio; ſed plurimis poſtea ſeculis apparuit.) Hoc nobis (è Scripturis)
" legant, &c. & nihil reſiſtimus. Ac tum regulam tradit pulcherrimam, ab
omnibus qui Hæreticorum argumentis falli nolunt, plurimùm obſeruan-
" dam: Plerúmque (inquit) Sermo diuinus impias turbas Eccleſiæ, quæ
" nec in Eccleſia (dignè) deputantur, tamen propter Sacramenta quæ cum
" ſanctis communiter habent, &c. ſic redarguit tanquam omnes tales ſint,
" & nullus bonus omnino remanſerit, &c. Iſti ergo vel imperitè, vel (quod
" peius eſt) fallaciter agentes, colligunt de Scripturis talia, quæ vel in malos
" bonis vſque in finem permixtos, vel de vaſtatione prioris populi Iudæo-
" rum dicta reperiuntur; & volunt ea detorquere in Eccleſiam Dei, vt tan-
" quam defeciſſe ac perijſſe de toto orbe videatur. Deſinant ergo talia pro-
" ferre, ſi reſpondere huic Epiſtolæ, (ſeu Motiuo,) volunt. Neque enim nos
" ita dicimus per totum orbem diffundi Eccleſiam; vt in Sacramentis eius
" ſolos bonos eſſe dicamus, ac non etiam malos; & eos etiam multo plures,
" vt eorum in comparatione (boni) pauci ſint; cùm per ſeipſos ingentem

nume-

numerum faciant. (De quibus tribus, id eſt, de perpetua commixtione *Cap.* 13.
malorum cum bonis in eadem communione ſacramentorum, (ideoque "
in eadem Eccleſia viſibili; &) De bonorum paucitate propter malorum "
plurimam comparationem; (&) rurſus De bonorum multitudine per ſe- "
ipſam conſiderata: (varia deinde profert Scripturarum teſtimonia: Et "
illud inter cætera) quod dicit Dominus de ſuperſeminatis zizanijs, Sinite "
vtraque creſcere vſque ad meſſem; id eſt (inquit) triticum & zizania. *Matth.* 13.
Et ipſe (Dominus) interpretatur, Meſſem finem eſſe ſeculi. Agrum verò "
vbi vtrumque ſeminatum eſt, mundum eſſe. Oportet itaque vſque in "
finem ſeculi creſcere vtrumque per mundum. Vnde iam non permittun- "
tur iſti ſuſpicari aut diſſerere quod dicunt, omnes bonos defeciſſe de mun- "
do, vt in ſola parte Donati remanerent; (aut, vt nuſquam penitus rema-
nerent, ſed in ſola parte Lutheri ſeu Caluini poſt multa ſecula appare-
rent.) Conantur enim contra apertiſſimam ſententiam Domini dicentis, "
Ager eſt hic mundus: &, Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem: &, "
Meſſis eſt finis ſeculi, &c. Cùm ad littus, id eſt, ad finem ſeculi ven- "
tum fuerit, fiet debita ſeparatio, non humana temeritate, ſed diuino "
iudicio, &c.

Poſt eorum prætenſas illas ad Scripturas Catholicorum reſponſiones refutatas ex parte (nam paulò poſt & plenius refutabit:) accedit ad examinandas Scripturas eorum, quas vel pro ſua Eccleſia, vel contra Catholicam Eccleſiam allegabant. Quarum illâ communiter cum filijs ſuis Proteſtantibus vtebantur Donatiſtæ: Item dicunt (inquit Aug.) de Apoſtaſia "
orbis terrarum dictum eſſe quod ait Dominus, Filius hominis veniens pu- *Luc.* 18.
tas inueniet fidem in terra? (Reſpondet duobus modis Auguſtinus, & "
nos cum illo:) Hoc nos intelligimus dictum vel propter ipſam fidei per- "
fectionem, quæ ita difficilis eſt in hominibus, vt in ipſis quoque admirabi- "
libus ſanctis, ſicut in ipſo Moyſe, inueniatur aliquid vbi trepidauerint vel *Num.* 20.
trepidare potuerint: vel propter illam iniquorum abundantiam, & pau- "
citatem bonorum, de qua diximus. propterea enim tanquam dubitans hoc "
Dominus dixit. Neque enim ait, veniens filius hominis non inueniet "
fidem in terra: ſed, putas inueniet fidem in terra? Cui vtique cuncta "
ſcienti & præſcienti de aliqua re dubitare non conuenit: ſed illius dubita- "
tio noſtram dubitationem figurauit, quia propter multa ſcandala circa "
finem ſeculi pullulantia, hoc quoque erat quandoque infirmitas humana "
dictura, &c. Deſinant ergo iſti, ſi reſpondere huic Epiſtolæ (vel Motiuo) "
parant, ea teſtimonia commemorare, &c. Et ſicut nos manifeſtiſſimis "
teſtimonijs aſſeruimus Eccleſiã toto orbe diffuſam, ſic & ipſi manifeſtum "

„ aliquid proferant, vnde oſtendant eſſe prædictum; cæteris gentibus à
„ fide Chriſti pereuntibus, ſolam Africam remanſuram, & quocumque Epiſ-
„ copi ex Africa mitterentur: aut, nec vllam partem mundi in fide remanſuram, ſed Wittenbergam ſeu Geneuam poſt multa ſecula emerſuram, & quocumque noui Euangeliſtæ ex Wittenberga ſeu Geneua vel mitterentur, vel excurrerent.

Contra Eccleſiā inuiſibilem. Quoniam autem Hæretici putant ſe contra tam multa clariſſima teſtimonia latibulum inueniſſe, dum fingunt, Eccleſiam veram eſſe inuiſibilem: etſi figmentum illud tum Scripturis allegatis, tum intentioni S. Auguſtini apertè repugnet; præſertim cum Eccleſia inuiſibilis non magis pro Auguſtino & cæteris Catholicis faceret, quàm pro Donatiſtis, & cæteris omnibus Hæreticis: tamen vt id adhuc apertius fiat, ecce quod paulò
Cap. 14. poſt ſuperiora apud illum ſequitur: Non eſt autem iſta (id eſt Eccleſia
Matth. 5. Catholica) operta: quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt
„ luceat omnibus qui in domo ſunt. Et de illa dictum eſt, Non poteſt ciuitas
Cant. 1. abſcondi ſuper montem conſtituta. Sed Donatiſtis (& Caluiniſtis) velut
„ operta eſt: quia audiunt tam lucida et manifeſta teſtimonia quæ illam toto
„ orbe eſſe demonſtrant, et malunt clauſis oculis offendere in montem,
„ quàm in eum aſcendere, etc. (Proinde) perſcrutentur Scripturas, et con-
„ tra tam multa teſtimonia quibus oſtenditur Eccleſia Chriſti toto orbe ter-
„ rarum diffundi, vel vnum proferant tam certum et tam manifeſtum quàm
„ illa ſunt, quo demonſtrent, Eccleſiam Chriſti perijſſe de cæteris gentibus,
„ et in ſola Africa remanſiſſe: vel perijſſe de cunctis gentibus, et nuſquam per plurima ſecula extitiſſe. Sed ne quærāt ſaltem aliquod huiuſmodi teſti-
Eccleſia viſibilis nunquam deficit. monium de Eccleſia ſic deficiente, admonet eos D. Auguſtinus, duabus rationibus, oſtendens id eos fruſtra conaturos: primùm enim inquit, atten-
Matth. 13. dant illud quod ſæpè commemoraui, Sinite vtraque creſcere vſque ad meſ-
„ ſem, &, agrum eſſe mundum, meſſem finem ſeculi; non nobis, ſed ipſo
„ Domino interpretante parabolam ſuam. Secundo loco adfert rationem, quæ & plenius (vt paulo antè dixi) refutet id quod Hæretici modò reſponderunt, Completas eſſe Scripturas illas de Eccleſia diffundenda per or-
„ bem, & ſic Eccleſiam poſtea perijſſe. Eſt aliud euidentiſſimum (inquit
„ Aug.) quod eis omnino auferat laborem quærendi, &c. quod inuenire
b Idem cō. Creſcon. li. 3. ca. 65. non poterunt, &c. quia non eſt. Sunt enim adhuc [b] nonnullæ gentes, in quibus nondum eſt Euangelium prædicatum: neceſſe eſt autem impleri
„ omnia quæ de Chriſto & Eccleſia prædicta ſunt: Oportet ergo & in eis
Cap. 15. „ prædicari: quod cùm impletum fuerit, tunc erit finis. Quomodo ergo iſti
Luc. 24. dicunt iam eſſe completum quod Dominus ait, prædicari in nomine eius

pœniten-

pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem, ſed poſtea cæteris deficientibus, ſolam Chriſto Africam remanſiſſe; imò cunctis deficientibus, nullam Chriſto particulam remanſiſſe, ſed poſt multa ſecula Wittenbergam vel Geneuam ad eum rediiſſe: cùm adhuc illud implendum ſit, nondum impletum? Cùm autem impletum fuerit, veniet finis. Sic enim Dominus ait, Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Quomodo ergo cùm adimpleta eſſet fides omnium gentium, tunc perditio gentium, excepta Africa, (aut nec excepta Africa,) conſecuta eſt? quandoquidem ipſa fides omnium gentium nondum impleta eſt. Hic vnica eis remanet quaſi reſponſionis ſpecies, vt dicant, Non compleri prædicationem illam Euangelij confertim & continuò, ſed cum quibuſdam intermiſſionibus: ideoque cū in quibuſdam gentibus per Apoſtolos & eorū aliquot ſucceſſores completa fuiſſet, periiſſe rurſus de eiſdem gentibus; & poſt longiſſimi temporis interuentum extitiſſe Wittenbergam vel Geneuam, ex qua in eiſdem gentibus reparetur, & in cæteris gentibus cōpleatur. Sed quid ad hoc etiam Auguſtinus? Niſi fortè hoc (inquit) reſtat hominum inſaniæ, vt dicant, non ex illis Eccleſijs, quæ (Romæ & alibi) fundatæ ſunt per Apoſtolorum labores, adimpleri prædicationem Euangelij in omnibus gentibus, ſed illis pereuntibus, & earum reparationem ex Africa per partem Donati, (vel è Saxonia per partē Lutheri, aut ex Geneua per partē Caluini, aut ex Monaſterienſi ciuitate per partem † Rotmāni,) & reſiduarum gentium acquiſitionem. Puto quòd ipſi etiam rideant cū hoc audiunt: & tamen niſi hoc dicant, quod erubeſcunt ſi dicant, non habent omnino quod dicāt. Quòd ſi autē ridere & erubeſcere deberent Donatiſtæ, ſe ſolos reliquias & ſemen Eccleſiæ eſſe dicentes, quorū tanta erat in Africa multitudo, vt eorū Epiſcopi ducenti ſeptuaginta nouem adeſſent in Collatione (vbi tū aderant etiā ex Africa Epiſcopi Catholici ducenti octuaginta ſex) vtque pluſquā quadringētos epiſcopos per totā Africā ſe fuiſſe iactarēt: quanto magis ridiculi & pudendi videri debēt Hæretici huius tēporis, idem de ſe dicentes, cùm pænè nullū hactenus habuerint vel iam habeant in vllo prorſus loco Epiſcopū? Sequitur Auguſtinus ita dicens: Sed quid ad nos? Nemini inuidemus, legāt nobis hoc de Scripturis ſanctis et credimus. Hoc, inquā, nobis ex canone diuinorū librorū legāt, tot ciuitates (Romanā, &c.) quæ vſque ad hodiernū diē baptiſmū per Apoſtolos ſibi cōſignatū tenuerūt, &c. periiſſe à fide Chriſti, & denuò baptizandas eſſe à parte Donati, (vel Rotmanni, aut denuò inſtituēdas à parte Lutheri ſiue Caluini,) atque inde cæteris gētibus, quæ nōdū audierūt, prædicādū Euāgeliū. Hoc nobis legāt.

Matth. 24.

† Erat pater Anabaptiſtarum.

Collat. primæ diei, num. 14. poſt collat. cap. 24.

Act. 15 ex Amos 9. Sicut nos cum Apoſtolis Chriſti ex tam innumerabilibus Scripturæ locis Iudæis legimus eorum defectionem, & nouam ex Gentibus per Chriſtum reparationem. Hoc nobis Chriſtianis gentibus de noſtra rurſus generali defectione, & noua per ipſos reparatione legant Hæretici, vel ex vno „ loco. Quid morantur? Quid tergiuerſantur? Quid impediunt ſalutem „ gentium? legant hoc, & cum ipſa lectione nouos Apoſtolos mittant ad „ tot gentes repabtizandas, (vel aliter quomodolibet reparandas) & ad *Col. 1.* reſiduas baptizandas. Sed planè, &c. cùm Colloſſenſibus dicat Apoſtolus, *Matth. 13.* „ Euangelium peruênit ad vos, ſicut in omni mundo eſt fructificans & „ creſcens, &c. (quæ verba conueniunt cum Euangelio vbi dictum eſt, „ Simile eſt regnum cælorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo, „ id eſt in mundo; vbi & creſcit vſque ad meſſem, id eſt vſque ad finem) „ dicent, &c. omnes Chriſtiani (vt Romani, &c.) apud quos legitur hæc „ epiſtola, vbi per Apoſtolicas literas conſtat, bonum ſemen ſeminatum, „ etiam tunc creſcere & fructificare cœpiſſe: Quid nobis affertis noui? „ Nunquid iterum ſeminandum eſt bonum ſemen, quando ex quo ſeminatum eſt, creſcit vſque ad meſſem? Si dicitis, perijſſe in illis locis quod erat „ per Apoſtolos ſeminatum, & ideo eſſe rurſus ex Africa, (vel Saxonia) ſeminandum: Reſpondetur, Legite nobis hoc ex diuinis oraculis: quòd „ profecto legere non poteſtis, niſi prius oſtenderitis falſum eſſe quod ſcriptum eſt, Semen illic antè ſeminatum, creſcere vſque ad meſſem. Reſtat „ ergo, vt non ex diuinis libris, ſed ex vobis ipſis iſta dicatis. Proinde digniſſimè reſpondebitur, anathema ſitis. Tenent enim Eccleſiæ Apoſto- *Gal. 1.* „ lico labore fundatæ, (vt Romana, &c.) cum quanta cura ſibi prædictum *Cap. 16.* ſit. Si quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.

„ Quoniam igitur in Scripturis ſanctis Eccleſia manifeſtè cognoſcitur „ incipiens ab Hieruſalem, & per alias gentes creſcens (ſine intermiſſione) „ donec omnes occupet vſque ad finem ſeculi, &c. Quicquid de peccatis „ hominum obijcitur, &c. remoueatur, &c. Hæc enim & nos multo copioſius & probabilius obijcere poſſumus, non ea inanitate qua illi, vt in eis „ cauſam noſtram conſtituamus, &c. ſed ne tempus rebus neceſſarijs vtile, „ in rebus non neceſſarijs conteramus. Quod propterea illi faciunt, quia „ robuſta & firma veritate ſubnixa documenta, quibus cauſam ſuam tueantur, inuenire non poſſunt, &c. Remotis ergo omnibus talibus, Eccleſiam ſuam demonſtrent ſi poſſunt, &c. in præſcripto Legis, in Prophetarum prædictis, in Pſalmorum cantibus, in ipſius Paſtoris vocibus, in Euangeliſtarum prædicationibus et laboribus, hoc eſt, in omnibus canonicis ſancto-

Heretici pro Eccleſia ſua Scripturam proferant.

ſancto-

ſanctorum librorum authoritatibus. Nec ita vt ea colligant & commemorent, quæ obſcurè, &c. dicta ſunt, &c. Omiſſis ergo iſtis morarum tendiculis, oſtendat Eccleſiam vel in ſola Africa perditis tot gentibus retinendam, (imò perditis omnibus gentibus nuſquam retinendam, ſed poſt longiſſima temporum ſpacia Wittenbergæ in Saxoniæ aut Geneuæ in Sabaudia iterum naſcituram;) vel ex Africa, (aut Saxonia, aut Geneua) in omnibus gentibus reparandam, atque adimplendam. & ſic oſtendat vt non dicat, verum eſt quia hoc ego dico, &c. Eccleſiam, ſicut Caput eius, in Scripturis ſanctis canonicis debemus agnoſcere; † non in varijs hominum rumoribus, & opinionibus, & factis, & dictis, & viſis inquirere, &c. Ipſe Dominus Ieſus cum reſurrexiſſet à mortuis, & Diſcipulorum oculis videndum manibuſque tangendum corpus ſuum offerret: ne quid tamen fallaciæ ſe pati arbitrarentur, magis eos teſtimonijs Legis & Prophetarum & Pſalmorum confirmandos eſſe iudicauit, oſtendens ea de ſe impleta, quæ fuerant tanto antè prædicta. Sic & Eccleſiam ſuam commendauit dicens, Prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Hoc in Lege, & Prophetis, & Pſalmis eſſe ſcriptum ipſe teſtatus eſt: hoc eius ore commendatum tenemus. Hæc ſunt cauſæ noſtræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta. Legimus in Actibus Apoſtolorum dictum de quibuſdam credentibus, quòd quotidie ſcrutarentur Scripturas, an hæc ita ſe haberent. Quas vtique Scripturas, niſi canonicas Legis & Prophetarum? Huc acceſſerunt Euangelia, Apoſtolicæ epiſtolæ, Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Ioannis. Scrutamini hæc omnia, & eruite aliquid manifeſtum, quo demonſtretis Eccleſiam vel in ſola Africa remanſiſſe, (imò nuſquam remanſiſſe,) vel ex ſola Africa, (Wittenberga, aut Geneua) futurum eſſe vt impleatur quod Dominus dicit, Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Sed aliquid proferte quod non egeat interprete, &c. Atque ibi iam commemorat Auguſtinus vnicum quoddam ex Canticis teſtimonium obſcuriſſimum, quod Donatiſtæ pro ſua in Africa Eccleſia protulerunt. Proteſtantes verò (omnes enim licet diſſectiſſimæ ſectæ hoc communi nomine vocari volunt) pro ſua vel in Saxonia, vel Geneuæ, vel in Anglia, vel in Polonia, vel alibi Eccleſia, neque apertum, neque obſcurum, ne vnicum quidem Sacræ Scripturæ locum, proferre vnquam (quod viderim, vel audiuerim) ſaltem conati ſunt. Aliquid ergo proferte (inquit Aug.) quod, &c. interprete omnino non egeat. Sicut non eget interprete (quod nos proferimus) In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes, &c.

† Plura de hoc, Motiuo 10. De miraculis, circa finem, in X.

Luc. 24.

Ibidem.

Act. 17.

Matth. 24.

Cant. 1.

Geneſ. 22.

Sicut non

Eſa. 62. Sicut non eget interprete, Tu enim vocaberis voluntas mea in ea, & ter-
Pſalm. 21. ra tua orbis terrarum, &c. Sicut non eget interprete, Commemorabun-
„ tur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, &c. Sicut non
Luc. 24. eget interprete, Quia oportebat Chriſtum pati, &c. & prædicari, &c.
„ per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Sicut non eget inter-
Act. 1. prete, Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, et in tota Iudæa, et Samaria, et
Act. 8. 9. „ vſque in totam terram. Cœpiſſe enim Eccleſiam ab Hieruſalem, atque
10. 13. inde iſſe circum Iudæam et Samariam et cæteras gentes, conſequentia
„ geſta teſtantur canonicis firmata documentis. Sicut non eget interprete,
Matth. 24. Et prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerſo Orbe in teſtimonium
„ omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Interrogatus enim Dominus de
„ fine huius ſeculi, cùm quædam initia parturitionum dixiſſet, ait, Sed
„ nondum ſtatim finis. Finem autem futurum prædixit poſt prædicationem
„ Euãgelij in vniuerſo Orbe in omnibus gentibus. Sicut nõ eget interprete,
Matth. 13. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem: quia cùm egeret interprete, ipſe
„ Dominus interpretatus eſt, &c. Bonum ſemen eſſe filios regni, agrum
„ mundum, meſſem finem ſeculi. Tale aliquid proferte vel vnum, quo
„ apertiſſimè Africa (aut Saxonia, &c.) declaretur vel in reliquis ſola dere-
„ licta, vel ad principium renouandi & implendi orbis ſola ſeruata: (imò
Nota. „ non derelicta, neque ſeruata, ſed poſt plurimos annos data.) Neque enim
„ tot teſtimonijs commendaretur quod erat citò periturum, & ſic tacere-
„ tur aut quod ſolum eſſet relinquendum, aut ex quo ſolo totum eſſet re-
„ parandum et implendum. (maximè cùm in illo ſimili, De perditione
Act. 15. ex Amos 9. &c Iudæorum, et de reparatione ex Gentibus, vtrinque abundet Scriptura
„ diuina.) Si autem non poteſtis quod tam iuſtè à vobis flagitamus oſtẽdere,
„ credite veritati, conticeſcite, obdormiſcite, à furore expergiſcimini ad ſalu-
Cap. 17. tem, &c. Nullo interprete indigent Canonicarum Scripturarum teſti-
„ monia quæ commendant, Eccleſiam in totius Orbis communione con-
„ ſiſtere: et ſeparationi veſtræ in Africa, (Saxonia, Anglia, &c.) conſtitutæ ex
„ eiſdem libris nulla talia poteſtis inuenire ſuffragia, &c.

Iam in fine huius ampliſſimi Motiui, et clariſſimis Scripturis (ipſo D. Auguſtino recitatore et tractatore) probatiſſimi, illud adhuc vnum perpendant omnes qui iſta legunt (vt maximam vtilitatem videant exigui laboris ſui) nimirum, Inuentâ per hæc quæ diximus Eccleſiâ, inuentam eſſe omnem eâdem operâ veritatem; quia Eccleſia errare non poteſt. Nam alioqui quid eſt quæſo, cur vel à nobis et à Maioribus noſtris tanto ſtudio quæreretur, vel in Diuinis oraculis tantâ diligentiâ commendaretur? Quemadmodum ſi & de Capite Eccleſiæ, qui eſt Chriſtus Dominus,

Eccleſia iſta errare non poteſt.

Dominus, quæſtio inter nos eſſet (vt inter nos et Iudæos eſt:) ſufficeret vtique ex Scripturis oſtendere, hunc eſſe Chriſtum, Ieſum ſcilicet Nazarenum filium Mariæ virginis; nec neceſſarium eſſet, Scripturas adijcere, quæ teſtantur, Chriſtum eſſe veracem. Verumtamen conſiderans D. Auguſtinus quoſdam eſſe curioſos, vel hæſitabundos, vel incredulos, illud quoque in fine dicti libri De vnitate Eccleſiæ, vt nempe quæſtionem de Eccleſia prorſus abſolueret, breuiter pertractauit. Quod & vtiliſſimum erit omnibus ex illo audire. Valet enim non minus, imò multo magis contra Hæreticos noſtros, quàm contra Donatiſtas ſuos: propterea quòd Donatiſtæ in vno tantùm articulo fidei ab Eccleſia diſſentiebant; Iſti verò noſtri, non tanquam Hæretici ab vno, vel altero, vel paucis, ſed tanquam Apoſtatæ pænè ab omnibus Eccleſiaſticæ fidei articulis defecerunt. Vt proinde, cùm damnabile fuerit, Donatiſtis contra Eccleſiam adhærere, multo magis damnabile ſit, & penitus nulla ſpes ſalutis his qui cum recentioribus non tam Hæreticis quam Apoſtatis, Eccleſiæ Chriſti repugnant. Sed oſtendat Auguſtinus, illam ſuam & noſtram quam clariſſimè & ſolidiſſimè probauit Eccleſiam, neque in illo vno Donatiſtarum articulo, neque in iſtis Noſtrorum infinitis errare; & propterea ab omnibus qui errare nolunt, meritò quaſi ducem ſalutis ac religionis ſequendam eſſe. Cum Donatiſtis autem lis iſta erat: Reuertentes ab hæreſi ſuſcipiebat Eccleſia per † Reconciliationem, vt & hodie tales ſuſcipit. volebant Donatiſtæ tales ſuſcipi † per baptiſmum, etiamſi prius fuiſſent ab Hæreticis baptizati. Itaque Auguſtinus cæteris Donatiſtarum ſolutis, vt vidimus, argumentis:

† Nota, hūc ipſum eſſe vnū art. hodie ab Hæreticis negatum.

† vt & hodie Anabaptiſtæ.

Quid, (inquit,) habetis amplius quod dicatis? An illud vltimum vestrum iam placet in medium proferamus? Ecce, inquiunt, vos tenetis Eccleſiam, Quomodo nos ſuſcipitis ſi ad vos tranſire voluerimus? Breuiter reſpondeo, Sic vos ſuſcipimus, tum ſacramento, tum fide, quomodo ſuſcipit Eccleſia, quam in ſanctis libris canonicis inuenimus, &c. Quod ſi nolunt intelligere, (quomodo ſcilicet & in hoc & in omnibus bene tum faciat, tum credat Eccleſia,) ſufficit nobis quòd eam tenemus Eccleſiam quæ manifeſtiſſimis ſanctarum & canonicarum Scripturarum teſtimonijs demonſtratur. Dicat mihi nunc Hæreticus, Quo modo me ſuſcipis? Citò reſpondeo, Sicut ſuſcipit Eccleſia cui Chriſtus perhibet teſtimoniū. Nunquid tu melius potes noſſe quomodo ſuſcipiendus ſis, (quo ſacramēto, qua fide,) quàm Saluator noſter medicus vulneris noſtri? Hîc fortè dicis, Lege ergo mihi, quēadmodū Chriſtus ſuſcipi iuſſerit eos qui ab Hæreticis trāſire ad Eccleſiam volunt. Hoc apertè atque euidenter nec ego lego, nec tu, &c.

Cap. 18. *Cap. 19.*

„ Nunc igitur cùm in Scripturis non inueniamus, aliquos ad Eccleſiam
„ tranſiſſe ab Hæreticis, & ſicut ego dico, aut ſicut tu dicis, eſſe ſuſceptos;
„ puto ſi aliquis ſapiens extitiſſet, cui Dominus Ieſus Chriſtus teſtimo-
„ nium perhiberet, & de hac quæſtione, (vel de qualibet alia,) conſuleretur
b Anthoritas Eccleſiæ. à nobis, [b] nullo modo dubitare deberemus id facere quod ille dixiſſet;
ne non tam ipſi, quàm Domino Ieſu Chriſto, cuius teſtimonio com-
„ mendabatur, repugnare iudicaremur. Perhibet autem teſtimonium Chri-
Luc. 24. ſtus Eccleſiæ ſuæ: Ecce Euangelium, lege vbi ait, Oportet Chriſtum
„ pati, & reſurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam &
„ remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem.
„ Quomodo ergo ſuſcipit Eccleſia per omnes gentes incipientibus ab Hie-
„ ruſalem, (ſcilicet per Confeſſionem et Reconciliationem,) remotis om-
„ nibus ambagibus et tergiuerſationibus, ſic ſuſcipiendus es. Quod ſi non
„ vis, non mihi, aut cuiquam homini, qui vult ita ſuſcipere, ſed ipſi Sal-
„ uatori contra ſalutem tuam perniciosiſſimè reluctaris, qui te ſic ſuſcipien-
„ dum eſſe non vis credere, quemadmodum ſuſcipit illa Eccleſia, quam teſti-
„ monio ſuo commendat ille cui fateris nefarium eſſe non credere.

Hiere. 15. Atenim dixit Hieremias, (& cætera quæ contra praxin aut fidem Eccleſiæ produxit Hæreticus: quæ Auguſtinus, vt contra Eccleſiam nihil faciant, quomodo intelligantur, exponit. Sicut & nos omnia quæ
„ hodie producunt Hæretici.) Deſinite itaque illa teſtimonia commemo-
„ rare, quæ aut non intelligitis, aut pro nobis contra vos eſſe intelligitis:
„ Quòd ſi ambiguè poſita & pro nobis & pro vobis poſſent interpretari,
„ nihil vtique adiuuarent cauſam veſtram: quia & nos ſi talibus vti velle-
„ mus, innumerabilibus vteremur quæ cauſam noſtram nihil ſimiliter ad-
„ iuuarent. Sed planè talia malam cauſam vel moras faciendo ſuſtentant.
„ Ecce, inquiunt, &c. Deſinite talibus agere: Omnia quæ huiuſmodi
„ protuleritis, aut pro nobis ſunt, aut (vt multum cauſæ noſtræ minuam)
„ incertum eſt pro quibus ſint. Sed libenter in opertis immoramini, ne
„ fateri aperta cogamini. Ecce Eccleſia, rogo quid patimini? Ecce Eccle-
„ ſia tot manifeſtiſſimis ſanctarum Scripturarum teſtimonijs commendata
Pſalm. 47. & expreſſa, prædicta & demonſtrata: Sicut audiuimus, ita & vidimus.
„ Quid tergiuerſaris quomodo ſuſcipiaris? Cur detrectas ſic ſuſcipi, quo-
„ modo illa ſuſcipit, cui teſtimonium perhibet qui mentiri non potuit?
„ Doce Scripturas canonicas apertè dixiſſe, Baptizandum eſſe in Eccleſia
„ catholica qui apud hæreticos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti
„ fuerit baptizatus: (vel ſine Reconciliatione ſuſcipiendum eſſe.) Quod
„ ſi hoc docere non potes, illud doce, Huic communioni tuæ, id eſt,

parti

parti Donati, (Rotmanni, Lutheri, ſeu Caluini,) vbi hoc didiciſti, "
apertum aliquod & manifeſtum teſtimonium à Scripturis canonicis per- "
hiberi, & fateor, ad te eſſe tranſeundum, nec aliter ſuſcipiendos eſſe "
hæreticos quàm ſicut ſuſcipit Eccleſia in qua es, quia tali teſtimonio de- "
clarata eſt. Quid æſtuas? quid perturbaris? Non inuenis in Scripturis "
canonicis, quod à te iuſtiſſimè exigimus? &c. Ego itaque ſic te ſuſcipio, "
quemadmodum ſuſcipit Semen Abrahæ in quo benedicuntur omnes gen- *Geneſ. 22.*
tes, &c. Poſtremò ne multa commemorem, ſic te ſuſcipio ſicut ſuſcipit "
Eccleſia per omnes gentes incipiens ab Hieruſalem. Sicut ſuſcipit Ec- *Luc. 24.*
cleſia quæ teſtis eſt Chriſto in Ieruſalem & in tota Iudæa & Samaria, & " *Act. 1.*
vſque in totam terram, &c. Sic te ſuſcipio, quemadmodum ſuſcipit triti- *Matth. 13.*
cum ſeminatum in agro, quod cum zizanijs creſcit vſque ad meſſem. "
Hi ſunt enim filij regni, ager autem eſt mundus, meſſis eſt finis ſeculi. "
Dominus expoſuit, Euangelium eſt, verba Domini ſunt, manifeſta ſunt. "
Poſſem tibi dicere, &c. Sed hoc potius dicam, &c. quod vos omnes "
(Hæreticos) tanquam pariter contra nos inſurgatis, extinguat. Sic vos "
ſuſcipimus, ſi corrigi vultis, quemadmodum ſuſcipit Eccleſia, quam "
Dominus Ieſus dixit ab Hieruſalem cœpturam; & in Actibus Apoſtolo- *Luc. 24.*
rum legimus inde cœpiſſe: & per omnes gentes ituram; & in Actibus *Act. 1.* *Act. 8.*
Apoſtolorum legimus per multas iſſe antequam veniret in Africam, (aut *Act. 9. 10. 13.*
Saxoniam, &c.) & per omnes gentes ituram, antequam veniat finis, quia *Matth. 24.*
ipſe Dominus ait, prædicabitur hoc Euangelium in omnibus gentibus, "
& tunc veniet finis, &c.

Quid ergo pluribus teneam? Qui reſpondere cogitat huic Epiſtolæ, *Concluſio.*
(ſeu Motiuo,) ſcrutetur Scripturas, & aut manifeſtum de Africa, (Sa- "
xonia, &c.) vel in qua ſola, vel ex qua ſola eſt pars Donati, (Lutheri, &c.) "
proferat teſtimonium: (quod ideo proferre non poteſt, quia illis tam "
manifeſtis, quæ à nobis prolata ſunt, repugnare Scriptura non poteſt) "
aut ſi ſuarum ſuſpicionum, vel criminationum, vel calumniarum ſecta- "
tores credulos quærit, & vult traducere in aliud Euangelium quod non *Gal. 1.*
eſt aliud, atque annunciare nobis præterquam quod accepimus, etſi "
Angelus de cœlo eſſet, anathema eſſet, &c. Quapropter vos chariſ- "
ſimi quibus hanc Epiſtolam, (ſeu Motiuum,) ſcribo, &c. Non eſt obſ- "
cura quæſtio in qua vos fallant, &c. Habetis, Eccleſiam vbique diffundi, "
& creſcere vſque ad meſſem. Habetis Ciuitatem de qua ipſe qui eam *Matth. 5.*
condidit ait, Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Iſta eſt "
ergo quæ non in aliqua parte terrarum, ſed vbique notiſſima eſt, &c. "
Vos autem innitentes tot euidentiſſimis teſtimonijs, &c. de ſancta Ec- "

„ cleſia toto terrarum orbe diffuſa, exigite ab iſtis, vt oſtendant ex Africa,
„ (ſeu Saxonia, &c.) quod attinet ad partem Donati, (ſeu Lutheri, &c.)
„ aliqua manifeſta de canonicis libris teſtimonia. Neque enim, ſicut iam
„ dixi, vllo modo fieri poſſet, vt Eccleſia ſicut dicunt, & quod abſit, tam
„ citò ex tot gentibus peritura, tot teſtimonijs tam ſublimiter & tam in-
„ dubitanter prædicaretur; & de iſta, quam volunt, ſua, quæ vſque in
„ finem ſicut contendunt permanſura fuerat, (vel potius diſparitura
prius, ſed poſt plurimos annos reditura, & tum in finem vſque man-
ſura,) taceretur. Mementote enim, quid illi Diuiti dictum ſit, &c. Si
Luc. 16. „ Moyſen & Prophetas non audiunt, nec ſi quis ex mortuis reſurrexe-
„ rit, credent.

Atque hic tandem cum fine illius, de quo iſta texuimus, Auguſtiniani libri De vnitate Eccleſiæ, (ſeu vt ille vocat, Epiſtolæ: quæ cauſa eſt, *b* cur eam in Retractationibus nō poſuerit) ſit & finis huius Motiui tam prolixi. Reliqua pleraque multo breuiora erunt. Sed & hoc ipſum longitudinem ſuam multiplici vtilitate compenſat. Primò enim ex Scripturis plurimis clariſſimè patefecit, Eccleſiam Chriſti incipientem ab Hieruſalem, continua quadam & perenni prædicatione Euangelij, ideoque viſibiliter, creſcere in omnes gentes. Secundò demonſtrauit, S. Auguſtinum in dicto libro, & ipſum alioſque Catholicos Africæ Epiſcopos in Collatione Carthaginenſi, idipſum è Scripturis olim euiciſſe; vt nunc non quaſi quæſtio controuerſa, ſed tanquam res iudicata meritò ab omnibus haberi debeat. Tertiò, Donatiſtas hæreticos fuiſſe, quia Eccleſiam Chriſti cuidam parti Chriſtiani orbis vindicare, & toti negare auſi ſunt: ac propterea hæreticos eſſe etiam alios omnes, qui idem affirmare non verentur. Quartò, Lutheranos, Caluiniſtas, & alios omnes noſtri temporis hæreticos, longè in ea ipſa audacia & impietate vincere Donatiſtas. Illi enim non ſunt auſi aſſerere, quòd in totum perijſſet Eccleſia: ſed quòd de cæteris gentibus perijſſet, & in ſola factione ſua in Africa remanſiſſet. Iſti autem non erubeſcunt dicentes, quod prorſus de cunctis gentibus perierit, & omnino nuſquam neſcio quod ſeculis extiterit, donec Lutherus Euangeliſta quintus apparuit. Poſtremò Hæreticos noſtros & in illo eſſe Donatiſtis incomparabiliter deteriores, quòd cum Donatiſtæ ab Eccleſiæ fide diſceſſerint in vno tantum Baptiſmo Hæreticorum, iſti noſtri quaſi plenariam meditantes, non hæreſim, ſed Apoſtaſiam, penè à tota Catholica religione ac fide defecerint. Quibus omnibus diligenter conſideratis, puto omnes qui cæci eſſe nolunt, manifeſtè videre, quos, vt animarum peſtes, fugiant, & quos vt

b Vide August. in fine Retract.

quos vt magiſtros veritatis ac ſalutis audiant: item in quo ordine Bezam habeant, qui poſt diſputationem Poſſiacam in Gallia, rogatus à quibuſdam, nihilné eſſet quod Donatiſtæ reſpondere potuerint Catholicis hæc de Eccleſia ſua Scripturarum teſtimonia in Carthaginenſi Collatione citantibus, quibus & ipſe Beza tunc oppreſſus fuerat; naſuto cachinno (vt teſtatur Balduinus qui præſens erat) vir modeſtus excepit, dicens, *Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.* Sed hoc Lucianico ludibrio etiam à familiaribus improbato, ſubiecit, ſaltem illum verſiculum vergilianum Donatiſtas Prophetijs Catholicorum de Eccleſia opponere potuiſſe: *Oſtendent terris † hanc tantùm fata, nec vltrà Eſſe ſinent* —— ita vt iam nec Caluinus aut Beza ipſe, nec quiſquam alius vnquam (ſecundum præclaram iſtam Prophetiam) habere Eccleſiam poſſit. neque enim fata eam vltrà eſſe ſinent. Verùm hoc rurſum in ſequenti Motiuo videbimus, vtrum ſcilicet Eccleſia tantùm oſtenſa ſit terris, nec vltrà ſuperſtes eſſe potuerit.

Beza.

Balduī. in præf. Hiſtoriæ Collat. Carth. ed. primæ.

Aeneid. 6. in fine.

† hunc. nam & de Marcello puero loquitur.

MOTIVVM SECVNDVM.

Quòd noſtra ſit nunc Eccleſia, cuius inuictam ædificationem olim Chriſtiani Patres noſtri Paganis & Iudæis obiecerunt, vt iuſtiſſimum motiuum credendi, Chriſtum ipſum eſſe Deum.

SECVNDO igitur loco conſiderent omnes qui ab Hæreticis decepti ſunt, & qui nolunt decipi, hoc quod de Eccleſia ſemper viſibiliter perdurante contra Hæreſes omnes aſſerimus, tam certum per ſe & indubitatum eſſe, vt id Maiores noſtri viri doctiſſimi atque ſanctiſſimi tanquam argumentum inexpugnabile audacter vſurpauerint contra ipſos quoque Paganos, atque Iudæos, quo Dominum noſtrum Ieſum Chriſtrum eſſe verum Deum illis infidelibus demonſtrarent. Res ſanè omni conſideratione digniſſima, & quæ neminem falli vllo modo ſinat: quòd, cùm Chriſtus & Chriſtiani eius tria habeant Aduerſariorum genera, Paganos, Iudæos, & Hæreticos; cumque iam ſit inter nos & Proteſtantes quæſtio, Qui ex vtriſque ad Chriſtum tanquam veri Chriſtiani pertineant, & qui tanquam Hæretici ab eo prorſus alieni ſint: nos ſumus, quorum doctrina Chriſtianis contra Paganos & Iudæos pro Chriſto ipſo argumenta ſuppeditat:

Proteſtantes contrà ſunt, quorum doctrina aduerſus Chriſtum ipſum Paganis Iudæiſque cooperans, illa Chriſtianis argumenta conatur eripere. Poſſuntné Chriſtiani à nobis in cauſa Religionis quicquam deſiderare manifeſtius aut robuſtius, quàm vt oſtendamus, quibus argumentis Deitas Chriſti contra Paganos & Iudæos aſſeritur, iiſdem ipſis cauſam contra Proteſtantes noſtram ſubſiſtere? Et multa quidem talia argumenta noſtra † hic Liber (adiuuante Deo) indicabit. Nunc verò illud quod incepi, exequar, vt Eccleſiam viſibilem ac perpetuam (quâ ſemel poſitâ, Hæreſes omnes concidunt, quippe quæ non ita ſemper extiterunt) rem eſſe tam & perſpicuam, & diuinam demonſtrem, vt eâdem Chriſti Deitas ſolidiſſimè comprobetur. Quòd ſi Hæreticos ab illa, in qua ſe ſtare videbunt, Paganorum & Iudæorum parte non reuocabit pudor, pergant ſodes impudentes ac perfidi eſſe, & pro Paganis ac Iudæis huic argumento reſpondere conentur. Imò audiant modò & ipſi & cæteri argumentum: tam firmum eſſe intelligent, vt nihil reſpondere queant. Nec de meis verbis audiant, ſed de verbis ipſius S. Chryſoſtomi, è duobus Libris eius doctiſſimis atque diſertiſſimis, quorum vnum contra Paganos ſeu Gentiles, alterum contra Iudæos ſcripſit, quòd Chriſtus ſit Deus. Verba eius ſunt iſta:

† Vide Moti. 51.

Chryſoſt. tom. 5.

Primum autem cum Gentibus nobis certamen ineundum. Dicet enim vtique Gentilis: vnde manifeſtum, quòd Chriſtus ſit Deus? Ante omnia igitur hoc præſtruere oportet, & ſponte ſequentur alia omnia. Atque hîc prius maxima quædam argumenta indicat, ſed tamen quibus ait ſe contra illos vti non poſſe. At non à cœlo, (inquit,) petenda demon-
» ſtratio, neque ab alijs id genus. Nam ſi ad Gentilem dixero, Creauit cælum
» vel terram vel mare: non me feret: Incredulus enim eſt. Si dixero, Mor-
» tuum excitauit, cæcos curauit, dæmones fugauit: neque hoc accipiet.
» Denique ſi dixero, quòd Regnum & ineffabilia bona promiſerit: hoc non
» ſolùm non credet, ſed & ridebit. Vnde igitur illum, maximè ſi idiota eſt,
» inſtituemus? Non aliunde quàm ab his quæ inter nos & illum confeſſa
» ſunt, & quæ in dubium reuocare nequit. Nam quòd cœlum fecit, & alia
» quæ dicebam, non ſuſtinebit vt ſibi nunc ſuadeantur. Quæ igitur ſunt
» quæ & ille feciſſe Chriſtum confitetur, & non contradicit? (Ecce iam
» argumentum quod dixi petitum ab Eccleſia.) Quòd Chriſtianorum ge-
» nus plantauit Chriſtus. Neutiquam enim contradicet, quòd omnes vndi-
» quaque Eccleſias Orbis Chriſtus fundarit. Hinc, (inquit,) faciemus de-
» monſtrationem, virtutis Chriſti, & oſtendemus ipſum Deum. Et animaduertant hîc Hæretici, an demonſtratio eius non ſit validiſſima, & an non con-

Ex Lib. Ai-ho, Aduer. Gent. demonſtratio, quod Chriſtus ſit Deus.

non contra ipſos æquè ac Gentiles faciat. Sic demonſtrat:

Primò ex Chriſtiani orbis amplitudine: Etenim non eſt puri hominis, in tantis rebus Orbem terra mariquе tam breui tempore comprehendere, & tam abſurdis moribus præuentum, tantiſque malis irretitum liberare humanum genus: & non Romanos tantùm, ſed & Perſas, & omne (vt ſic dicam) Barbarorum genus. (Secundò, quòd nullis humanis auxilijs:) Inſuper quòd hæc confecit nullis vſus armis, nullos faciens ſumptus, nullos mouens exercitus, nulla prælia committens: ſed per vndecim viros principio, ignobiles, viles, rudes, idiotas, pauperes, nudos, perſuaſit tot hominum tribubus: idque non præſentibus ſolùm (inquit, vt Eccleſiæ non ſolum initium, verumetiam perpetuitatem videas) ſed & futuris. Tertiò, ex genere doctrinæ per illum tum abolitæ, tum inuectæ: Abduxit ab his in quæ propenſi eramus: & in ardua & difficilia induxit. Quartò, quòd non ſolùm non iuuantibus, verumetiam repugnantibus, & perſequentibus hominibus, hæc perfecit: Cumque hæc faceret, infeſtabantur, & ſui ab omnibus, & Crucem ipſe genus mortis ignominioſiſſimum ſuſtinuit. Tum hæc omnia repetens ſimul in vnum colligit: Nihil hîc contradicent, quòd crucifixus eſt & à Iudæis, quòd innumera ab illis paſſus, quòd quotidie prædicatio increſcit & floret: non hîc ſolum, ſed & apud Perſas, etiamnum dum ab illis oppugnatur. Etenim & inde multa ſunt Martyrum examina: & qui ibi lupis ferociores erant, accepta prædicatione ouibus manſuetiores euaſere, nuncque de immortalitate, & reſurrectione, & ineffabilibus bonis diſſerunt. Neque in ciuitates ſolas, ſed in ſolitudinem vſque peruaſerunt hæc præclara facinora, & in pagos, & in regiones, & in inſulas, & in portus, ac nauium ſtationes. Nec Priuati et Principes tantùm, ſed et ipſi Reges qui diademata ferunt, inſigni fide Crucifixo ſe ſubmittunt. (Poſtea, iſta omnia vt facta ſunt, ſic et à Prophetis prædicta eſſe docet:) Adhæc, Non ſimpliciter contigerunt iſta omnia, ſed multo antea prædicta ſunt. Atque adeò vt ne ſermo ſuſpectus ſit, libros habemus à Iudæis, qui illum crucifixerunt, et ipſorum teſtimonijs, et ex libris quos illi cuſtodiunt, noſtra probamus. Igitur multa ibi ad Chriſtum pertinentia demonſtrat Gentilibus clariſſimè in veteris Teſtamenti libris contineri. Et inter cætera, hoc quo de agimus, Eccleſiam ſcilicet viſibilem per Apoſtolos congregandam fuiſſe, et non ad tempus, ſed in æternum conſtituendam. Nec ſolùm habemus, (inquit,) quòd illi mittendi erant, ſed etiam quòd in totum Orbem peruenire debeat prædicatio, ita vt nulla pars eſſet in qua non audiretur. In omnem terram, ait, exiuit ſonus eorum, et in fines Orbis terræ verba eorum. Adhæc,

Romanos vocat omnes tam ſubditos Imperatorib. Rom. ſeu Latinos, ſeu Græcos. Nō ſic Turca Mahometes, ſed contra.

Contra Lutherus, Caluinus.

Pſ. 18. & Rom. 10.

quòd cum

„ quòd cum authoritate prædicarint, & regibus potentiores fuerint, docet
Pſalm. 44. inquiens: Conſtitues eos principes in omni terra. Quòd autem regibus
„ maiores ſint Petrus & Paulus, declarauit euentus. Nam regum leges,
„ etiam ipſis viuentibus irritantur: at Piſcatorum illorum, etiam mortuis
„ ipſis ratæ ſint, & immobiles manent: licèt multis legibus, animaduerſio-
„ nibus, armis, ſupplicijs, argutijs, verborum eloquentia, cognationibus,
„ amicitijs, dæmonibus, diabolo, conſuetudinibus, malis moribus, volupta-
„ tibus, & infinitis alijs refringere plurimi conati ſint, &c. Et quòd præ-
Pſalm. 2. „ dicatio vbique increſcat, audi: Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæredi-
„ tatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. (& cætera, quibus de-
Eſa. 11. clarat prædictam eſſe Eccleſiam & Catholicam ſeu vniuerſalem, &) indi-
„ ſciſſam, (&) non ſolum firmam, & ſolidam, & immobilem, ſed & multa
„ Orbi pace præſidentem: item multo magis viſibilem, longeque venerabi-
liorem, quàm Synagogam Iudæorum; quæ tamen non modò ante Ad-
uentum Chriſti, in ſtatu nempe ſuo, ſed neque nunc poſt Aduentum
Chriſti, in diſperſione ſua, vnquam ſic vel perijt, vel diſparuit, vt Hæretici
Eccleſiam Chriſti volunt. Contrà verò Chryſoſtomus: Ante crucem,

Synagoga Iudæorum nec modo inuiſibilis eſt.

Io. 18. (inquit,) in luctu res erant: Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui profu-
„ gerunt, Ieſus ſolus inter amicos comprehenſus eſt; multi qui credide-
„ rant, retrorſum abierunt. Cæterùm vbi occiſus eſt, & mortuus, vt diſcas
„ quòd non ſit purus homo; non ſolùm res eius non interciderunt, ſed
„ multo clariores illuſtrioreſque & ſublimiores ſunt redditæ, &c. In omni
„ regione, omni ciuitate & ſolitudine, & parte Orbis, quæ habitationi ac-
„ commoda, & quæ non accommoda, prædicamus Crucifixum. Et reges,
„ & principes, et milites, et præſides, et ſerui, et liberi, et idiotæ, et ſa-
„ pientes, et inſipientes, et barbari, et reliqua hominum genera, et terræ
„ omnes quas ſol ſpectat, ad hoc nomen currunt, vt adorent: vt diſcas quid
Eſa. 11. ſit, Et requies eius honor. Et locus quidem quo Corpus hoc poſitum,
breuis erat, et valde anguſtus: auguſtior tamen et venerabilior mille re-
gum palatijs, imò etiam regibus ipſis. Tranſit multis interpoſitis, ab his
alijſque plurimis (quas à me breuitatis cauſa prætermiſſas, Lector tamen
ad ſuam maximam vtilitatem et voluptatem in ipſo Auctore videbit)
prædictionibus veteris Teſtamenti, ad prædictiones ſimiles in Nouo Te-
ſtamento conſcriptas; vt & inde probet Gentilibus per Eccleſiam, Chri-
ſtum eſſe Deum. Sic ait:

Peregrinatio ad venerandum Sepulchrum Chriſti.

„ Cæterùm quia Prophetias quæ de Chriſto, multo antè ſua tempora
„ prædictas tractauimus: age in medium afferamus quæ etiam ipſe in terris
„ ambulans, cumque hominibus conuerſans, de futuris dixit, vt & inde eius

poten-

potentiam ac virtutem diſcas, &c. Duodecim erant diſcipuli ſequentes "
ipſum,& Eccleſiam referebant,quamuis nullus tunc eam mente concipe- "
ret: ſiquidem nec nomen Eccleſiæ erat, ſed florebat Synagoga. Quid igi- "
tur dicit? Orbe fermè toto in impietate detento, prædixit: Super pe- *Matth. 16.*
tram hanc ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt *Similia Iſa. 41. c. 11.*
aduerſus eam. Examina quid hoc ſibi verbum vult, & videbis perſpicuam "
eius veritatem. Nam non ſolùm hoc mirum eſt, quòd ædificauit eam "
per totum mundum, ſed quia inuictam fecit, & inuictam licet tot bella "
inſurgunt. Hoc enim eſt, quòd portæ inferi non præualebunt aduer- "
ſus eam. Pericula ait, quæ mortem generant, pericula quæ ad infernum "
deducunt. Vidiſti prædictionis veritatem? vidiſti euentus certitudinem "
ac robur? vidiſti verba in operibus relucentia, & virtutem abſque ar- "
mis omnia facilè conficientem? quia nimirum viderunt oculis ſuis "
Eccleſiam tunc etiam ſtantem ac florentem, licèt ſuperioribus ſecu-
lis à Tyrannis plurimis & grauiſſimis perſecutionibus acerrimè impu-
gnatam.

Atque hîc priuſquam progrediatur Chryſoſtomus, & vim huius pro Chriſti Deitate argumenti ab Eccleſiæ inuincibilitate ſumpti fuſiùs explicet ac declaret: quia Hæretici nobis inuidiam de perſecutione faciunt, & ſuam volunt veram eſſe Eccleſiam, quia perſecutionem, vt olim Primitiua, patitur: illud ab omnibus obiter conſiderari poſtulo, perſecutionem Primitiuæ Eccleſiæ ita Hæreticos non iuuare, vt planè contrà eorum cauſam penitus diſſipet ac euertat. Omnes quidem facilè animaduertunt, non ſolùm ipſos à nobis, ſed nos ab ipſis multò magis perſecutiones pati, quippe qui in ſola Gallia multa millia vel Sacerdotum occiderunt: imò & ipſos Hæreticos à ſeipſis inuicem perſecutiones pati, Seruetto Ariano à Caluino & Geneuenſibus pridem combuſto; & his ipſis quibus hæc ſcribo diebus, duobus Anabaptiſtis in Anglia combuſtis ab Hæreticis ibi Proteſtantibus: vt innumerabilia alia iſtiuſmodi exempla prætermittam. Vnde cùm perſecutio ſit communis omnium, non poteſt eſſe propria pro quibuſdam demonſtratio, quòd ipſi ſpecialiter habeant veram aut religionem aut Eccleſiam. Sed vt dicere cœpi, ſi non iſto vano, quia communi omnibus, modo, ſed quemadmodum oportet expendatur argumentum hoc à primitiuæ Eccleſiæ perſecutione ductum, non modò (inquam) non iuuat vllos Hæreticos, ſed omnes prorſus Hæreticos iugulat & trucidat. Quemadmodum autem expendi debeat, docet hîc eleganter & ſapiẽter D. Chryſoſtomus: nimirum Chriſtũ probari verũ Deũ,

Motiuum à perſecutione.

Surius an. 1553.

An. 1575. Iulii 22.

quia eccleſia eius grauiſſimas licèt paſſa perſecutiones, (quod niſi de Eccleſia viſibili dici aut intelligi non poteſt) tamen nullis perſecutionum molibus, nullis alijs machinis potuit vnquam aut poterit opprimi & extingui; ſed inuicta ſemper & inexpugnabilis perſeuerat. Quo conceſſo, vbi nobis eſt Hæreticorum oratio de Eccleſia vel non exiſtente vel non extante multo plus quàm mille annis? aut quis Luthero, vel Caluino, aut vlli vnquam Hæretico, relictus eſt Eccleſiæ de integro reſtaurandæ locus? Videamus igitur nunc, quomodo hæc contrà Gentiles, & ſimul eâdem operâ contra Hæreticos Chryſoſtomus proſequatur.

„ Ne ideo quia paucis dicitur, Aedificabo Eccleſiam, tranſcurras obiter: „ ſed conſidera & cogita tecum, quid ſit in tam breui tempore omnem ſub „ ſole terram tantis Eccleſijs impleri, tantas Gentes ad fidem transferri; po- „ pulos perſuaderi, vt patrias leges irritent, conſuetudinem ſtabilitam & „ radicatam reuellant, altaria & templa, & ſtatuas & ſacrificia, & profana feſta, & immundum odorem, ſicut fimum aliquem aboleant: & excitent altaria vbique gentium, in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, & vltra Orbem noſtrum. Nam & † Britannicæ inſulæ extra hoc mare (Mediterraneum) ſitæ, & quæ in ipſo Oceano ſunt, virtutem verbi ſenſerunt. (Sunt enim etiam illic fundatæ Eccleſiæ, & erecta altaria.) Illius, inquam, verbi (Aedificabo Eccleſiam) quod tunc dictum, quod & in omnium animabus, inque omnium labijs plantatum. Vnde & omnis (vt dicitur) terra ſpinis plena, repurgata, factuſque purus „ ager, ſemina pietatis ſuſcepit. Magna res foret, & excellenter magnæ „ diuinæque virtutis, etiamſi nemo interturbaret, eſſetque pax ſumma, & „ multis ſimul adnitentibus, & reluctante nullo, poſſe intra tam breue „ tempus totum Orbem à conſuetudine ſua mala, qua præoccupatus fuit, „ liberari, & ad aliam adduci. Verùm hoc multo maius, quòd non ſolùm in „ aliam inducitur, ſed in multo difficiliorem: &c. Et per quos perſuaſit? „ Per viros vndecim illiteratos, priuatos, ineloquentes, obſcuros, paupe- „ res, &c. Qui nec hoc in pace fecerunt, ſed infinitis bellis hinc inde exci- „ tatis, &c. ſicque Eccleſiam ædificauerunt. Quo pacto, et qua ratione? „ virtute eius qui iuſſit: &c. Quo enim modo ille dixit, Fiat cœlum, & „ monſtrauit opus: &c. eodem modo idem & Eccleſias illas plantauit. Et „ verbum hoc, Aedificabo Eccleſiam meam, hæc omnia operatum eſt, &c. „ etiam contra illam Tyrannis ſe armantibus, &c. Et licet hi qui credide- „ runt, in carceribus ſeruarentur, deſpectui eſſent, amitterent ſubſtantias, „ occiderentur, traderentur igni, ſubmergerentur aqua, & omne tormen- „ torum genus ſuſtinerent cum ſumma ignominia, & perſecutionem pate-

Altaris Chriſtiana vbique deiectis altaribus Paganorum.

† Nota, in Primitiua Britanniæ noſtræ Eccleſia, quæ religio.

Geneſ. 1.

rentur

rentur vt hoſtes publici, plures tamen ſemper accreſcebant, &c. Et non diſcipulis ſolùm, ſed et magiſtris vinctis, fugatis, flagellatis, aliaque mille mala paſſis, diſcipuli plures fiebant, et magis ſtudioſi, &c. vides virtutis excellentiam, quæ tanta operata eſt? &c. Sic igitur ædificabant. Alioqui nullus ædificare poteſt parietem vnum, quem lapidibus et calce extruit, ſi impediatur et fugetur: illi autem etiam Eccleſias in toto Orbe vbique extruxerunt, licèt ligarentur, perſecutionem ferrent, fugarentur, proſcriberentur eorum bona, flagellis cæderentur, occiderentur, comburerentur, ſubmergerentur, vnà cum diſcipulis, &c. Habebant enim adiutricem virtutem eius qui dixerat: Super petram hanc ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *[Matth. 16.]* Numera quot Tyranni ab illo tempore aduerſus ipſam inſtruxerunt acies, quot grauiſſimas perſecutiones mouerunt, quomodo toto priore tempore, quando nouitia erat fides, et nuper plantata, teneræque hominum mentes, Gentiles regnabant, Tiberius, Caius, Nero, Vaſpaſianus et Titus, et poſt illum omnes, vſque ad B. Conſtantini tempora: et omnes illi, alij minus, alij ſæuius infeſtabant Eccleſiam, infeſtabant tamen omnes, &c. Veruntamen inſidiæ et machinationes illæ omnes leuius quàm araneorũ telæ diſcerptæ ſunt, &c. Magnum enim nobis numerum Martyrum implerunt, immortaleſque illos Eccleſiæ theſauros reliquerunt: et columnas, et turres, et eos qui non ſolùm viuentes, ſed et mortui poſteris magnæ vtilitatis materia facti ſunt. *[Cuius Eccleſiæ Martyres tales creduntur.]* Vides prædictionis robur? Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Ab his & de futuris crede (alloquitur ille Gentilem, ergo verò verbis eius etiam Proteſtantem, et alium quemcumque Hæreticum) quòd nullus obſiſtet. *[Hæreticorũ vani contra Eccleſiã conatus.]* Si enim cùm ex paucis conſtaret, et nouæ ſectæ opus eſſe videretur, nouaque haberetur doctrina, ac tot bella, tot pugnæ vbique committerentur, non præualuerunt, neque obſtiterunt: multo magis cùm vniuerſum Orbem, et omnem locum, et montes, et colles, et valles, et terram, et mare, et gentes omnes quæ ſub cælo ſunt, comprehenderit, &c. Quo pacto ergo tale atque tantum negocium, tot munitum obſtaculis, finem habere potuiſſet, tam clarum veritati exitum teſtificantem, niſi diuina quædam et inuicta virtus fuiſſet, quæ et hæc prædixiſſet, et perfeciſſet? Nullus vtique his contradixerit, niſi quis valde inſanus, et totus ſtupidus ſit, naturæque ſenſu priuatus. Et ſic argumentum hoc petitum ab Eccleſiæ ædificatione vt prædicta audacter, ita perfecta hactenus mirabiliter, et perficienda poſthac certiſſimè, D. Chryſoſtomus, vt probaret Gentilibus Chriſtum eſſe Deum, ſolidiſſimè pertractauit. *[Vide eãdẽ Hom. 47. in Mat. 13. ſuper parabolas de Grano Synapis, & de fermento.]* Nos tamen, quia etiam id quod in eo ſequitur de alia Chriſti

prædictione, Iudaicæ ſcilicet Synagogæ vaſtandæ, eò lem per contrarium pertinet, & ab eo cum illa Eccleſiæ ædificandæ prædictione pulcherrimè comparatur, eum adhuc tantiſper loquentem audire non grauemur.

Deſolatio Tẽpli Hieroſolymitani. Age, (inquit,) & aliam eius Prophetiam in manus accipiamus, quæ ſole & radijs illius ſit clarior, quæ ante omnium oculos ſita, quæ in omnes ſubſecuturas generationes protendatur, ſicut & prior, &c. Nam à
„ die qua dictum eſt, conſtat Eccleſia ſolida, & ſtabilis, ac inuicta, florens,
„ & fulgens, & indies magis ac magis vigens, creſcens, & plus roboris
„ ſumens, & omnibus qui ab illo die vſque ad Domini aduentum futuri
„ ſunt, præſtans vt ſummos inde fructus, & ineffabilem vtilitatem capere
„ queant. Nam & qui ante nos, & qui ante illos, & qui multo ſuperiùs
„ fuere, cognouerunt eius virtutem, videntes eam vexari bellis, periculis,
„ tumultibus, turbis, fluctibus, & tempeſtatibus: & neque ſic ſubmergi,
„ vinci, ſuperari, & extingui: ſed florere, creſcere, & extolli.
„ Et hoc vaticinium quod nunc dicturus ſum, tale eſt, vt demon-
„ ſtrare poſſit eius robur, ac dictorum veritatem. Et quænam prophetia
„ illa? Ingreſſo aliquando Ieſu in templum Iudaicum, florens tunc &
„ vndequaque fulgidum auro, conſpicuumque tam pulcritudine, quàm
„ magnitudine ædificiorum, ac alia omnifaria magnificentia, non ſolùm
„ artificio, ſed & materia, admirantibuſque diſcipulis, quid inquit?
Matth. 24. Nonne videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non manebit lapis ſuper
„ lapidem. Eam ſubuerſionem ibidem declarans, deſolationem, interi-
„ tum, ruinam, quæ nunc in Hieroſolymis. Omnia enim ædificia illa,
„ quamuis fulgida & præclara, corruerunt.
„ Vides in vtroque magnam & ineffabilem eius potentiam, in eo
„ quòd ſe colentes augebat & ædificabat, & in ſe impingentes humilia-
„ bat, deſtruebat, & radicitus euellebat, &c. vides quomodo quæcum-
„ que ædificauerit, nullus deſtruet: & quæcumque deſtrúxerit, nullus
„ ædificabit? Aedificauit Eccleſiam, & nullus eam deſtruere poterit:
„ deſtruxit templum, & nullus illud ædificare poterit; idque in tam
„ longo tempore. Nam & illam deſtruere conati ſunt, & non potuerunt:
„ & hoc ædificare attentauere, & nec idipſum potuerunt. Concedatur
„ autem hoc, quod nullus dicere poterit, Si attentaſſent, potuiſſent:
† Iulianus Apoſta. de hoc vide etiam Soc. li. 3. ca. 17. Soz li. 6. ca. 21. ecce attentauerunt, & nihil valuerunt. Enimuero † Rex, qui hac noſtra ætate omnes alios impietate præcellebat, & facultatem tunc dedit, & cooperatus eſt. Et opus incipiebant; ſed nec in minimo profecerunt. Nam ignis à fundamentis exiliens, omnes ipſos fugauit, etc. Nam obſiſtebat eis hoc Chriſti verbum. Quamuis autem et olim de-

ſtructum

ſtructum Templum illud, attamen vbi poſt ſeptuaginta annos redie- 4. *Reg.* 25.
runt, ſtatim excitatum eſt, &c. Nunc autem ſupra quadringenteſimum 1. *Eſd.* 6.
annum eſt, & nulla vel cogitatio, vel expectatio eſt, ſed neque ſpes "
quòd inſtauretur, &c. Nam virtus Chriſti quæ ædificauit Eccleſiam, "
eadem & Templum deſtruxit. Et prædixerunt Prophetæ etiam hoc, &c. "
Sed hæc, (inquit,) omnia, quando cum Iudæis conferemus, manifeſtius "
& latius conſiderabimus. Nunc autem ad Gentilem, cum quo hactenus "
egit, repetendo ſic concludit:

Non tibi dixi Mortuos ſuſcitatos, non Leproſos mundatos: vt ne "
dicas hæc, mendacia, figmenta, & fabulas: quis vidit? quis audiuit? &c. "
Sed in medium attuli ea quæ nunc apparent, & que nunc ante oculos "
ſita ſunt, quæ ſole clariora, quæ vbique in toto orbe diſperſa, quæ in "
toto Orbe recepta factaque ſunt: ita vt humanam naturam tranſcen- "
dant, ſintque Dei ſolius. Quid dicis, Non ſuſcitauit mortuos? An & "
hoc potes dicere, quòd Eccleſiæ non ſint per totum Orbem, vel quòd "
non inſidias paſſæ, vel quòd non infeſtatæ, vel quòd non vicerint & ob- "
ſtiterint? Sed ſicut dici non poteſt, quòd non ſit ſol: ita nec hæc. "
Quid autem Templi Iudaici ſubuerſionem dicam? Non vides ante to- "
tius Orbis oculos hæc conſpicua? Quare non ipſe tecum expendis? Si "
non Deus eſſet Chriſtus, quomodo colentes illum, ſic aucti forent cùm "
diuexarentur? At hi qui crucifixerunt illum, & impegerunt in Pe- *Iſa.* 8.
tram, et ſic humiliati ſunt, vt et totam remp. perdiderint, ipſique vagi, "
errones, et profugi obambulent, neque vllus ex eis in tanto tempore "
liberatus eſt: Quamuis tunc tam potentes Iudæi illi fuerint, vt ad- "
uerſus Romanorum principatum bellum decreuerint, et arma moue- "
rint, & longo tempore illis ſe oppoſuerint, etiam aliquando vicerint, "
et negocia fecerint non vulgaria Auguſtis: tanta ipſorum potentia erat. "
Veruntamen qui cum tantis regibus bella geſſere, et in acie decerta- "
runt, & opum tantam potentiam ac armorum et militum habuerunt, "
totque milites ac foſſores, vnum non potuerunt extruere templum: "
ſed Synagogas in omnibus ciuitatibus ædificant: Locum autem, à "
quo ſuæ reip. dominium cœpit, et vbi omnia facere conſueuerunt, "
et vnde Iudaiſmus collectus eſt, illum ſolum reparare non potue- "
runt. "

Iam poſt iſta de Eccleſia ſemper inuicta ſic pro Deitate Chriſti *Chryſoſt. contra Iudæos.*
à D. Chryſoſtomo Paganis obiecta, conſequens eſt vt iuxta id quod
propoſuimus, oſtendamus, eundem Iudæis quoque eodem argu-
mento Chriſti Diuinitatem demonſtrare: vt hinc vniuerſi videant,

Hæreticos huius temporis omnibus Chriſti inimicis, non ſolùm Paganis, verumetiam Iudæis cooperari. Eo autem pauciora eius contra Iudæos citabo, quòd tam multis eum contra Paganos hæc agentem introduxi. Ergo cum quinque contra Iudæos Orationes compoſuerit, in ſecunda ſic habet:

Matth. 16. Prædixit Petro: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & „ portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Proinde dic agè Iudæe, quid „ habes quòd doceas hanc prædictionem eſſe mendacem? An non teſti- „ monium cum rebus conſentit, etiamſi mille modis ipſe contendas in „ aduerſum? Quot enim bella aduerſum Eccleſiam concitata ſunt, quot „ exercitus inſtructi, quot arma mota, quod non afflictionum & vindictæ „ genus excogitatum, ſartagines, catapulta, lebetes, fornaces, lacus & præ- „ cipitia, beſtiarum dentes, maria, & proſcriptiones, aliaque innumera tor- „ mentorum genera, neque dictis memoranda, neque factis toleranda? &c. „ Nihil tamen horum diſſoluit Eccleſiam, ac ne inferiorem quidem reddi- „ dit. Atque id ſanè mirum & incredibile, quòd hæc in ipſis ſtatim primor- dijs mota ſunt. Nam ſi tum irruiſſent hæc acerba, † poſteaquam iam radices egerat, & per omnes mundi partes plantatum eſſet Euangelium, haud perinde fuiſſet admirandum, non fuiſſe ſubuerſam Eccleſiam. Cæterùm cùm in ipſo doctrinæ exordio, nuper iacto fidei ſemine, teneris „ etiamnum auditorum mentibus, tot procellæ bellorum eruperint, res „ noſtras non ſolùm nulla ex parte fuiſſe diminutas, verumetiam multam „ acceſſionem adiunctam fuiſſe: hoc nimirum ſuperat omne miraculum. „ Ne quis autem dicere poſſit, quòd nunc Eccleſia ob pacem à regibus præ- „ bitam conſtabilita ſit; cùm eſſet minor, cùm videretur imbecillior, tunc „ illam oppugnari permiſit: vti cognoſcas etiam quòd nunc in tuto eſt, non „ acceptum eſſe ferendum paci quam præſtant reges, ſed à potentia Dei „ proficiſci. Id quò magis cognoſcas eſſe verum, reputa tecum, quàm multi „ conati ſint apud Græcos opiniones nouas ac peregrinas viuendi rationes „ inducere, velut Zenon, Plato, Socrates, Diagoras, Pythagoras, alijque „ innumeri: tamen adeò non vicerunt, vt pleriſque ne de nomine quidem „ ſint noti. Chriſtus autem non modò præſcripſit vitæ formam, verum- „ etiam hanc per totum terrarum Orbem plantauit. Quàm multa fertur „ Apollonius ille Tyaneus feciſſe? Verùm vti ſcires, illa omnia eſſe conficta, „ vana, nihil habentia veri; extincta ſunt, & finem acceperunt, &c. Quòd „ ſi vultis, me & eorum qui apud ipſos Iudæos eadem conati ſunt, &c. ſed „ protinus extincti ſunt, exempla recenſere, agè conabimur & hæc demon- ſtrare. Hoc igitur modo Gamaliel illis obturauit os. Cum enim videret illos

† Quam vani igitur, qui etiam nunc ſperant eam ſubuertere.

Gamaliel.

illos inſanientes, cupidoſque effundendi ſanguinis Diſcipulorum, ſtudens „ eos ab impotenti veſania cohibere, iuſſis paulisper ſecedere Apoſtolis, ſic „ ad illos verba fecit: Proſpicite vobis quid de his hominibus ſitis facturi. *Act. 5.* Ante hos enim dies exortus eſt Theudas, dicens ſe eſſe aliquem, & ſecuti „ ſunt illum viri quadringenti: & ille perijt; & omnes quotquot ei paruerunt, „ diſperſi ſunt. Et poſt illum exortus eſt Iudas Galilæus, qui concitauit „ turbam magnam: et mortuus eſt, diſcipuliq́ue illius perierunt. Et nunc „ dico vobis, proſpicite vobis, quoniam ſi factum hoc fuerit ex hominibus, „ diſſoluetur. Sin ex Deo eſt, non poteſtis illud diſſoluere, ne fortè comperiamini „ et aduerſus Deum pugnare. Vnde igitur manifeſtum eſt; fore vt „ quicquid ex hominibus ſit diſſoluatur? Experimentum; inquit, cepiſtis „ à Iuda et Theuda. Atque hoc loco operæpræcium eſt, ex D. Auguſtino „ recordari, quòd et de Chriſto dixerunt Gentiles confidenter, non ſolùm diſſoluendam eſſe religionem etiam eius, ſed et ſpacium annorum, infra quod diſſolueretur, definire auſi ſunt. Cum enim viderent, inquit, nec *Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 18. ca. 53. 54.* tot tantiſque perſecutionibus eam potuiſſe conſumi, ſed his potius mira incrementa ſumpſiſſe, excogitauerunt, neſcio quos verſus Græcos tan- „ quam conſulenti cuidam domino oraculo effuſos, vbi Chriſtum quidem „ ab huius tanquam ſacrilegij crimine faciunt innocentem: Petrum autem *Petrus.* maleficia feciſſe ſubiungunt, vt coleretur Chriſti nomen per trecentos „ ſexaginta quinque annos: deinde completo memorato numero annorum, „ ſine mora ſumere finem. Cuius contrarium omnino factum eſſe docet ibi „ S. Auguſtinus. nam poſt illos annos 365. anno ſequenti, quo ſecundum illud oraculum dæmonum, aut figmentum hominum nulla eſſe debuit religio Chriſtiana, amplificata eſt religio Chriſti, falſorum deorum Templis quibuſdam euerſis, et ſimulachris fractis. Ex quo (etiam, inquit,) „ vſque ad hoc tempus per triginta fermè annos, quis non videat, quantum „ creuerit cultus nominis Chriſti? præſertim, poſteaquam multi eorum „ Chriſtiani facti ſunt, qui tanquam vera illa diuinatione reuocabantur à fide, „ eamq́ue completo eodem annorum numero inanem irridendamq́ue viderunt. „ Itaque ſolidiſſimè et potentiſſimè premit D. Chriſoſtomus, vt „ priùs Gentiles, ita nunc Iudæos, et in vtriſque Hæreticos cùm modernos, tum omnes, qui, vt locum inueniant ſuis nouis Euangelijs & nouis Eccleſijs, dicunt, Eccleſiam Chriſti ſiue aliquo tempore, ſiue aliquot ſeculis aut perijſſe, aut euanuiſſe. Sic igitur eos omnes verbis Gamalielis, & factis ipſis, refellit pugnans hinc pro Chriſti Deitate Chryſoſtomus: Experimentum, „ inquit (Gamaliel,) cepiſtis à Iuda & Theuda, fore vt quicquid „ ex hominibus ſit diſſoluatur. Itaque & hic qui ab iſtis prædicatur, ſi talis „ eſt quales

„ eſt quales fuerunt illi, nec diuina potentia peragit omnia, expectate pau-
„ liſper, & ipſe rerum euentus vobis faciet fidem: ex ipſo fine certum co-
„ gnoſcetis, vtrum hic ſit impoſtor, vt dicitis, ac legis tranſgreſſor, an Deus
„ vniuerſa temperans, ineffabiliq́ue potentia res mortalium diſpenſans mo-
„ deranſq́ue. Quod dico, (inquit Chryſoſtomus,) factum eſt: Expecta-
„ rūnt; & ex ipſis factis declarata eſt diuina & inexpugnabilis potentia.
Quod iam ſequitur in Chryſoſtomo, plenum ſapientia, & a tota multitu-
dine τῶν ἀθέων, & ἀχρείστων (quorum etiam hic curam ago) ipſorúmque
Hæreticorum, contra quos perinde valet, attentiſſimè, ſi perire in æternum
nolunt, conſiderandum, præterire nullo modo poſſum:

Ratio de Seductoribus tẽpore Christi.
Atque hoc inuentum, (inquit Chryſoſtomus,) quod ad decipiendos
plurimos inuentum erat, retortum eſt in caput Diaboli. Nam quum vi-
deret Chriſtum aduenïſſe, volens illius obſcurare aduentum, ſubmiſit
„ deceptores aliquot, (vt Iudam & Theudam) quò videlicet & ille vnus
„ quiſpiam ex eorum numero putaretur. Quodq́ue de Cruce fecit, procu-
Latrones vna crucifixi.
Ioan. 19.
rans vt duo Latrones cum illo crucifigerentur: idem fecit de illius Ad-
uentu, ſtudens veritatem admixto mendacio obſcurare. Verùm nec illic
„ præualuit, nec hîc; quin magis hoc ipſum potentiam Chriſti declarauit.
„ Alioqui dic mihi, quid eſt in cauſa, vt quum tres fuerint crucifixi eodem
„ loco, eodem tempore, ſub iiſdem iudicibus, illi ſileantur, hic ſolus adore-
„ tur? Rurſus quam ob rem tandem quum plures nouam viuendi rationem
„ induxerint, ac diſcipulos habuerint, illorum ne nomen quidem hodie no-
„ tum ſit, hic per omnes mundi plagas colatur? Res enim potiſſimum elu-
„ ceſcunt ex collatione. Confer iſta mihi ô Iudæe, ac diſce veritatis ex-
„ cellentiam. Quis impoſtor tot Eccleſias toto terrarum Orbe parauit?
„ Quis ab extremis ad extrema mundi cultum ſuum protulit? Quis omnes
„ ſubiectos habuit: idq́ue quum eſſent innumera obſtacula? Nemo ſanè. An
„ non igitur perſpicuum eſt, Chriſtum non eſſe impoſtorem, ſed ſoſpita-
„ torem, ſed beneficum, ſed curatorem, ſed principem vitæ noſtræ? Reli-
qua abrumpo, quia video me prolixum fieri, & Lectorem precor ipſos
memoratos libros S. Chryſoſtomi legere, ſicut & cæterorum Patrum li-
bros ſpecialiter contra Paganos & Iudæos pro Chriſto conſcriptos. Nec
mihi credat, niſi perſpiciat, plurima argumenta quæ ibi pro Chriſto ipſo,
contra illos infideles inueniet, eadem noſtræ quoque nunc cauſæ contra
Proteſtantes pariter inſeruire: (vt in hoc libro, Chriſto iuuante, magis
adhuc clarebit) tam intima eſt Religio noſtra, ab iſtis nunc deſerta, Chriſto
Vide infra moti. 51.
ipſi; & tam vicini ſunt Proteſtantes (quos ego propterea magis apoſtatas
quàm hæreticos iudicare ſoleo) Paganis & Iudæis Chriſti ipſius coniuratis
hoſtibus.

hoſtibus. Eant igitur viri ſcilicet Chriſtianiſſimi ; & inimicis Chriſti ſe iungentes, huic Motiuo reſpondere conentur : dicantque pro Ethnicis & Iudæis, non mihi, ſed D. Chryſoſtomo, hanc eius demonſtrationem non demonſtrare Diuinitatem Chriſti. non enim Eccleſiam Chriſti fuiſſe inuictam ac perennem ; ſed contrà his mille annis eam in medio non fuiſſe ; imò nec ipſo tempore, quo Chryſoſtomus hæc diſſeruit, extitiſſe. Si enim vel id concedant, Eccleſiam Chriſti fuiſſe quæ vel D. Chryſoſtomi temporibus ſuperfuerat, nouerunt optimè, conſequens inde eſſe, vt partem Lutheri, ſeu Caluini, ſeu cuiuſuis alterius pſeudomagiſtri, non eſſe Eccleſiam Chriſti ſimiliter fateantur : quippe quæ partes non magis cum Eccleſia in qua erat Chryſoſtomus, quàm cum hac in qua ſumus nos (quæ eadem prorſus eſt) conueniunt. Sed quid dixi, vt non mihi, ſed D. Chryſoſtomo hæc reſpondeant ? Quin potiùs dico, vt neque mihi, neque D. Chryſoſtomo, ſed ipſi Chriſto reſpondeant, quod cùm nouiſſet Chryſoſtomus (ſicut omnes norunt) ipſos Ethnicos & Iudæos reſpondere non poſſe, tam eos confidenter in verbis ſuperioribus prouocauit. Reſpondeant igitur Hæretici id quod ſuperat omnem blaſphemiam, Chriſtum ipſum eſſe mendacem, & prophetiam eius eſſe pſeudoprophetiam, qua dixit : Aedificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Quid enim aliud deſiderarent Iudæi & Gentiles, vt falſum hîc prædictum eſſe conuincerent, quàm vt docere poſſent (quod iſtos dicere non pudet) Eccleſiam Chriſti multo amplius quàm mille annis penitus non apparuiſſe ? Conſulant melius, hortor & rogo, ſaluti ſuæ, & credant oculis ſuis : vel ſi duces eorum prorſus deplorati ſint, & à Chriſto Domino planè derelicti propter tam innumerabiles oues eius, quas pretio tam magno redemit, per ipſos rurſus ab Ouili ſeparatas, & Diabolo ac inferno mactatas : tamen qui ab eis falſiſſima veritatis ſpecie decipiuntur, conſulant ſaluti ſuæ, & credant oculis ſuis : ſicut non modò nos, verumetiam Pagani ipſi & Iudæi, licèt Chriſto perfidi, credunt oculis ſuis, quòd Eccleſia Chriſti vſque à primo eiuſdem initio ſemper exiſtit, ſic etiam perſtringens eorum oculos, vt nihil magis optarent, quàm eam de medio tolli. nullum enim argumentum vident magis idoneum ad Deitatem Chriſti comprobandam, ſicut induximus hîc Chryſoſtomum euidentiſſimè demonſtrantem: vt videant omnes, ſe, dum per Hæreticos ab Eccleſia abducuntur, ab ipſo abduci Chriſto.

Matth. 16.

Oculi teſtes Eccleſiæ etiamnum ſuperſtitis.

Poſſem ex alijs auctoribus antiquiſſimis & celeberrimis proferre, qualia protuli ex Chryſoſtomo. Sed omnes animaduertunt, me in iſtis

non auctoritate Chryſoſtomi, ſed ipſarum rerum euidentia pugnare atque inniti. Erit tamen operæpretium, ſi Catholici docti, qui iſta tractabunt apud populum, vel qui priuatim per iſta laborabunt charos ſuos eripere ab erroribus, notent ſibi etiam è cæteris Patribus ſimilia, qualia multa paſſim occurrent. Obſeruabunt, inquam, eos per Eccleſiam probare Chriſtum Deum, ſicut & per alia multa quæ nos nunc contra Hæreticos defenſamus. eademque argumenta intelligent, non auctoribus (vt dixi. quamquam id non præfractò ſatis ſit) ſed rebus ipſis eſſe firmata. Exempli gratia, adhuc ex vno Euſebio qui tempore Conſtantini Magni primi Chriſtiani Imperatoris, & Niceni primi generalis Concilij vixit: diuina Chriſti potentia probata per fundatas ab ipſo & latiſſimè propagatas Eccleſias.

Euſ. Orat. de Laud. Conſtantini, prope finem. Quòd ſi alia plura argumenta, (inquit,) certiora de illis rebus deſideres; ea non verbis, ſed rebus ipſis confirmata accipito. Mentis tuæ oculos aperi, rationes quaſi fores patefacito: ipſe tuum ipſius aſſenſum admodum ſuſtinens, tecum ratiocinare: tu teipſum interroga, & rerum naturam animo perueſtigans, tanquam ab altero ita ſciſcitare:

» Quis vnquam ab omni ſeculorum memoria, aut Rex, aut Princeps, aut Philoſophus, aut Legiſlator, aut Propheta, ſeu Græcus, ſeu Barbarus ille fuerit, tantum virtutis decus eſt conſecutus, non dicam poſt mortem, ſed dum adhuc viueret, ſpiritumque duceret, multumque valeret potentia: vt ipſius nomen ad omnium hominum aures, qui in terris degebant ætatem, permanaret, inque omnium ore ac ſermone verſaretur? Nemo certè iſtud, niſi vnus & ſolus Seruator noſter poſt victoriam à morte reportatam præſtitit: Qui quidem & Diſcipulis ſuis hoc dixerat, *Matth. 28.* & idem reuera expleuit: nimirum; Euntes docete omnes gentes in nomine meo. Quique etiam prædixerat, proque certo præſtituerat, ſuum *Matth. 24.* Euangelium prædicandum fore in vniuerſo mundo, in teſtimonium omnibus gentibus. Quod vt verbis prædixerat, ſic reipſa perfecit. Nam haud ita multo poſt, totus orbis terrarum eius verbo & doctrina complexus fuit. Quid igitur habes tu, qui nos inſectaris, quod huic reſpondeas? præſertim cùm teſtimonium quod oculis cernitur, omni alia ratione, quæ poterit afferri, facilè præponderet? Sed tempus eſt, vt ad aliud iam Motiuum tranſeamus.

MOTIVVM TERTIVM.

Quòd nos nunquam de Eccleſia exiuimus, Proteſtantes autem exierunt.

ECCE igitur in proximo hoc Motiuo alia euidentiſſima, & (vt ita dicam) ad oculum demonſtratio, quòd nos quidem in Eccleſia hodieque ſimus, Proteſtantes autem extra Eccleſiam: quia Proteſtantes (ſicut notum & manifeſtum eſt) de nobis exierunt: nos autem de alia quauis Chriſtianorum ſocietate antiquiore non item exiuimus. Eſt (inquam) clarum ac confeſſum, ſocietatem ſeu Eccleſiam noſtrã antiquiorem eſſe hac noua ſocietate Proteſtantium. Clarum item & confeſſum eſt, primos Proteſtãtes fuiſſe prius de Eccleſia noſtra; adeoque Lutherum, Oecolampadium, & alios eorum Magiſtros ac duces plæroſque de noſtris etiam Monachis extitiſſe. Quod quidem cum fuiſſent primùm, eoſdem poſtea tum à Monachorum noſtrorum ordine, tum ab Eccleſia noſtra receſſiſſe; & ſic nouam iſtam partem, ſeu partes Proteſtantium ſeorſùm conſtituiſſe, clarum etiam & in confeſſo eſt. Verùm Eccleſiam rurſum noſtram ab alijs vllis antiquioribus Chriſtianis ſimiliter exiuiſſe, & ſpretis Epiſcopis cæteriſque Superioribus ſuis ordinarijs nouam quampiam erexiſſe vnquam factionem, demonſtrare nemo poteſt. Aut euoluant Proteſtantes Hiſtorias et alia Scripta omnia, et legant nobis, quo tempore, quo loco, quo authore exiuimus: ſicut nos illis non ex ſcriptis petitum, ſed digito demonſtramus & locum, & tempus, & auctorem Separationis ipſorum. Quòd ſi tota eorum (& nominatim Magdeburgenſium Centurionum) diligentia ſimile quid in omni Antiquitate de nobis reperire vel obſeruare potuiſſet, quis dubitat, quin iampridem protuliſſent? Proferant ſaltem pro Separatione ſua exemplum aliquorum, qui ſimiliter ab ijs qui intus manſerunt antiquioribus Chriſtianis, exierunt, & admoniti redire pertinaciter abnuerunt, qui tamen ſchiſmatici non fuerunt. Ecce, nos ſemel intus in Eccleſia fuimus, vt nominatim de Romanis (quibuſcum nos communicamus) Sacra Apoſtolicorum Actuum, & Paulinæ ad Romanos Epiſtolæ Scriptura teſtatur. Semel, inquam, intus fuimus: Et nunquam exiuimus: Et Proteſtantes de nobis exierunt: Ergo nos intus adhuc ſumus, & Proteſtantes extrà ſunt; et nos Eccleſiam habemus, illi autem ſchiſmatici ſunt: ſicut omnes alij qui vnquam ſimiliter

Romani. *Act. 28.* *Rom. 1.*

exierunt, ſimiliter ſchiſmatici extiterunt. Eſtue aliquis, qui euidentiorem demonſtrationem clarioremque deſideret? Sic Nouatianos B. Cyprianus, ſic Donatiſtas S. Optatus & S. Auguſtinus, ſic alios alij ſchiſmatis conuicerunt: quia nimirum de Eccleſia receſſerunt: Se autem cum
Vnitas Eccleſiæ quid? ſuis intus eſſe oſtenderunt, quia ſemper in vnitate manſerunt. Vocarunt
Matth. 13. autem Vnitatem Eccleſiæ, vt ſi vnitatem dicas Arboris (cui & Scripturæ
Io. 15. Eccleſiam comparant) quæ ab vna primùm radice prognata, multos po-
Rom. 11. ſtea ramos progerminat, qui in eadem vſque radice permaneant. Si qui autem rami à radice ſeparentur, id inſtar ſchiſmatis eſſe. Sic enim Eccleſia incipiens, quoad locum quidem, ab Hieruſalem, ſed quoad caput & radicem vnitatis à Cathedra ſeu Epiſcopatu D. Petri Principis Apoſtolo-
Matth. 28. rum, fructificat deinde, & creſcit per omnes gentes, vſque ad vltimos fines terræ, idque omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi: pleriſque ramis ſemper omni tempore radici cohærentibus, ideoque in vnitate perſeuerantibus; licet alij variis ſe tẽporibus à radice ad ſuam ipſorũ perditionem ſeparent, à ſalutari recedentes vnitate, & ſchiſmata condentes peſtifera atque ſacrilega. Quia verò totum quod in Eccleſia agitur, aut Doctrina eſt, aut Religio; & Doctrinæ locus eſt Cathedra; Religionis ve-
Cathedra, & Altare. rò, Altare: conſueuerunt poſt Apoſtolos ſancti Patres de Schiſmaticis di-
Can. Apoſt. cere, quòd aliam Cathedram, (&) aliud Altare, (ſeu) Cathedram con-
30. tra Cathedram, (&) Altare contra Altare conſtituunt. quia nimirum Eccleſiæ Doctoribus, atque Presbyteris non communicant; ſed ab illis ſe nefariè ſeparantes, ſeorſum in alijs locis docent, atque ſacrificant. Vnde eſt è contrario verbum illud, quod nos Deo inter Sacrificandum dicimus,
Communicantes. Communicantes (locum Sacerdotes norunt) vnica quidem voce, ſed pleniſſima fiduciæ, inde certiſſimam ſpem habentes, cõmendari plurimùm Deo quod agimus, quoniam in vnitate ſumus. Atque hoc profectò eiuſ-
Proteſtãtes excepti. modi eſt, quod (vt fateor) proteſtantibus imponere verè non poſſumus, Sacrificare eos in alijs Altaribus, vel in alijs Cathedris ſedere docentes. Neque enim vel Altaria, id eſt, ſacrificia, vel Cathedras, id eſt, Epiſcopos habent. Non ſolùm enim Eccleſiæ Altare, & Eccleſiæ Cathedram, vt Schiſmatici reliquerunt; verumetiam omnino Altare, & omnino Cathe-
Moti. 22. num. 11. dram, propemodum vt Apoſtatæ, in totum ac ſimpliciter deſeruerunt. de
Moti 23. A qua re infrà commodiore loco plura dicam. Nunc ad eorũ manifeſtandum
Moti. 24. Schiſma ſufficit, quòd à nobis qui ſemper ab initio intus ſumus, recedentes, Sacrificijs & Epiſcopis noſtris non communicant, ſed ſeorſum ſibi menſas contra Altare Eccleſiæ, & ſeorſum ſibi Doctores Laicos contra Epiſcopos Eccleſiæ, nouo & inaudito more conſtituerunt.

Quan-

Quanquam autem hæc quæ dixi de intus manentibus,& de foris exeuntibus,ſint ipſa per ſe clariſſima;& cæcus etiã quiuis videre inde poſſit,noſtrã eſſe Eccleſiam,& non Proteſtãtium (quo ego nomine,vt ſemel admoneã, omnes huius tẽpeſtatis ſectas cõprehendo:) tamen rebus euidẽtiſſimis lucẽ (quã & ipſi in omnibus flagitant,quaſi oculos ad eam,ſi adferatur,nõ clauſuri) Sacræ quoque Scripturæ iungamus. Illa igitur etiam,non aliam vnquã agnoſcens Eccleſiam niſi viſibilem & perennem,ſicut eam viſibiliter incipientem ab Hieruſalem,& inde viſibiliter creſcentẽ in omnes Gẽtes apertè deſcribit,ſic & de ea quaſi viſibili quoſdam interdũ viſibiliter exire demonſtrat, eoſdemque Exeuntes diligentiſſimè obſeruandos cauendoſque proponit. Ex nobis prodierunt (inquit B.Ioannes Apoſtolus) ſed non erant *1. Io. 2.*
ex nobis: nam ſi fuiſſent, ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum: ſed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis. (Et iterum:) Cha- *1. Io. 4.*
riſſimi,nolite omni ſpiritui credere,ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. (Rurſum:) Omnis qui *2. Io.*
recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet. (Et B. *1. Tim. 4.*
Paulus Apoſtolus: Diſcedent quidam à fide. non autem,Diſcedent omnes à fide. id enim nuſquam legunt Hæretici. A quo & hoc ipſum habemus verbis expreſſum,quòd quoſdam dicimus intus eſſe,quoſdam foris (quemadmodum & ſæpè propterea Domui comparatur Eccleſia.) Quid enim *1. Cor. 5.*
mihi (inquit) de ijs qui foris ſunt (de Paganis, qui nunquam fuerunt intus) iudicare? Nonne de ijs qui intus ſunt vos iudicatis? nam eos qui foris ſunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobiſipſis. (Et alibi:) In ſapientia am- *Coloſ. 4.*
bulate ad eos qui foris ſunt: (Et,) Honeſtè ambulate ad eos qui foris ſunt. *1. Theſ. 4.*
(Et,) Teſtimonium bonũ habere ab ijs qui foris ſunt. (Et idem rurſus de *1. Tim. 3.*
Hæreticis:) Excludere (inquit) vos volunt, vt illos æmulemini. (Vnde & *Gal. 4.*
alios hortatur dicens:) Non deſerentes collectionẽ noſtrã, ſicut conſuetu- *Heb. 10.*
dinis eſt quibuſdam. (De quibus etiam B. Iudas Apoſtolus,acerrimè in eos inuectus,ait inter cætera:) Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos,&c. effuſi ſunt. *Ep. Iudæ.*
contradictione Core perierunt,&c. arbores bis mortuæ,eradicatæ,&c. Item Apoſtoli omnes:) Audiuimus, quia quidam ex nobis exeuntes,turbauerũt *Act. 15.*
vos verbis,euertẽtes animas veſtras. (Et Saluator ipſe ſimiliter:) Manete in *Io. 15.*
me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt fructũ ferre à ſemetipſo, niſi mãſerit in vite: ſic nec vos niſi in me mãſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites, &c. Si quis in me nõ mãſerit, mittetur foras ſicut palmes,& areſcet,& colligent eum,& in ignem mittẽt,& ardet,&c. Quẽadmodũ autem hoc in loco Eccleſiã ſuã Arbori cõparat,& exeũtes iſtos palmitibus in vite nõ manentibus; ita alibi eam ſemper vſque ad cõſummationẽ ſeculi ſimilem eſſe dicit *Matth. 13.*

,, Sagenæ miſſæ in mare, et ex omni genere congreganti, piſces videlicet et bonos et malos. quorum vniuerſalem quidem ſeparationem non futuram ante conſummationem ſeculi, et tunc per Angelos faciendam: ſed tamen
Luc. 5. etiam interim, concludente Petro piſcium multitudinem copioſam, fieri
,, per aliquos malos ſchiſmata, ſecundum illud, Rumpebatur autem rete
,, eorum. Electos nihilominus ſeu ſaluandos omnes (vt ſuprà dixit B. Ioan-
,, nes, Si fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum) ab hoc ſcelere
Io. 21. alienos fore, ſecundum illud, Aſcendit Simon Petrus, et traxit rete in
,, terram, plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus. Et cùm
tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. Eôdem pertinet ſimilitudo etiam Stellarum de cœlo cadentium, quâ B. Ioanni in Apocalypſi Exeuntes iſti ſunt
Apoc. 6. oſtenſi. Et ſtellæ, (inquit,) de cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus
Apoc. 8. emittit groſſos ſuos, cùm à vento magno mouetur. (Et rurſum:) Cecidit
,, de cœlo ſtella magna ardens tanquam facula: & cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum. (irruit nimirum in libros Patrum, & Scripturas ſanctas, ad corrumpendum et deprauandum omnia.) Et no-
,, men ſtellæ dicitur Abſinthium, & facta eſt tertia pars aquarum in abſin-
,, thium: & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt.
2. Pet. 3. (Vnde S. Petrus ſalubriter præmonuit omnes, dicens,) Indoctos et inſta-
,, biles deprauare ſapientiſſimas Paulinas epiſtolas, ſicut et cæteras Scriptu-
,, ras, ad ſuam ipſorum perditionem. Quare ſicut à certiſſima animarum perditione, ita ab hac Exeundi inſtabilitate caueamus, memores etiam illius in Apocalypſi viſionis, qua B. Ioannes iuſſus eſt, vitam ac ſalutem illis ſolis qui in vnitate manent, et intus adorant, polliceri: illis autem qui foras exeunt, et foris adorant, denunciare, quòd pars eorum cum infi-
Apoc. 11. delibus in tenebris exterioribus ſit futura. Surge, (inquit,) & metire tem-
,, plum Dei et altare, et adorantes in eo. Atrium autem quod eſt foris
,, templum, eijce foras: et ne metiaris illud, quoniam datum eſt Gentibus.
Matth. 18. ,, (iuxta illud:) Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus: (imò
Io. 8. ,, ſicut ipſe, de quo Saluator ait:) Ille in veritate non ſtetit. Nam et dæmones ipſos, propter cadendi ſeu exeundi ſimilitudinem, in exemplum
2 Pet. 2. Iud. ep. Schiſmaticorum duo Apoſtoli, Petrus & Iudas, aſſumunt. Angelos,
,, (inquit S. Iudas,) qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed derelique-
,, runt ſuum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis ſub cali-
,, gine reſeruauit.

Iam verò ſi è veteri pariter Teſtamento repetere velim exempla exeuntium ab vnitate, & externa ſibi altaria foris erigentium, quàm ſunt cuncta propter Diuinam grauiſſimam vindictam terroris & horroris plena!

Vnum

Vnum Ieroboam, etſi breuitati ſtudeo, tamen prætcrire non poſſum. Cùm in typum huius de qua loquimur, vnitatis, inſtituiſſet Deus vnicum altare in Ieruſalem, vbi ſacrificarent omnes; & Sacerdotes continua Succeſſione deſcendentes ab Aaron & Leui, qui omnium ibidem offerrent ſacrificia: Ieroboam dominandi libidine cuncta iudicans immutanda, prudenti quodam, vt putabat, ſed, vt res erat, ſacrilego ſchiſmaticoque conſilio, duo alia in Bethel & Dan erexit altaria, quibus & Sacerdotes fecit de extremis populi, qui non erant de filijs Leui. Audiat hæc cum cæteris Proteſtantibus nominatim Anglia mea, pro qua triſtitia mihi ſpecialis eſt & continuus dolor cordi meo; & nouus ibi Ieroboam; noui regnatores, in veteri Ieroboam ſe quæſo patienter agnoſcant, et quid ſceleris ac ſacrilegij fecerint, recordentur. tanto vtique plus etiam quàm ille, quanto omnium conſenſu ſceleratius eſt, veram vnitatem, verum Altare, veros ſacerdotes Chriſti et Eccleſiæ, quàm eorum typos Moſaicos violare. Audiant igitur noſtri, quid rex Iuda Abia filius Roboam, Ieroboam regi Iſraël coràm tunc obiecerit. quod nos idem veriùs (quia in typo noſtri geſtum eſt) abſentes noſtris obijcimus. Stetit, (inquit,) Abia ſuper montem Semeron, qui erat in Ephraim, et ait: Audi Ieroboam, et omnis Iſraël. Num ignoratis, quòd Dominus Deus Iſraël dederit regnum Dauid ſuper Iſraël in ſempiternum, ipſi et filijs eius in pactum ſalis? (Et ſurrexit Ieroboam filius Nabat, ſeruus Salomonis filij Dauid, et rebellauit contra dominum ſuum. Congregatique ſunt ad eum viri vaniſſimi, et filij Belial: et præualuerunt contra Roboam filium Salomonis: porro Roboam erat rudis, et corde pauido, nec potuit reſiſtere eis.) Nunc ergo vos dicitis, quòd reſiſtere poſſitis regno Domini, quod poſſidet per filios Dauid: habetiſque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos quos fecit vobis Ieroboam in Deos. Et eieciſtis Sacerdotes Domini, filios Aaron, atque Leuitas: et feciſtis vobis ſacerdotes, etc. Noſter autem Dominus Deus eſt, quem non relinquimus: Sacerdoteſque miniſtrant Domino de filijs Aaron: et Leuitæ ſunt in ordine ſuo. Holocauſta quoque offerunt Domino per ſingulos dies manè et veſperè: et thymiama iuxta legis præcepta confectum: et proponuntur Panes in menſa mundiſſima: eſtque apud nos Candelabrum aureum, et lucernæ eius, vt accendantur ſemper ad veſperam. Nos quippe cuſtodimus præcepta Domini Dei noſtri: quem vos reliquiſtis. Ergo in exercitu noſtro dux Deus eſt, et Sacerdotes eius, qui clangunt tubis, et reſonant contra vos. filij Iſraël nolite pugnare contra Dominum Deum Patrum veſtrorum, quia non vobis expedit. Audiant etiam quid Propheta Dei initio Schiſmatis contra ipſum

3. Reg. 12.

2. Par. 13.

Altare

3. *Reg.* 13. Altare ſchiſmaticum dixerit: Et ecce, (inquit,) Vir Dei venit de Iuda in
„ ſermone Domini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente.
„ Et exclamauit contra altare in ſermone Domini,& ait: Altare, altare,hæc
„ dicit Dominus. Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine; & im-
„ molabit ſuper te ſacerdotes Excelſorum,qui nunc in te thura ſuccendunt,
„ & oſſa hominum ſuper te incendet. Quod ita poſt trecentos demum,&
eo amplius,annos factum narratur 4. Reg. 23. Sed & audiant Sacerdotes,
quid tunc Sacerdotes Domini fecerint: an nimirum ſic amauerint lac &
lanam, vt (quemadmodum multi noſtrorum impijſſimè fecerunt & fa-
ciunt) ſe à miniſterio Altaris Domini ad miniſterium Altaris Ieroboam
2. *Par.* 11. traduci permiſerint. Roboā (inquit) imperauit ſuper Iudam & Ben-iamin.
„ Sacerdotes autem & Leuitæ qui erant in vniuerſo Iſraël (ſub Ieroboam,)
„ venerunt ad eum (id eſt, ad Roboam) de cunctis ſedibus ſuis, relinquen-
„ tes ſuburbana, & poſſeſſiones ſuas, & tranſeuntes ad Iudam, & Ieruſalem:
„ eò quòd abiecerſſet eos Ieroboam, ne ſacerdotio Domini fungerentur. Qui
„ conſtituit ſibi ſacerdotes, &c. (Adeoque & Laici ipſi audiant, quid in illo
Ibidem. typico Schiſmate Laici quoque fecerunt:) Sed & de cunctis tribubus Iſ-
„ raël, quicumque dederant cor ſuum vt quærerent Dominū Deum Iſraël,
„ venerunt in Ieruſalem ad immolandū victimas ſuas coram Domino Deo
„ Patrum ſuorum. (Quorum exemplum ducentis poſtea annis, durante
vſque Schiſmate, ſecutus Tobias, plurimùm ob id laudatur:) Cum eſſet
Tob. 1. (inquit) iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile geſſit in
„ opere. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fe-
„ cerat rex Iſraël, hic ſolus fugiebat conſortia omnium: & pergebat in Ieru-
„ ſalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominū Deum Iſraël, omnia
„ primitiua ſua & decimas ſuas fideliter offerens, ita vt in tertio anno proſe-
„ lytis & aduenis miniſtraret omnem decimationem. Hæc & his ſimilia ſe-
„ cundum legem Dei puerulus obſeruabat.

a Cant. 1. Iam quomodo Antiquiſſimi Patres ex his [a] ſimilibuſque Scripturis
Exi. Aug. de Paſtor. ca. 15. *&* *Epiſt.* 43. *Cornel. Epiſt.* 1. *to.* 1. *Conc. Damaſ. Pontifical. in Fabiano, & in Cornelio.*
Locum hunc de Exeuntibus tractauerint; inde omnes qui exirent, Schiſ-
matis arguentes; ſibi autem qui in vnitate manſerunt, Eccleſiam vindi-
cantes: operæpretium eſt videre. Imprimis autem D. Cyprianus, circa
annum Domini ducenteſimum & quinquageſimum, per omnia ferè
Scripta ſua tractat hunc Locum, oſtendens, Nouatum Eccleſiæ ſuæ Car-
thaginenſis tunc presbyterum eſſe Schiſmaticum, cum Nouatiano preſ-
bytero Eccleſiæ Romanæ, & alijs omnibus eorum ſequacibus, Nouatianis
dictis; propterea quòd de vnitate Eccleſiæ exijſſent. Contra quos prop-
terea Librum ſuum ſcripſit, qui de vnitate Eccleſiæ nuncupatur, qui &
contra

contra omnes Exeuntes perinde valet, & valebit ſemper: eſtque ob eam cauſam, etiam hoc tempore, vtiliſſimæ lectionis. Nimiæ prolixitatis metus non ſinit me niſi pauca citare: reliqua omnia Lector in ipſo Auctore videat. *Cyp. de vn. Ec. num. 2.* Sic ait inter cætera: Videns Inimicus idola derelicta, & per nimium Credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos. Hæreſes inuenit & Schiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. *Schiſmatũ origo.* Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate circumſcribit, & decipit noui itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſæculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit, &c. Deinde mali huius cauſam aperit, eam ipſam qua de in hoc Motiuo agimus: Hoc eò fit, 3.
fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis Originem non reditur, nec Caput quæritur, nec Magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur. Quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. (Quæ tandem probatio tam facilis, vt tractatu longo non ſit opus?) Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico (inquit) quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferorũ non vincent eam. *Matth. 16.* Et tibi dabo claues Regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Et iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuã dicit: Paſce oues meas. *Ioan 21.* Super illum vnũ ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum. *Ioan. 20.* Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & Vnitatis eiuſdem Originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. *Vna Cathedra, etiam tempore Cypriani.* Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & Cathedra vna monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes: ſed grex vnus oſtẽditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur, &c. Hanc Eccleſiæ Vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit; qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? &c. Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Epiſcopi qui in Eccleſia prædemus, vt Epiſcopatũ quoque ipſum vnũ atque indiuiſum probemus. *Epiſcopi quanti Cathedra Petri.* Nemo fallat, &c. Epiſcopatus vnus eſt: cuius à ſingulis in ſolidũ pars tene-

(ita ſcilicet, vt in vno loco, quemadmodum paulò poſt dicit, non ſint
plures Epiſcopi, ſicuti Romæ tunc Nouatianus ſedit contra Cornelium.)
4. Eccleſia quoque vna eſt: quæ in multitudinem latiùs incremento fœcun-
,, ditatis extenditur, &c. vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater,
,, &c. Hæc nos Deo ſeruat, hæc filios Regno quos generauit, aſſignat.
,, Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſe-
,, paratur. Nec perueniet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiã Chriſti.
,, Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt Deum pa-
5. trem, qui Eccleſiam non habet matrem, &c. Monet ipſe in Euangelio
Ioan. 10. ſuo, & docet dicens: Et erit vnus grex, & vnus Paſtor. Et eſſe poſſe in
,, vno loco aliquis exiſtimat aut multos paſtores, aut plures greges? &c.
6. Gratulandum eſt, cùm tales de Eccleſia ſeparantur, &c. Nemo exiſtimet,
,, bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, &c. inanes
,, paleæ tempeſtate iactantur, &c. Hos execratur & percutit Ioannes Apo-
1. Io. 2. Hæreſes ex ſtolus dicens: Ex nobis exierunt, &c. Hinc hæreſes frequenter factæ ſunt,
Schiſmate. & fiunt: dum peruerſa mens non habet pacem, dum perfidia diſcordans
,, non tenet vnitatem, &c. (Mox & de eorum contrarijs Cathedris, quas
7. extrà poſiti ſibi collocant, hæc ſubiungit:) Hi ſunt qui ſe vltrò apud teme-
,, rarios conuenas ſine diuina diſpoſitione præficiunt, qui ſe Præpoſitos ſine
,, vlla Ordinationis lege conſtituunt, qui nemine epiſcopatum dantè, epiſ-
Pſal. 1. copi ſibi nomen aſſumunt: quos deſignat in Pſalmis Spiritus ſanctus, ſe-
,, dentes in peſtilentiæ cathedra, &c. Non enim nos ab illis, ſed illi a nobis
9. receſſerunt, &c. An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, qui aduerſus Sacerdo-
,, tes Chriſti facit? qui ſe a Cleri eius & plebis ſocietate ſecernit? &c. hoſtis
,, Altaris, aduerſum Sacrificium Chriſti rebellis, &c. contemptis Epiſcopis,
,, & Dei Sacerdotibus derelictis, conſtituere audet aliud altare, precem alte-
10. ram illicitis vocibus facere, &c. Quicquid à matrice diſceſſerit, ſeorſum vi-
,, uere & ſpirare non poterit, ſubſtantiam ſalutis amittit, &c.
Similia in Epiſtolis quoque ſæpiſſimè contra eoſdem Nouatianos in-
Et Epiſt. 33. culcat. vt epiſt. 40. de cuiuſdam presbyteri Nouatiani nomine Feliciſſimi
ſeparato conuenticulo in quodam monte agens, ſimul & cauſam Schiſma-
tis aperiens, eam in qua cum Nouatianis (ſicut in alijs cum alijs antiquis
Cyp. Epiſt. 40. Hæreticis) Proteſtantes conueniunt: Nunc (inquit) ad ruinam ſalutis in-
Proteſtantes ducitur, &c. vt poſt culpam criminis tollatur & pœnitentia, nec per epiſ-
Nouatiani copos & ſacerdotes Domino ſatisfiat; ſed relictis Domini ſacerdotibus
ob ſublatam pœnitẽtiam contra Euangelicam diſciplinam noua traditio ſacrilegæ inſtitutionis exur-
ſacerdotalē gat, &c. Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra
ſeu ſacramentalem. vna ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut
nouum

nouum ſacerdotium fieri, præter vnum Altare, & vnum ſacerdotium, non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcumque humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur. Procul ab huiuſmodi hominum contagione diſcedite, &c. (Vnde & Epiſt. 64. ait:) Nec Eccleſiam Catholicam (quæ vna & ſola eſt à Domino conſtituta) derelinquant lapſi; ſed ſatisfactionibus immorentur, &c. Ergo contumaces, & Deum non timentes, & ab Eccleſia in totum recedentes, nemo comitetur. Quos homines (Exeuntes dico ab Eccleſia) non ſolùm aduerſarios, & hoſtes, & Chriſti Eccleſiam diſſipantes, verumetiam ſæpiſſimè Apoſtatas & Deſertores vocat. admonetque valde ſalubriter, non curandum quid quiſque doceat, ſi foris doceat. eo enim ipſo quòd foris eſt, cauendum & contemnendum eſſe, quantuſcumque & qualiſcumque eſſe videatur. Sunt autem in hoc genere elegantiſſima, quæ in varijs Epiſtolis ſcribit de ſchiſmatica ordinatione ipſius Nouatiani in Eccleſia Romana contra legitimum Epiſcopum tunc Cornelium. Nec putetis (inquit) ſic vos Euangelium Chriſti aſſerere, dum voſmetipſos à Chriſti grege & ab eius pace & concordia ſeparatis, &c. Nam cum vnanimitas & concordia noſtra ſcindi omnino non debeat; quia nos Eccleſia derelicta foras exire, & ad vos venire non poſſumus, vt vos magis ad Eccleſiam matrem, & ad noſtram fraternitatem reuertamini, quibus poſſumus hortamentis petimus & rogamus. (Item in alia Epiſtola:) Factus eſt Cornelius epiſcopus, etc. cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri et gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret. quo occupato de Dei voluntate, atque omnium noſtrum conſenſione firmato; quiſquis iam epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiæ non tenet vnitatem; quiſquis ille fuerit, multum de ſe licèt iactans, & ſibi plurimum vindicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt. Et cùm poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quiſquis poſt vnum qui ſolus eſſe debeat, factus eſt, non iam ſecundus ille, ſed nullus eſt, &c. Niſi ſi epiſcopus tibi videtur, qui epiſcopo in Eccleſia à ſedecim coëpiſcopis facto (nimirum Cornelio,) adulter atque extraneus epiſcopus fieri à deſertoribus per ambitum nititur: Et cùm ſit à Chriſto vna Eccleſia per totum mundum in multa membra diuiſa, item Epiſcopatus vnus, epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus, ille (Nouatianus) poſt Dei traditionem, poſt connexam & vbique coniunctam catholicæ Eccleſiæ vnitatem, humanam conetur Eccleſiam facere, & per plurimas ciuitates nouos Apoſtolicos ſuos mittat, vt quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat; cumque iampridem per omnes prouincias & vrbes

Cyp. Epiſt. 64. — Epiſt. 52. n. 3. 9. — n. 7. — Epiſt. 41. 42. 76. — Cyp. Epiſt. 44. — Epiſt. 52. n. 3. — n. 7.

„ ſingulas ordinati ſint epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura „ probati, in perſecutione proſcripti, ille ſuper eos creare alios pſeudoëpiſco„ pos audeat. Quaſi poſſit aut totum orbem noui conatus obſtinatione per„ agere, aut eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ ſeminatione reſcindere: neſciens Schiſmaticos ſemper inter initio feruere, incrementa verò habere non poſſe, nec augere quod illicitè cœperint, ſed ſtatim cum praua ſua æmulatione deficere. Epiſcopatum autem tenere non poſſet, „ etiamſi epiſcopus prius factus, à coëpiſcoporum ſuorum corpore & ab „ Eccleſiæ vnitate deſciſceret, &c.

Schiſmaticorum conatus vanus.

Quæ omnia à me ex ſcriptis viri antiquiſſimi atque eloquentiſſimi, & glorioſiſſimi martyris, verbis pluribus proferuntur, quia noſtrorum hac tempeſtate Proteſtantium conatus ſacrilegos & ridiculos æquè retundunt. Quis enim non videt, eos etiam ab Eccleſia recedentes, in quibus poſſunt locis cathedras contra Cathedras collocare (quod tamen ſcio tam propriè non dici niſi de Schiſmate in Eccleſia Romana contingente) & ſuper catholicos epiſcopos adhuc viuentes, alios pſeudoëpiſcopos, non ſolùm quia ſchiſmaticos, ſed etiam quia merè laicos, vel (vt multum) presbyteros, ordinare? licèt multo minore ſpe, & frigidiore ac ſegniore conatu (quam vllæ vnquam fecerint grandiores Hæreſes) idem per totum Orbem per nouos aliquos Apoſtolos peragendi: cùm & ipſi, quantumcumque inter initia ferbuerint, iam vana ſua conamina, licet cæci ſint, demum cernentes, ſatis vtcunque refrixerint. Det illis Deus & ſeriò aliquando reſipiſcere, & vnde exierunt, redire cum plebibus quas rapuerunt. Fruſtrà enim dicunt, apud ſe Eccleſiam eſſe, cùm exierint; nec nos vnquam facient hæreticos, qui Eccleſiæ vnius caput & radicem tenemus. Quod enim illis ſui temporis Schiſmaticis Cyprianus de eorum principe Nouatiano iuſtiſſimè dicit, id omnes facilè animaduertunt à nobis multo iuſtius Proteſtantibus de eorum Luthero & Caluino dici. Oſtendant (inquit) & doceant, Nouatianum in Eccleſia eſſe, aut Eccleſiæ præſi„ dere. Eccleſia enim vna eſt; quæ vna & intus eſſe & foris non poteſt. „ Si enim apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit. Si verò apud „ Cornelium fuit, qui Fabiano epiſcopo legitima ordinatione ſucceſſit, &c. „ Nouatianus in Eccleſia non eſt, nec epiſcopus computari poteſt, qui „ Euangelica & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſe„ ipſo ortus eſt. Habere namque aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in Eccleſia non eſt. foris enim non eſt Eccleſia, &c. Et „ erit, (inquit) vnus grex, & vnus paſtor. Si autem grex vnus eſt, quomo„ do poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt? aut Paſtor

Cyp. Epiſt. 3. *Epiſt. 76. num. 2.* *Ioan. 10.*

habcri

haberi quo modo poteſt, qui (manente vero paſtore, ſcilicet Cornelio, " & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccidanea præſidente) nemini ſuccedens, " & à ſe ipſo incipiens, alienus fit & prophanus, Dominicæ pacis & Di- " uinæ vnitatis inimicus? &c. (Et alibi:) Etſi contumax aç ſuperba obau- *Epiſt. 69.* dire nolentium multitudo diſcedat, Eccleſia tamen à Chriſto non rece- " dit: Et illi ſunt Eccleſia, Plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex " adhærens. Vnde ſcire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam " in Epiſcopo: &, ſi qui cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſet, &c. " quando Eccleſia quæ Catholica vna eſt, ſciſſa non ſit, neque diuiſa, " ſed ſit vtique connexa, & cohærentium ſibi inuicem ſacerdotum glutino " copulata. Legantur etiam Epiſtolæ 55. & 65. Tam multa protuli ex hoc patre ſanctiſſimo, quia & pulcherrima ſunt, & ſolidiſſima, & non minùs contra Proteſtantes alioſque omnes de Vnitate exeuntes faciunt, quàm contra Nouatianos. Vnde etiam poſtea, cum annis circiter quinquaginta poſt mortem Cypriani, aliud rurſus in Africa, nimirum Donatiſtarum *Donatiſtæ.* Schiſma natum eſſet; illudque (impeditis paulò pòſt circa Arianos in Oriente ijs qui Donatiſtas alioqui compreſſuri erant) per centum pænè annos incrementa maxima & pernicioſiſſima accepiſſet: tandem inuentus eſt D. Optatus, & mox poſt eum D. Auguſtinus, qui dictum Schiſma hoc eodem argumento, quo priùs D. Cyprianus Nouatianorum ſchiſma, percuterent & perimerent: Donatiſtas nimirum Eccleſiam habere non poſſe, propterea quòd exierant de Eccleſia. Optatus igitur contra Parmenianum epiſcopum Carthaginenſem Donatiſtarum cauſam totam egregiè ſic euincit:

Dixiſti inter cætera, Schiſmaticos à vite, velut ſarmenta, eſſe con- *Opt. li. 1. fo. 5.* ciſos; deſtinatos pœnis, tanquam ligna arida, gehennæ ignibus reſerua- " ri. Sed video te adhuc ignorare, Schiſma apud Carthaginem, (ſeu " apud Wittenbergam in Saxonia,) à veſtris principibus factum. Quære " harum originem rerum, & inuenies hanc te in vos dixiſſe ſententiam, " cum ſchiſmaticis hæreticos ſociaſti. Non enim Cæcilianus (noſter epiſ- " copus Carthaginenſis) exiuit à Maiorino auo tuo: (qui ita ſe Carthagini Cæciliano oppoſuit, vt antè Nouatianus Romæ ſe Cornelio " oppoſuerat) ſed Maiorinus à Cæciliano. Nec Cæcilianus receſſit à Ca- " thedra Petri, vel Cypriani, ſed Maiorinus, cuius tu in cathedra ſe- " des, quæ ante ipſum Maiorinum originem non habebat, &c. (Et non " multò pòſt:) vos ſchiſmaticos eſſe manifeſtum eſt. Vos enim foras exiſtis. *fol. 6. b.* (Et rurſum:) Traditores Maiorinum (cuius tu Cathedram ſedes) poſt *fol. 7. b.* ordinationem Cæciliani ordinauerunt, ſchiſma facientes, &c. "

„ Principes veſtri fuere auctores Schiſmatis. Quæ res vt clara et manifeſta
„ eſſe omnibus poſſit, oſtendendum eſt, Ex qua radice ſeſe vſque in hodier-
„ num, erroris protenderint rami, et ex quo fonte riuulus iſte maligni li-
„ quoris, occultè ſerpens, vſque in tempora noſtra manauerit. Dicendum
„ eſt, vnde, et vbi, et à quibus ortum conſtet hoc malum: quæ conuenerint
„ cauſæ: quæ fuerint operatæ perſonæ: qui auctores huius mali: qui nutri-
„ tores, &c. De diuiſione agitur: Et in Africa, (ſeu Saxonia,) ſicut et in
„ cæteris Prouincijs, vna erat Eccleſia, antequam diuideretur ab Ordina-
„ toribus Maiorini, cuius tu hæreditariam cathedram ſedes. Videndum eſt,
„ quis in radice cum toto Orbe manſerit; quis foras exierit; quis cathe-
„ dram ſederit alteram, quæ antè non fuerat; quis altare contra Altare ere-
Audiant pſeudoepiſcopi Proteſtantium in Anglia. xerit; quis Ordinationem fecerit, ſaluo altero ordinato; quis iaceat ſub ſententia Ioannis Apoſtoli, qui dixit, multos Antichriſtos foras exituros: quia non erant (inquit) noſtri: nam ſi noſtri eſſent, manſiſſent nobiſcum.
1. Io. 2. Ergo qui in vno cum fratribus manere noluit, hæreticos ſecutus, quaſi
„ Antichriſtus foras exiuit. Hoc apud Carthaginem, (ſeu apud Wittenber-
„ gam, etc.) poſt ordinationem Cæciliani factum eſſe nemo eſt qui neſciat:
„ per Lucillam ſcilicet, neſcio quam, fœminam factioſam, quæ, etc. (Et
fo. 9. pòſt iterum:) Illo tempore (Ordinationis Cæciliani) &c. Conferta erat
„ Eccleſia populis plena: erat cathedra epiſcopalis: erat Altare loco ſuo,
„ in quo pacifici Epiſcopi retro temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucia-
„ nus, et cæteri. Sic exitum eſt foras, et altare contra Altare erectum eſt,
„ et Ordinatio illicitè celebrata eſt: et Maiorinus, &c. Vides ergo Parme-
† *Num. 16.* niane, &c. Et tamen † Dathan, &c. Et miramini vobis aliquid tale aſperè
fo. 13. factum, qui Schiſma aut facitis aut colitis. &c? Nos in radice manemus,
l. 3. fo. 58. et in toto Orbe terrarum cum omnibus ſumus. &c. Vos foris eſtis: Nos
„ intus habitamus, et nunquam de radice receſſimus.

Iam ſi et D. Auguſtini loca omnia huius generis proferre velim, finis non eſſet: vniuerſa eius contra Donatiſtas ſcripta hoc argumento plena ſunt: Eos nimirum alienos eſſe ab Eccleſia, eò quòd de Eccleſia exierint, cùm tamen exire de Eccleſia nullo vnquam tempore, nullamque ob cauſam liceat, præſertim cùm Scripturæ doceant, Separationem non eſſe ante finem ſeculi faciendam. Hæc paſſim D. Auguſtinus contra Donatiſtas inculcat. Ex quibus vident omnes conſequens eſſe, quòd Eccleſia viſibilis ſemper ad conſummationem vſque ſeculi perſeuerat, & quòd ſemper oporteat nos intus in ea manere, & propterea eam ad hæreſes, ad idola, ad alia quælibet ſinceræ fidei ac diuini cultus inquinamenta prolabi non poſſe, quia ſic nos Scriptura iuberet, in hæreticorum, ac idololatrarum Societate
Eccleſiam nunquam poteſt errare.

manere

manere, & cultus illicitos frequentare: Et propterea rurſus Separationem iſtam quam Lutherani & Caluiniſtæ fecerunt, vel quamlibet aliam quàm alij quilibet poſthac facturi ſunt, non minus impiam ac ſacrilegam nunc eſſe, & deinceps fore, quàm fuerint olim Separationes illæ Nouatianorum atque Donatiſtarum. Sic igitur Auguſtinus iſta contra Donatiſtas vrget. *Auguſt. de vn. Eccleſ. cap. 13.*

Dicit Dominus deſuper ſeminatis zizanijs: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem: id eſt, triticum & zizania. Et ipſe interpretatur meſſem eſſe finem ſeculi: Agrum verò vbi vtrumque ſeminatum eſt, mundum eſſe. Oportet itaque vſque in finem ſeculi creſcere vtrumque per mundum. (Et paulò pòſt:) Eſt alia ſimilitudo apertiſſima de commixtione bonorum & malorum intra eandem Sacramentorum (ecce viſibilem Eccleſiam dicit) communionem & connexionem, quam Dominus ipſe ponit, & exponit: Simile eſt (inquit) Regnum cœlorum Sagenæ miſſæ in mare, quæ congregat omnia genera piſcium. Cùm autem impleta eſſet, eduxerunt eam ad litus, & ſedentes elegerunt optimos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt: Sic erit in conſummatione ſeculi, exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Nulla ergo malorum commixtio terret bonos, vt propterea velint tanquam retia rumpere, & à congregatione vnitatis exire, ne homines non pertinentes ad regnum cœlorum in Sacramentorum conſortio patiantur. (Contra Creſconium autem Grammaticum Donatiſtam, iſta etiam, vt nos ſuprà, B. Cypriani ſcriptis illuſtrat & auctoritate communit.) Hinc B. Cyprianus quid ſenſerit, accipe ex Epiſtola, quam ſcripſit ad Presbyterum Maximum & cæteros, quibus de ſchiſmatico & hæretico errore (Nouatiani) ad Eccleſiam redeuntibus gratulatur. Nam etſi videntur (inquit) in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas noſtra, vt quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantummodo laborandum eſt, vt frumentum eſſe poſſimus, vt cùm cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus. Apoſtolus in epiſtola ſua dicit: In domo autem magna non ſolùm vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia; & quædam quidem honorata, quædam inhonorata. Nos operam demus, & quantum poſſumus laboremus, vt vas aureum & argenteum ſimus. Cæterùm fictilia vaſa confringere Domino ſoli conceſſum eſt, cui virga ferrea data eſt. Eſſe non poteſt maior Domino ſuo ſeruus, nec quiſquam ſibi quod ſoli Filio Pater tribuit vendicare, vt ſe putet aut ad aream ventilandam & pur-

Matth. 13. *Matth. 13.* *Auguſt. co. Creſc. lib. 2. ca. 34.* *Cyp. Epiſt. 51.* *2. Tim. 2.* *Pſalm. 2.* *Matth. 10.* *Matth. 3.*

gandam

Matth. 13. gandam paleam ventilabrum iam ferre poſſe, aut à frumento vniuer-
„ ſam zizaniam humano iudicio ſeparare. Superba eſt illa obſtinatio & ſa-
„ crilega præſumptio, quam ſibi furor prauus aſſumit. Et dum ſibi ſemper
„ quidam, plus quàm mitis iuſtitia depoſcit aſſumunt, de Eccleſia pereunt,
„ & dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati, veritatis lumen
„ amittunt. Vides frater ſecundum Scripturas diuinas hoc præcepiſſe Cy-
„ prianum etiam propter malos. Qui cùm ſint à bonis vita moribuſque
„ ſpiritaliter ſeparati, corporaliter tamen eis in Eccleſia videntur eſſe per-
„ mixti (vſque in diem iudicij,) quo etiam corporaliter debitas ſeparabun-
„ tur ad pœnas. Non eſt Eccleſia deſerenda, tanquam frumenta, propter
„ paleam vel zizania, ſicut nec Domus magna propter vaſa inhonorata.
„ Vides, audis, ſentis, capis, intelligis, quanto ſcelere propter eos, qui
„ vobis ſiue rectè, ſiue cum fallimini diſplicent, ſeparemini ab Eccleſia, quæ
„ toto orbe diffunditur, cui ſecundum Scripturas diuinas, tam magnum, tam
„ firmum, tam clarum ac luculentum teſtimonium perhibet Cyprianus.

Si autem Lutherani iſta omnia audientes in eo ſibi blandiantur, ſeque extollant contra Zuinglianos ſeu Caluiniſtas, quia iſti de ipſis exierunt, aut ſi Anglo-proteſtantes propterea ſe erigant contra Puritanos ſuos; quia & iſti de ipſis exierunt: recordentur vtrique, ſe de nobis priùs exijſſe, ac ob eam cauſam id à nobis dici illis, quod à D. Auguſtino plurimis in locis Donatiſtis dicitur inſoleſcentibus contra Maximinianiſtas ſuos, qui

Auguſt. de Vn. Eccleſ. cap. 17. ſimiliter de ipſis exierant. Maximinianiſtæ (inquit) fecerunt multò leuius, quàm feciſtis. Illi enim aduerſus partem Donati, (Lutheri, Elizabethæ;)
Luc. 24. vos autem aduerſus Orbem terrarum, & aduerſus eius verba, qui Eccle-
Act. 1. ſiam ſuam incipientem ab Ieruſalem per omnes gentes commendauit,
„ ſacrilegæ diſſenſionis altare erexiſtis.

Poſtremò quemadmodum prædicti Patres contra particularia ſuo-
Vinc. li. 1. Cap. 25. rum temporum Schiſmata, ita Vincentius Lirinenſis contra prophanas omnium Hæreſeôn nouationes idem tradidit obſeruandum. Et reuera,
Cap. 34. (inquit) cùm quæque nouitas ebullit, ſtatim cernitur frumentorum gra-
„ uitas, & leuitas palearum. tunc ſine magno molimine excutitur ab area,
„ quod nullo pondere intra aream tenebatur, &c. (Item:) Et reuera quis
„ vnquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe prius ab Eccleſiæ catholicæ vniuer-
Cap. 40. 1. Cor. 14. ſitatis & antiquitatis conſenſione diſcreuit? &c. (Et iterum:) Non eſt
„ Deus diſſenſionis, ſed pacis, id eſt, non eius qui à conſentiendi vnitate
„ defecerit, ſed eorum qui in conſentiendi pace permanſerint.

Quæ omnia licèt non ſolùm iſtorum tot grauiſſimorum authorum conſenſu, & ipſarum ſanctarum Scripturarum auctoritate munita, verùm

& per

& per ſe ipſa ſint clariſſima : Eos videlicet qui ſemel intus fuerunt, & nunquam poſtea exierunt, etiam hodie intus eſſe (vt de nobis patet:) eoſque rurſus qui exierunt, foris eſſe (vt Lutheranos, Caluiniſtas, alioſque omnes Sectarios huius temporis:) tamen duobus ſequentibus Motiuis fient adhuc etiam clariora.

MOTIVVM QVARTVM.

Quòd nos nullo poſt Eccleſiæ exordium tempore exurreximus, ſicut Proteſtantes.

CONSEQVENTER itaque expendatur & hoc, quanti ſit momenti, quòd nemo tempus aliquod poſt Apoſtolorum tempus poterit nominare, quando primùm Eccleſia noſtra ſurrexerit. Quoniam verò Proteſtantes non ſolùm cōmunionem noſtram auerſantur, vt Schiſmatici; verùm etiam fidem noſtram, vt Hæretici; adeoque totā pænè religionem noſtrā, vt Apoſtatæ: hoc etiam addo; quemadmodum non poſſunt vel ipſi vel alius quiſquam tale communionis ſeu Eccleſiæ noſtræ exordium deſignare, ita nec poſſe eos vel alium quemcumque mortalem nominare certum aliquem authorem & primum quaſi parentem ipſorum articulorum fidei religioniſque noſtræ, niſi ſolùm Chriſtum Dominum, eiuſque venerandos Apoſtolos. Aut nominent ipſi articulum vnum ex omnibus, & tempus introductionis eiuſdem, & authorem: meque, niſi eundem articulum doceam eſſe antiquiorem, concludant eſſe mendacem. Certiſſimus autem ſum, quòd hoc præſtare non poſſunt. Iam ediuersò clarum eſt & euidens, ipſorum communionem ſeu Eccleſiam (ne communiones dicam & Eccleſias) nuper exortam eſſe: notuſque eſt Author eiuſdem; & tempus quo ſurrexit ille, non modò in Hiſtorijs notatum, ſed etiam in ſeniorum memorijs eſt reconditum; articulique doctrinæ eius plurimi antea inauditi. Plurimi alij tales in Hiſtorijs notati ſunt, cum nouis poſt initia Eccleſiæ ſurgentes articulis, vt Nouatiani, Sabelliani, Arriani, Pelagiani, & cæteri non pauci. Itaque ad tuendam cauſam ſuam Proteſtantes qui ſimiliter ſurrexerunt, conſiderent illos omnes; in eiſque nominent aliquos, quorum nihilominus communio, licet ita ſurrexerint, & pertinaces fuerint, Schiſmatica non extiterit, nec articuli hæretici quos docuerint. Certiſſimus ſum rurſus, quòd neque hoc præſtare queant. *Lutherus.*

Ex quibus euidentiſſimum eſt, tum nos etiam hodie veros atque primitiuos Chriſtianos eſſe, tum illos vt alterius noui recentiſque generis, ita falſos Chriſtianos & adulterinos exiſtere. Clariſſima ſunt iſta per ſe; verumtamen, vt etiam cæci videant, Scripturarum ac Patrum lumine illuſtrentur.

Huc imprimis pertinet, quo Chriſtus notat iſtos poſtea ſurgentes, Matth. 24. dum dicit: Multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. Item Act. 20. illud D. Pauli ad Epiſcopos & Presbyteros Epheſi: Ego ſcio, quoniam » intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes » gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant » Diſcipulos (id eſt, Chryſtianos) poſt ſe. Propter quod vigilate, &c. Rom. 16. Illud etiam eiuſdem ad Romanos: Rogo autem vos, fratres, vt obſer» uetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos » didiciſtis faciunt: & declinate ab illis. Huiuſcemodi enim Chriſto Domi» no noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones & bene» dictiones ſeducunt corda innocentium. Veſtra enim obedientia in om» nem locum diuulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapientes » eſſe in bono, & ſimplices in malo. Quos etiam D. Petrus prædixit, & 2. Pet. 2. nos præmonuit, dum ait: Fuerunt verò & pſeudoprophetæ (ac non ſo» lùm prophetæ) in Populo: ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces qui » introducent Sectas (in Græco, Hæreſes) perditionis, &c. Et multi ſe» quentur eorum luxurias, per quos Via veritatis blaſphemabitur. & in aua» ritia fictis verbis de vobis negociabuntur. quibus iudicium iam olim non » ceſſat, & perditio eorum non dormitat, &c. De illis, quos Petrus dicit, pſeudoprophetis in populo veteris Teſtamenti, Moyſes tunc quoque præmonuit, quòd ſurrecturi erant, & abducturi populum fidelem à vero Deut. 13. ac primitiuo cultu Dei, ad deos ignotos & alienos: Si ſurrexerit, (inquit) » in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat; & prædixerit » ſignum atque portentum, & euenerit quod locutus eſt; & dixerit tibi, » Eamus, & ſequamur deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis: non » audies verba prophetæ illius aut ſomniatoris: quia tentat vos Dominus » Deus veſter, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum an non, in toto corde, & 1. Cor. 11. » in tota anima veſtra. quemadmodum etiam D. Paulus dicit: Oportet 1. Io. 2. & Hæreſes eſſe: vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Vnde nos » D. Ioannes hortatur: Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat: » Si in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in Filio & Patre » manebitis. Et hæc eſt repromiſſio quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam » æternam. Hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos, &c. Et nunc filioli

manete:

manete in eo: vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confunda- "
mur ab eo in aduentu eius. Quo etiam modo Moyſes ſuos monet ac con- "
teſtatur: Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & man- *Ibidem.*
data illius cuſtodite, & audite vocem eius: ipſi ſeruietis, & ipſi adhærebi- "
tis. Propheta autem ille aut fictor ſomniorum interficietur: quia locu- "
tus eſt, vt vos auerteret à Domino Deo veſtro, &c. vt errare te faceret "
de via quam tibi præcepit Dominus Deus tuus. Omnium autem in hoc "
genere illuſtriſſimum & pulcherrimum eſt, quòd Chriſtus in parabola
propter hanc cauſam ſe dicit ſimilem homini qui ſeminauit bonum ſemen *Matth. 13.*
in agro ſuo, id eſt (vt ipſe etiam interpretatur) in mundo: Diabolum au-
tem ſimilem homini inimico poſtea venienti, & ſuperſeminanti zizania.
Cùm autem dormirent (inquit) homines, venit inimicus eius, & ſuper- "
ſeminauit zizania in medio tritici. Vbi Latinus interpres aptiſſimè ſen- "
ſum expreſſit, dum illa duo, Seminans & Superſeminans quaſi inuicem "
reſpondentia reddidit, quanquam ea in Græco verborum agnominatio
non appareat. Addit verò Chriſtus in eandem ſententiam: Cùm autem "
creuiſſet herba, & fructum feciſſet: tunc (non ſcilicet à principio, ſed
poſtea) apparuerunt & zizania. Atque in hunc ſenſum antiquiſſimus "
Scriptor Tertullianus locum hunc elegantiſſimè tractat, in illo ſuo Li-
bello aureo de Præſcriptionibus contra omnes hæreſes, inde nimirum "
docens omnium Hæreticorum ora facillimè claudi, quòd non à principio
ſeminis fuerint, ſed poſtea, quaſi zizania, ſuperſeminati ſint. Sed verba
ipſius, paulò altius repetentes, audiamus:

Quale eſt, &c. vt antè hæreſes quàm vera doctrina? Sed enim in *Tert. de Præſc.*
omnibus veritas imaginem antecedit: poſtremò, ſimilitudo ſuccedit. "
Cæterùm ſatis ineptum eſt, vt prior doctrina hæreſis habeatur: vel quo- "
niam ipſa eſt quæ futuras hæreſes & cauendas prænunciabat. Ad eius "
Doctrinæ eccleſiam ſcriptum eſt, imò ipſa Doctrina ad eccleſiam ſuam "
ſcribit: Et ſi angelus de cœlo aliter euangelizauerit citrà quam nos, ana- *Gal. 1.*
thema ſit. Et hinc contra omnes hæreſes iam tum non exiſtentes, ſed
poſteriùs exortas, inſurgit: Vbi tunc Marcion, &c? Vbi tunc Valenti- "
nus, &c? Nam conſtat illos, neque adeò olim, fuiſſe Antonini ferè Prin- "
cipatu, & in Catholicam penè doctrinam credidiſſe apud Eccleſiam Ro- "
manenſem, ſub Epiſcopatu Eleutheri benedicti: donec ob inquietam "
eorum curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel & iterum eiecti, "
&c. Paulò pòſt & contra alios hæreticos eodem modò præſcribit, quòd
nimirum poſteriùs orti ſint: Sed & Apellis ſtemma retractandum eſt. "
Tam non vetus & ipſe, quàm Marcion inſtitutor & præformator eius, etc. "

„ Hos vtique inſigniores & frequentiores adulteros veritatis nominamus.
„ Cæterum & Nigidius neſcio qui, & Hermogenes, & multi alij adhuc
„ ambulant peruertentes vias Dei. Cupio, oſtendant mihi, ex qua aucto-
„ ritate prodierunt, &c. Probent ſe nouos Apoſtolos eſſe: Dicant, Chri-
„ ſtum iterum deſcendiſſe, iterum ipſum docuiſſe, iterum crucifixum, ite-
„ rum reſuſcitatum. ſic enim Apoſtolos ſolet facere: dare illis præterea vir-
„ tutem, eadem ſigna ædendi, quæ & ipſi. Volo igitur virtutes eorum pro-
ferri, & cætera quæ ſuo potius loco commemorabo, ne iam longius digre-
diar. ad id igitur quod hic ago, reuertor cum Tertulliano, & verbis
„ eius dico: Sed ab exceſſu reuertar ad principalitatem veritati, & poſte-
Matt. 13.d ritatem mendacitati deputandam, ex illius quoque Parabolæ patroci-
„ nio, quæ bonum ſemen frumenti à Domino ſeminatum primò con-
„ ſtituit: auenarum autem ſterilis fæni adulterium, ab inimico Diabo-
„ lo poſtea ſuperducit. pro parte enim doctrinarum diſtinctionem figu-
Matt. 13.a rat, quia & alibi verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt. Ita ex ipſo ordine
„ manifeſtatur, id eſſe Dominicum & verum, quod ſit prius traditum: id
„ autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum. Ea ſententia
„ manebit aduerſus poſteriores quaſque hæreſes, &c. Cæterùm ſi quæ au-
„ dent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, vt ideo videantur ab Apoſtolis tra-
„ ditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt: poſſumus dicere, Aedant ergo origi-
„ nes eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem epiſcoporum ſuorum: &
Moti. 44. cætera, quæ ad alium infrà locum pertinent. Huius loci ſunt, quæ rurſus
paulò poſt, vbi & doctrinam eorum ſui temporis Hæreticorum qui ſe
audebant ætati Apoſtolicæ interſerere, contrariam doctrinæ Apoſtolicæ
1. demonſtraſſet, de omnibus Hæreſibus concludens infert: Siue ergo
„ eædem nunc ſunt aliquanto expolitiores, quæ ſub Apoſtolis rudes, ha-
2. bent ſuam exinde damnationem: Siue aliæ quidem illæ fuerunt, aliæ
„ autem poſtea obortæ quaſdam ex illis opiniones vſurpauerunt, ha-
„ bendo cum eis conſortium prædicationis, habeant neceſſe eſt etiam
3. conſortium damnationis: præcedente illo fine ſupradicto Poſterita-
„ tis, quo etſi nihil de damnaticijs participarentur, de ætate ſola præiu-
„ dicarentur, tanto magis adulteræ, quanto nec ab Apoſtolis nominatæ.
2. Pet. 2. Ep. Iud. Vnde firmiùs conſtat has eſſe, quæ adhuc tunc nunciabantur futuræ.
Ad quæ ipſa Tertulliani verba videtur Hieronymus reſpexiſſe, ita di-
Hier. ad-uer. Lucif. Motiuo 8. cens: Ex hoc enim ipſo, quòd poſtea inſtituti ſunt (quod ex eo-
rum nouis nominibus, de quibus alibi dicam, colligit) eos ſe eſſe indi-
„ cant, quos futuros Apoſtolus prænunciauit. Sic igitur contra omnes
Hæreſes ex hoc ferè vno capite Poſteritatis, id eſt poſterioris exortûs,

facta apertiſſima præſcriptione (ſuffragante etiam ſancto Hieronymo) tandem triumphum canit Tertullianus doctrinæ & eccleſiæ Catholicæ, quippe contra quam nulla huiuſmodi præſcriptio adferri poteſt: " His (inquit) definitionibus prouocatæ à nobis & reuictæ Hæreſes " omnes, ſiue quâ poſteræ, ſiue quâ coætaneæ Apoſtolorum, dummodo " diuerſæ; ſiue generaliter, ſiue ſpecialiter notatæ ab eis, dummodo " prædamnatæ; audeant reſpondere & ipſæ aliquas eiuſmodi præſcriptio- " nes aduerſus noſtram Diſciplinam. Si enim negant veritatem eius, de- " bent probare, illam quoque hæreſim eâdem formâ reuictam, qua " ipſæ reuincuntur: & oſtendere ſimul, vbinam quærenda ſit Veritas, " quam apud illas non eſſe iam conſtat. Poſterior noſtra res non eſt, imò " omnibus prior eſt. Hoc erit teſtimonium veritatis vbique occupantis " principatum.

Iam & antiquior Tertulliano S. Irenæus martyr ex eodem Poſteritatis ſeu Pòſt-ſurgendi Loco eoſdem & alios omnes qui eatenus fuerant, Hæreticos reuincit, idque ijſdem pænè verbis, vt ex illo Tertullianus ſumpſiſſe videatur. Loquitur de Barbaris Gentibus Chriſtianorum, in earum laudem, quòd nihil ab vllis poſterioribus hæreticis contra primam ſuam quam ab Apoſtolis acceperant traditionem, audire ſuſtinerent, iſta dicens: Quibus ſi aliquis annunciauerit ea quæ ab Hæreticis adinuenta ſunt, proprio ſermone eorum colloquens; ſtatim concludentes aures, longo longiùs fugient, ne audire quidem ſuſtinentes " blaſphemum colloquium. Sic per illam veterem Apoſtolorum traditio- " nem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcumque hæ- " reticorũ portentiloquium eſt. Tum iuſtiſſimam ita faciendi cauſam red- " dit hanc de qua Motiuum præſens inſtituimus: Neque enim (inquit) " congregatio (ſeu Eccleſia) fuit apud eos (id eſt, Hæreticos) neque doctri- " na inſtituta. Ante Valentinum enim non fuerunt qui ſunt à Valenti- " nô: neque ante Marcionem erant, qui ſunt à Marcione: neque omni- " no erant aliqui Senſus maligni, quos ſuprà enumerauimus, antequam " initiatores & inuentores peruerſitatis eorum fierent. Valentinus enim " venit Romam ſub Hygino, increuit verò ſub Pio, & prorogauit " tempus vſque ad Anicetum. Cerdon autem, qui ante Marcionem, " & hic ſub Hygino, qui fuit octauus Epiſcopus, &c. vel nouus po- " tiùs, vt & Euſebius habet, hunc ipſum locum ex Irenæo citans, Eccleſ. Hiſt. lib. 4. cap. 10. quemadmodum etiam Cyprianus dicit Epiſt. 74. Cerdon ſub Hygino tùnc Epiſcopo, qui in Vrbe nonus " fuit, Romam venit. Tum & cæteros Irenæus eâdem notâ indicat: "

Iren. cō. Hær. lib. 3. cap. 4.

„ Marcion autem illi ſuccedens, inualuit ſub Aniceto, decimum locum „ Epiſcopatus continente. Reliqui verò qui vocantur Gnoſtici, à Menan- „ dro Simonis (Magi) diſcipulo accipientes initia, &c. Denique de illis „ omnibus ſimul concludit: Omnes autem hi multo poſteriùs, median- „ tibus iam Eccleſiæ temporibus, inſurrexerunt in ſuam Apoſtaſiam.

Iren. lib. 5. Quod rurſus lib. 5. circa medium repetit: Omnes enim ij valde poſte- „ riores ſunt quàm Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias: Et „ hoc in tertio Libro cum omni diligentia manifeſtauimus. Neceſſitatem „ ergo habent prædicti Hæretici, quoniam ſint cæci ad veritatem, alteram & „ alteram ambulare exorbitantes viam: &c.

Poſt iſtos ex eodem loco Optatus prudentiſſimè reſpondet Parmeniano Donatiſtæ, imitatus (vt videtur) verba Tertulliani ſuprapoſita, indeque retorquens facillimè in Parmeniani caput, quod ille Catholicis obiecerat, licèt nullum habens colorem, ſed ſolùm (vt mos eſt Hæreticorum) pro arbitrio ſuo: Nam illud quale eſt (inquit Optatus) quod pro arbitrio tuo Moyſi vobis imponere voluiſti perſonam: contra quem Iannem & Mambrem obſtitiſſe commemorat Apoſtolus Paulus? Si ita eſt, quæ apud vos veritas inueniri poteſt, cui Catholica videtur obſiſtere? „ Aut quod apud nos eſſe mendacium poteris approbare? Nunquid men- „ dacium poteris approbare, in vna communione eſſe cum toto Orbe ter- „ rarum? Nunquid mendacium poteris approbare, Symbolum verum & „ vnicum retinere & defendere? Nunquid mendacium poteris approbare „ Cathedram Petri & Claues Regni cælorum à Chriſto conceſſas; vbi eſt „ noſtra ſocietas? Nunquid poteris approbare mendacium in ipſa lectione „ quæ commemoraſti inter ipſas perſonas? Conſidera Ordinem rerum: & „ qui fuit prior, attende. Vtique Iannes & Mambres ſecundo loco ſunt, „ qui contra Moyſem & veritatem falſis artibus militare voluerunt: Et „ anteceſſerat Moyſes, cuius virtutes impugnare fruſtrà conati ſunt. Vt „ Moyſes prior eſt, ſic Catholica prior eſt. Vt Iannes & Mambres re- „ pugnantes obſtiterunt, ſic & vos rebelles contra veritatem Catholi- „ cam militatis. Quid eſt ergo, quòd nomina & nobis & vobis mutare „ voluiſti? &c.

Opt. li. 7. fol 78. 2. Tim. 3. Exod. 7.

Mox Optatum ſecutus Auguſtinus eoſdem Donatiſtas plurimis ſuis libris refutauit: id verò in quo maximè confidebant, iſto huius noſtri Motiui argumento eripuit. S. Cyprianus & quidam eius tunc in Africa coëpiſcopi; etſi nolebant vllo modo ſe ab Eccleſiæ vnitate ſeparare, vt poſtea Donatiſtæ; volebant tamen nouam quandam doctrinam in Eccleſiam introducere: quem tamen conatum poſtea iuſſu Sedis Apoſtolicæ &

Error S. Cypriani.

licæ & amore Vnitatis depoſuerunt ; ſed eundem Donatiſtæ quinquaginta circiter poſt Cypriani mortem annis infauſtè & pertinaciter renouarunt. Volebant (inquam) illi catholici Epiſcopi ex magna quadam Hæreticæ prauitatis deteſtatione ſic omnia Hæreticorum eneruare, vt & Baptiſmum eorum non modò inutilem, ſed etiam inualidum & nullum eſſe docerent ; & propterea ab Hæreſi ad Catholicam venientes, non per reconciliationem Pœnitentiæ (vt moris eſt) ſuſcipiendos iudicarent, ſed per baptiſmum, quaſi priùs non baptizatos. Auguſtinus igitur Epiſtolæ Cypriani hac de re ad Iubaianum ſcriptæ, & eiuſdem Epiſcopali *Epiſt. 73.* Concilio (quibus Donatiſtæ ſe niti dicebant) reſpondens pro Eccleſia Catholica, præcipuum in duabus rebus ponit momentum : partim in eo quod Cyprianus & coëpiſcopi quanquam ita ex parte vt Donatiſtæ ſentirent, non tamen, vt Donatiſtæ, ſe ab Eccleſia ſeparaſſent, eorum refugientes communionem qui in Eccleſia contrà ſentirent: quod totum pertinet ad Motiuum noſtrum proximè præcedens: partim (quod huius eſt Motiui) in eo quòd nouus eſſet hic eorum conatus, & conſuetudo Eccleſiæ iam inde ab initio eidem repugnaret. Et quòd hoc ipſum ita fuiſſe faterentur Cyprianus & ſocij, id verò multum & acriter vrget Auguſtinus. Vt, quod Cyprianus in illa Epiſtola dixit, Sed dicet aliquis, Quid ergo fiet de ijs qui in præteritum de Hæreſi venientes ad Eccleſiam ſine baptiſmo admiſſi ſint? (inde ſic obſeruat Auguſtinus,) *Aug. li. 3. de bap. cõ. Don. ca. 4.*
" Quæ ſoleret eſſe Eccleſiæ ſanctæ conſuetudo, ſatis idem Cyprianus oſten-
" dit, qui ait, in præteritum de Hæreſi ad Eccleſiam venientes ſine baptiſ-
mo admiſſos. Et quod alius Epiſcopus in ipſo Concilio dixit, Qui *Cap. 5.*
" contempta veritate præſumit conſuetudinem ſequi, &c. inde Auguſti-
" nus : Aliam fuiſſe Eccleſiæ conſuetudinem etiam iſte confeſſus eſt. Et
quod alius : In Euangelio Dominus, Ego ſum, inquit, veritas : non *Cap. 6. Ioan. 14.*
" dixit, ego ſum conſuetudo, &c. inde Auguſtinus : & iſte aliam con-
ſuetudinem fuiſſe manifeſtat. Et quod alius, Reuelatione facta veri- *Cap. 7.*
" tatis, cedat error veritati, &c. inde Auguſtinus: Noluit quidem iſte
" dicere conſuetudinem, ſed errorem. Veruntamen, &c. ſatis indicat, quòd
aliud etiam de baptiſmo fieri ſolebat. Et quod alius, In Hæreticis ſine *Cap. 8.*
" Eccleſiæ baptiſmo admittendis, nemo conſuetudinem rationi & veri-
" tati præponat, &c. inde Auguſtinus : fuiſſe aliam conſuetudinem
etiam verbis huius apparet. quod idem adhuc & vnius alterius verbis inculcat. *Cap. 9.* Scio quidem, quòd multo his amplius dicat (quod & huius noſtri Motiui vim infringere videatur) Firmilianus Epiſcopus Cappadociæ, qui in eadem de Hæreticorum Baptiſmo ſententia cum Afris illis fuit:

Quod

Firmil. apud Cyp. epiſt. 75. num. 8.

Quod autem pertinet (inquit) ad Conſuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, &c. vos dicere Afri poteſtis, cognita veritate errorem vos conſuetudinis reliquiſſe. Cæterùm nos (de Cappado-„ cia) veritati & conſuetudinem iungimus: & conſuetudini Romanorum „ conſuetudinem ſed veritatis opponimus; ab initio hoc tenentes quod à „ Chriſto & ab Apoſtolo traditum eſt. Nec meminimus, hoc apud nos ali-„ quando cœpiſſe, cùm ſemper iſtic obſeruatum ſit, vt non niſi vnam Dei „ Eccleſiam noſſemus, & ſanctum baptiſma non niſi ſanctæ Eccleſiæ computaremus. Sic ille: ſed ex præſumptione magis, quàm ex veritate, tum ipſorum etiam Afrorum iudicio, quia eodem loco oſtendit, ſententiam ſuam pro qua ſic pugnat, hanc eſſe, quòd non ſolùm Hæretici, ſed nec Epiſcopi Lapſi baptizare queant. id quod Cyprianus & Afri nunquam illi aſſentirentur, vt ex Epiſtolis Cypriani & libris Auguſtini docti nouerunt. tum ipſorum etiam Proteſtantium iudicio: non enim conceſſerint vel illi, id eſſe à Chriſto atque Apoſtolo traditum, quòd Hæretici baptizare non poſſint, quippe quæ Donatiſtarum fuerit (vt ſciunt) hæſis. tum denique ipſius quoque Firmiliani & coëpiſcoporum Orientalium poſteriori iudicio, quo prius illud ſuum contra Hæreticorum baptiſma iudicium poſtea correxerunt, vt teſtis eſt D. Aug. contra Creſc. lib. 3. cap. 1. 2. & 3. etiam conſentiente Creſconio: non correcturi vtique quod à Chriſto & Apoſtolo traditū tenuiſſent. Quod ipſi quoque Afri fecerunt, vt præter alios teſtatur D. Hieronymus Contra Luciferianos: Denique illi ipſi (inquit) Epiſcopi, qui rebaptizandos Hæreticos cum Cypriano „ ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem reuoluti, nouum emiſere decre-„ tum. Quid facimus? ita & nobis Maiores noſtri, & illis ſui tradidere Maiores. Quod quidem non multis poſtea annis etiam Concilium primum vniuerſale Nicenum contra Donatiſtas totius Orbis Chriſtiani iudicio definiuit, vt paſſim D. Auguſtinus commemorat. Manet igitur firma & immota Catholicorum contra Donatiſtas præſcriptio: Sententiam nimirum quæ nullum facit baptiſma hæreticorum, erroneam, & in Donatiſtis propter adiunctam pertinaciam etiam hæreticam demonſtrari, quòd non fuerit à principio (ſicut Eccleſiæ contraria conſuetudo) ſed poſte-„ riùs introducta. Vnde Vincentius Lirinenſis in aureo illo contra Prophanas omnium hæreſeōn nouationes, de eadem quæſtione dans exemplum „ huius noſtri Motiui, ita ait: Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrip-„ pinus, Carthaginenſis Epiſcopus (Cypriani, interpoſito vno Luciano, „ Prædeceſſor) primus omnium mortaliū contra diuinum canonem, cōtra „ vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra

Hier. ad Lucif.

Aug. lib. 2. de bap. cap. 7.

Vinc. Lir. cap. 9.

contra morem ac inſtituta Maiorum, Rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ "
præſumptio tantum mali inuexit, &c. "

Ex quibus omnibus animaduerti poteſt, celeberrimum ſemper contra errores & hæreſes fuiſſe hoc Motiuum, quo & nos nunc contra Proteſtantes agimus: quòd nimirum, cùm ſemper ab initio fuerit doctrina catholica, tum hæreſes poſtea ſint enatæ. Quemadmodum D. Cyprianus etiam obſeruauit & tradidit, breuiter quidem, ſed ſapienter dicens: Hæ- *Cyp. de vni.*
reſes & Schiſmata poſtmodum nata ſunt. Vincentius quoque Lirinen- *Ec. nu. 7.* "
ſis tum generaliſſimè, tum veriſſimè: Et reuera (inquit) quæ vnquam *Vinc. Lir.*
hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? *cap. 34.* "
Quis vnquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe priùs ab Eccleſiæ Catholicæ "
Vniuerſitatis & Antiquitatis Conſenſione diſcreuit? Quod ita eſſe, "
luce clariùs exempla demonſtrant. Quis enim vnquam ante propha- "
num illum Pelagium, tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrij, vt ad "
hoc in bonis rebus per actus ſingulos adiuuandum, neceſſariam Dei "
gratiam non putaret? Quis ante prodigioſum diſcipulum eius Cæle- "
ſtium, reatu præuaricationis Adæ omne genus humanum negauit aſtri- "
ctum? Quis ante ſacrilegum Arrium, Trinitatis Vnitatem diſcinde- "
re: quis ante ſceleratum Sabellinum, Vnitatis Trinitatem confunde- "
re auſus eſt? Quis ante crudeliſſimum Nouatianum, crudelem Deum "
dixit, eò quòd mallet mortem morientis, quàm vt reuertatur & viuat? *Ezech. 18.*
Quis ante Magum Simonem, Apoſtolica diſtrictione percuſſum, à quo *Act. 8.* "
vetus ille turpitudinum gurges vſque in nouiſſimum Priſcillianum, "
(nunc autem, vſque in nouiſſimum Lutherum ſeu quem alium illo "
poſteriorem) continua & occulta ſucceſſione manauit, auctorem maiorum, id eſt ſcelerum, impietatum, flagitiorumque noſtrorum, auſus "
eſt dicere Creatorem Deum? Quippe quem aſſerit, talem hominum "
manibus ipſum ſuis creare naturam, quæ proprio quodam motu & neceſ- "
ſariæ cuiuſdam voluntatis impulſu, nihil aliud poſſit, nihil aliud velit, "
niſi peccare: &c. Innumera ſunt talia quæ breuitatis ſtudio prætermit- "
timus, &c.

Quod quidem ita eſſe, perſpicient oculis ſuis omnes qui percurrent Hiſtorias Eccleſiaſticas Euſebij, Ruffini, Socratis, Theodoreti, Sozomeni, Euagrij, & cæterorum Græcorum, Latinorumque omnium, & Centurias adeò ipſorum Magdeburgenſium. Nam in his videbunt, paſſim notari, quaſi partem præcipuam hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ſingularum quarumque Hæreſum exortum atque principium: Eccleſiam nempe Chriſti priùs eſſe fundatã; & Hæreſes certo loco, certo tẽpore, certo authore, poſt exor-

Iren. lib. 1. cap. 20. 30. & li. 3. in pref. Vt de Simone Mago imprimis (à quo inquit Irenæus vniuerſas hæreſes ſubſtitiſſe, vt & paulò antè Vincentius) ſic ſcribit Euſebius: Porrò autem cùm fides in Seruatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum *Euſ. Hiſt. Ec. lib. 2. cap. 12.* vbique ad omnes homines iam dimanaſſet: Satan humanæ ſalutis hoſtis capitalis, vrbem, quæ propter Imperij decus cæteris omnibus dominata » eſt, priuſquam fidem Chriſti reciperet, aſtutè præripere præoccupareque » molitus, eò Simonem quaſi manu deducit: atque callidis illius viri præ» ſtigijs opem ipſe ferens, complures qui Romæ domicilia rerum ſuarum » collocaſſent, in errorem inductos ſuo addixit obſequio. & cætera, in qui- *Cap. 13.* bus paulò pòſt Diuinâ Prouidentia miſſum narrat D. Petrum ad eandem ciuitatem, qui ibi Simonis conatus frangeret, & Eccleſiam Chriſti inſtitueret. Eodemque modo conſequenter poſt iſtum omnes (vt dixi) Hæreſes, cùm primùm ortæ ſunt, videas in Hiſtorijs annotatas; idque ſemper vſurpatum eſſe à Catholicis contra eas, vt, quia poſteriùs ſint exortæ, ideo damnandæ ab omnibus cenſerentur. Vnde in Hiſtoria Arrij notat *Soz. lib. 1. cap. 14.* Sozomenus: quod nunquam antè à quoquam dictum fuerat, non vere» batur in Eccleſia palàm efferre: nimirum, Filium Dei ex nihilo ortum *Apud Soc. lib. 2. cap. 29.* eſſe, &c. Quo argumento etiam Athanaſius Arrianos ſubſannat, dicens, eorum fidem non ante Regnum Conſtantij initium habuiſſe, quod etiam ex ipſorum verbis conuincit.

Cùm igitur (vt omnes vident) nos ſimilia habeamus dicere de Proteſtantibus alijſque omnibus huius tempeſtatis Sectarijs, eos videlicet tali tempore, tali loco, tali authore emerſiſſe: cumque ipſi contrà nihil vnquam ſimile de nobis vel fingere potuerint: euidentiſſimum eſt, nos eandem ipſam quæ initio fuit, Eccleſiam Chriſti iam inde vſque tenere, & Proteſtantes à Chriſti Eccleſia alienos eſſe. Denique ſcrutentur omnia Proteſtantes, & oſtendant, aliquos in omni Antiquitate ex quo in Hieroſolymis incipit Eccleſia, poſtea ſic exortos Eccleſiam habuiſſe; aut nos vllo poſteriori tempore exortos eſſe: aut aliquos vnquam quorum talis ortus demonſtrari non potuit, Eccleſiam & omnem veritatem non habuiſſe, quorum tertium ſolummodo videri poteſt doctis habere ex- *Moti. 28. Moti. 23. C.* ceptionem, propter Eccleſias Aſianas & alias quaſdam in quæſtione Paſchatis. Sed contrarium infrà commodiori loco per Dei gratiam demonſtrabo.

MOTI-

MOTIVVM QVINTVM.

Quòd homines Eccleſiæ nunquam nos demirati ſint, neque nobis vnquam contradixerint.

IAM verò proximum Motiuum ſit, vt conſiderent qui ſeduci nolunt, Vtrum plebs Chriſtiana vllo vnquam tempore mirata ſit Religionem & Doctrinam noſtram, vllumve eius articulum, quaſi primùm tunc apparentem, & antea inauditum: Et, Vtrum Paſtores ac Doctores Eccleſiæ pro tempore exiſtentes eidem noſtræ Doctrinæ contradixerint quaſi nouæ atque diuerſæ à Doctrina quæ priùs extiterat. Et, Vtrùm Hæreſes omnes non ſic in demiratione & contradictione fuerint, cùm primùm apparere cœpiſſent. Vtrùm etiam quod ita mirum videbatur his qui in vnitate manſerunt, cui ſic contradixerunt in Scriptis, Diſputationibus, & Concilijs, ac reſtiterunt ij quibus incumbebat attendere vniuerſo gregi, non fuerit ſemper hæreticum, & eiuſdem profeſſores (ſi adiunxerint pertinaciam) ſine exceptione ſemper Hæretici. *Act. 20.* Quis enim eſt in Eccleſiaſticis Hiſtorijs mediocriter verſatus, qui non animaduertit, quemadmodum, cùm ex vna parte Hæreſes naſcerentur, Deus ex alia parte ſemper aliquos excitarit viros præſtantes, & tandem (ſi opus eſſet) Concilia quoque prouincialia & generalia, quæ Hæreſibus ſingulis fortiter ſe opponerent? Eccleſiaſticæ omnes inſpiciantur Hiſtoriæ, & diligentiſſimè obſeruetur, an non ab Hæreticorum Principe Simone Mago, cui oppugnando Romam miſit Deus Apoſtolorum & ideo Chriſtianorum omnium Principem Simonem Petrum, ſicut *Moti. 4.* paulò antè ex Euſebio annotaui, & ſicut omnes qui ea de re loquuntur Scriptores conteſtantur; vſque ad nouiſſimum Lutherum, ſeu quem alium eo poſteriorem, notentur ſeriatim in Hiſtorijs illuſtres Eccleſiaſtici viri, qui ſingulis quibuſque reſtiterint. vt, Arianis reſtiterunt (præter alios innumerabiles) Romani Pontifices Sylueſter & Iulius, Hoſius Cordubenſis, Athanaſius Alexandrinus, & Concilium ipſum primum generale Nicenum. quod in cunctas etiam quæ fuerant ante illud Hæreſes cenſurâ ſuâ grauiſſimâ animaduertit. Macedonianis ſe murum pro Domo Dei oppoſuit Concilium primum Conſtantinopolitanum: Neſtorianis, Epheſinum: Eutychianis, Chalcedonenſe: Denique cæteris *Ezech. 13.* omnibus alij aliqui, vt Hiſtoriæ annotarunt. Vnde Euſebius de tempo-

 ribus

ribus Theophili epiſcopi Antiocheni ſexti ab Apoſtolis loquens, ita ait:
Euſ. Hiſt. Ec. li. 4. cap. 23. Cùm verò Hæretici tanquam zizania, etiam id temporis non minùs quàm antea ſyncera Apoſtolicæ doctrinæ ſemina hominum mentibus mandata
„ labefactare niterētur, Eccleſiarũ vbique Paſtores illos tanquam immanes
„ quaſdā & agreſtes belluas à Chriſti ouibus arcere, & à prædæ depellere la-
„ borant, interdum fratres admonēdo cohortandoque, non rarò ipſos Hære-
„ ticos aperto marte adoriendo, & coràm abſque ſcripto tum diſſerēdo cum
„ illis, tum eorum errores refutando. nonnunquam quibuſdam cōmentarijs
„ quos diligenter ſcripſerant, opiniones ab illis inuectas accuratiſſimè coar-
„ guendo. Theophilum autem cum alijs nonnullis cōtra eos viriliter dimi-
„ caſſe, ex Libello quodam ſumma induſtria ab eo contra Marcionem elabo-
„ rato (qui quidem cum alijs eius libris, quos diximus, eſt ad hoc vſque tēpus
„ reſeruatus) ſatis perſpicuum eſt. Similia notat idem cum alijs Hiſtoricis de alijs vniuerſis Hæreſibus: ipſaque antiquorum & recentiorũ Scriptorum (vt Euſebius hic de Theophilo dicit) monumenta demonſtrant, nullam Hæreſim eſſe ab eis tacitis prætermiſſam, ſed omnes animaduerſas, reprehenſas, & denique expugnatas.

Quod ipſius Chriſti qui falli non potuit, Parabola illa Euangelica ad
Matth. 13. quam hic alludit Euſebius, ita futurum eſſe prædixit: Simile, (inquit) factũ
„ eſt Regnum cœlorũ homini qui ſeminauit bonũ ſemen in agro ſuo. cùm
„ autem dormirēt homines (per ſuæ ſalutis neglectũ, vel Apoſtoli per mor-
„ tem) venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abijt.
„ Cùm autē creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerũt & zizania.
Quid igitur? apparuerũt zizania, & nemo animaduertit, aut Paſtores cũcti
„ neglexerũt? Ecce quod ſequitur: Accedētes autē ſerui Patrisfamiliâs, dixe-
„ runt ei: Domine, nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo
„ habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit. Hoc igitur cognito, an zelo caruerunt Serui, vt zizania inextirpata ſinerent? Imò ita pro Domini ſui bono ſemine zelabant contra zizania, vt (quod ſæpè fit) inconſideratè voluerint Angelorũ in fine ſeculi officiũ vſurpare, & zizania ſimul cuncta colligere; donec eos doceret Paterfamiliâs, multa ab eis pro ſalute tritici, quando aliter eradicari non poſſunt, eſſe longanimiter toleranda; ne fortè
„ Schiſmata deteriora ſequantur. Sic enim ait: Serui autem dixerunt ei, Vis
„ igitur imus, & colligimus ea? Et ait, Non: ne fortè colligentes zizania, era-
„ dicetis ſimul cũ eis & triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem:
„ & in tempore meſſis dicam meſſoribus, Colligite primùm zizania, & alli-
„ gate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in hor-
„ reum meum: vt tum demum, & nunquam antea, fiat vniuerſalis ſeparatio.
Quòd ſi quis mihi ita hæc interpretanti non credat, Chriſtum ipſum au-

diat: Tunc (inquit Euangeliſta) dimiſſis turbis venit in domũ: & acceſſerũt
ad eum diſcipuli eius, dicentes, Ediſſere nobis parabolam zizanorum agri.
Qui reſpondens ait illis, Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis.
Ager autem: eſt mundus. Bonum verò ſemen: hi ſunt filij Regni. Zizania
autem: filij ſunt nequam. Inimicus autem homo qui ſeminauit ea: eſt dia-
bolus. Meſſis verò: conſummatio ſeculi eſt. Meſſores autem: angeli ſunt.
Sicut ergo colliguntur zizania, & igni cõburuntur: ſic erit in conſumma-
tione ſeculi. mittet Filius hominis angelos ſuos, & colligẽt de Regno eius
omnia ſcandala (id eſt, Hæreticos & Schiſmaticos, & eos qui etiam in Ec-
cleſia, faciunt iniquitatem) & mittent eos in caminũ ignis. Ibi erit fletus,
& ſtridor dentium. Vnde & D. Auguſtinus huius Parabolæ prædictione *Aug. Ep.*
ſubnixus dicit audacter: Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque *119. cap. 19.*
zizania conſtituta, multa tolerat: Et tamen quæ ſunt contra fidem, vel bo-
nam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Quod niſi ita ſemper fieret,
quomodo obſecro impleretur illa Iſaiæ quoque prophetia manifeſtiſſimè
ad Eccleſiam dicentis: Super muros tuos, Hieruſalem, conſtitui Cuſto- *Eſai. 62.*
des; tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Ob quam cauſam
etiam D. Paulus cõmemorans dona quæ Chriſtus aſcẽdens dedit homini-
bus, ita ait: Et ipſe dedit quoſdam quidẽ Apoſtolos, quoſdam autem Pro- *Eph. 4.*
phetas, alios verò Euãgeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, & quor-
ſum iſtos? ad conſummationẽ ſanctorũ (inquit) in opus miniſterij, in ædifi-
cationẽ corporis Chriſti (id eſt Eccleſiæ. ſed quãdiu duraturos iſtos, quãdiu
per opus miniſterij ſui ædificaturos? an paucis tantũ poſt Aſcenſionẽ vel
annis, vel centurijs?) donec (inquit) occurramus omnes in vnitatẽ fidei &
agnitionis filij Dei, in virũ perfectũ, in mẽſurã ætatis plenitudinis Chriſti.
Eſt autẽ Eccleſia (vt in eadẽ Epiſtola dicit) corpus ipſius, plenitudo eius, *Eph. 1.*
qui omnia in omnibus adimpletur: vt Chriſtus tunc cenſeatur impleri,
quãdo in fine mundi Eccleſia eius exædificata omnibus mẽſuris ſuis & nu-
meris omnibus abſoluta, impleta cernetur. Sed quid interim ad Hæreſes
Paſtores & Doctores iſti? vt iam (inquit) non ſimus paruuli fluctuantes, & *Eph. 4.*
circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominũ, in aſtutia ad cir-
cumuentionẽ erroris. Quoniam igitur Paſtores & Doctores iſti veritatem
ſemper ſuſtẽtant cõtra omnẽ nequitiã & aſtutiã Hæreticorũ qui eã euer-
tere, & plebem fidelẽ à ſua firmitate dimouere moliuntur, propterea idem
Apoſtolus Eccleſiã vocat Columnã & firmamentũ veritatis. cui qui fideli- *1. Tim. 3.*
ter adhærẽt, meritò nõ fluctuant ſicut paruuli; reliqui autẽ nullo cõſiſtũt
loco, ſed queadmodũ in veritate nõ ſteterũt. ita nec in errore ſtãt, ſed à do-
ctrina in doctrinã, ab errore in errorẽ omni hæreticorũ vẽto circũferũtur.

Verumtamen Paſtores ſemper faciunt quod Chriſtus per eos fieri ſtatuit & prædixit, vt nemo circumueniatur, niſi qui ſponte ſua velit: non vt
Iſai. 56. canes muti omnes, & latrare non volentes, ſed contrà ſemper, quolibet veniente fure, excitant dormientes, & inceſſanter admonent vt ſibi caueant & attendant. Et ſic nullius gratia & fauore imponunt ſibi ſilen-
Zach. 3. tium, vbi periclitatur veritas, vt de eis Zacharias Propheta prædixerit:
„ Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina Ido-
„ lorum de terra, & non memorabuntur vltrà: & Pſeudoprophetas & ſpi-
„ ritum immundum auferam de terra. Et erit: cùm prophetauerit quiſ-
„ piam vltrà, dicent ei Pater eius, & Mater eius qui genuerunt eum, Non
„ viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent eum
„ Pater eius & Mater eius, genitores eius, cùm prophetauerit.

In quo munere ita fideliter obeundo, ſemper (vt norunt qui Hiſtorias & alia monumenta Maiorum ſcrutati ſunt) vigilantiſſimus fuit ille cui
Luc. 22. Chriſtus dixit: Confirma Fratres tuos. De quo ipſo elegantiſſima Vin-
„ centij Lirinēſis verba, quàm mea, præſtat audire: Neque hoc ſanè nouum,
Vin. Lir. cap. 9. (inquit) ſiquidem mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, vt quo quiſque foret religioſior, eo promptius nouellis adinuentionibus contraïret.
„ Exemplis talibus plena ſunt omnia. Sed ne longum fiat, vnum aliquod, &
Sedes Apoſtolica. „ hoc ab Apoſtolica Sede ſumemus: vt omnes luce clariùs videant, beatorum Apoſtolorū beata ſucceſſio quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta
„ contentione defenderit ſuſceptæ ſemel religionis integritatem. Quon-
„ dam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis (ſecundus
„ ante Cyprianum) Epiſcopus, primus omnium mortalium, &c. Rebapti-
„ zandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum mali inuexit, vt non ſo-
„ lùm hæreticis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiam quibuſdam catholicis
„ occaſionem præbuerit erroris. Cùm ergo vndique ad nouitatem rei cuncti
„ reclamarent, atque omnes quaquauerſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtu-
„ dio reniterentur: tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apoſtolicæ Sedis
„ Antiſtes, cum cæteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit:
„ dignum, vt opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantùm fidei deuotione
„ vinceret, quantùm loci authoritate ſuperabat. Denique in Epiſtola quæ
„ tunc ad Aphricam miſſa eſt, idem his verbis ſanxit, Nihil nouandum,
„ niſi quod traditum eſt, &c. Quis ergo tunc vniuerſi negocij exitus? quis
„ vtique, niſi vſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet Antiquitas, exploſa
„ Nouitas. Verba illa Papæ Stephani habentur plenius in Epiſtola Cypria-
Cyp. Epiſt. 74. ni ad Pompeium: Si quis ergo à quacumque Hæreſi venerit ad nos, nihil innouetur, niſi quod traditum eſt, vt manus illi imponatur in Pœnitentiam,

tiam, &c. In qua Epiſtola contra Papam Stephanum ſic contradicentem Nouitati eius & reliquorum Afrorum, ſcribit quidem Cyprianus; ſed quia ſine pertinacia, in vnitate Spiritus, & vinculo pacis, propterea notam Hæretici aut Schiſmatici non incurrit. De quo quidem nos infrà plura dicemus. Interim verò ad rem ipſam multum pertinent, quæ D. Auguſtinus ſuper hoc ſcribit, notans quaſi magnum aliquid contra Donatiſtas & conſideratione digniſſimum, quod Papa Stephanus ita B. Cypriano quem Donatiſtæ ſequi præ ſe ferebant, contradixerit: Ad Pompeium, (inquit,) etiam ſcribit Cyprianus de hac eadem re, vbi apertè indicat, Stephanum, quem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum tunc fuiſſe didicimus, non ſolùm ſibi ad iſta non conſenſiſſe, verùm etiam contrà ſcripſiſſe atque præcepiſſe. Et multis interpoſitis: Iam illa quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo, quia & opus non eſt; &c: & ea præterire melius eſt, quæ periculum pernicioſæ diſſenſionis habuerunt. Stephanus autem & abſtinendos putauerat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem conuellere conarentur. Iſte autem quæſtionis ipſius difficultate permotus, & ſanctis charitatis viſceribus largiſſimè præditus; in Vnitate † cum eis manendum, qui diuerſa ſentirent. Ita quamuis commotiùs, ſed tamen fraternè indignetur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, vt in tali diſcrepatione nullum inter eos malum Schiſmatis oriretur.

Moti. 28.

Auguſt. cõ. Don. li. 5. cap. 23.

Cap. 25.

† al. eis.

Poſtea quoque contra Hæreſim Pelagianorum quis ignorat, ſaltem Auguſtinum legens, ſtudium & feruorem Sedis Apoſtolicæ? Vnde iterum Vincentius Lirinenſis: Sed & Papa Cæleſtinus pari modo eademque ſententia (cum Papa Xyſto ab eo paulò priùs ibi allegato:) Ait enim in Epiſtola, quam Gallorum Sacerdotibus miſit, arguens eorum conniuentiam, quòd antiquam fidem ſilentio deſtituentes, prophanas nouitates exurgere paterentur. Meritò, (inquit,) cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio foueamus errorem. Ergo corripiantur huiuſmodi, non ſit ijs liberum, habere pro voluntate ſermonem, &c. Ac ipſius etiam Plebis Romanæ tantam in hoc genere vigilantiam fuiſſe teſtatur Ruffinus, vt de eis loquens & de Symbolo, dicat: Et vtique adiectionem vnius ſaltem ſermonis, eorum qui præceſſerunt in fide non admittit auditus.

Lir. ca. 41.

Cæleſt. Epi. ad Epiſ. Gal. ca. 1.

Ruff. in Exp. Symb. num. 3. inter Opera Cyp.

Quanta denique ſit Chriſti in hac parte, & quàm ſalutaris erga Eccleſiam ſuam prouidentia, ſic vicarios ſuos Paſtores ſemper excitantis (Princeps ipſe cum ſit Paſtorum) & ſic ſemper eis etiam cooperantis, vt nunquam ſinant Hæreticos conquieſcere, facilè agnoſcet, qui tempus Collationis Carthaginenſis contra Donatiſtas (de qua ſuprà diximus) obſer-

1. Pet. 5.

Vide Bald. in Hiſtor. Coll. obſeruauerit : Auguſtinum nimirum & cæteros Africæ catholicos Epiſcopos ita contra Donatiſtas vigilaſſe, ita pugnaſſe, vt de illa Collatione cum eis habenda interpellauerint Honorium Principem ſocordem & ignauum, quo etiam tempore occiderant Gothi Ducem exercitus eius Stiliconem, & Romam ceperant, & totam Italiam vaſtabant, & omnibus Imperij Romani Prouincijs imminebant: nec interpellauerint ſolùm, verumetiam illum rerum ſuarum & ipſius Imperij negligentiſſimum, tamen ad cauſam Eccleſiæ curandam excitauerint, & ita excitauerint, vt à nullo vnquam Imperatore quicquam prudentius, quicquam diligentius mandatum ſuis vicarijs memoretur.

Cum igitur in tanta, tamque continua Paſtorum Eccleſiæ vigilantia, à Prophetis, à Chriſto, ab Apoſtolis prædicta, promiſſa, & idcirco præſtanda, & præſtita, & ab omnibus Scriptoribus conteſtata, tamen Doctrina noſtra nunquam notata ſit quaſi noua, ſed ab ipſo vſque Chriſto & Apoſtolis eius ad manus noſtras ſine Paſtorum reclamatione, ſine Plebis demiratione, pacatè & tanquillè peruenerit, doceri à nullo poteſt, & negari à nullo debet, quin ſit vera, certa, ſyncera, atque Catholica. Et ediuerſo Doctrina Proteſtantium, quæ ſtatim gladio Eccleſiæ Dei confoſſa eſt in Luthero; & quæ ab illo tempore nunquam deſijt à doctis Catholicis diſputando & ſcribendo refelli; quæ etiam ab Epiſcoporum Generali Concilio diligenter examinata, & vehementer anathematizata eſt; quæ denique nec in poſterum vllius diei tanquam quietam poſſeſſionem obtinere valebit, ſed ſemper impugnabitur, ſemper conuelletur, donec penitùs expugnata fuerit iterumque prorſus abolita, ſicut & Hæreſes omnes temporum ſuperiorum: eſt certiſſimè & procul omni dubio falſa, damnabilis, & hæretica: & Proteſtantes Profeſſores eiuſdem, quia pertinaciſſimi etiam ſunt, euidentiſſimè ſunt Hæretici: præſertim cùm nullum ſit ſimile eorum exemplum in omni memoria, quod in contrarium valeant allegare.

MOTIVVM SEXTVM.

Quòd nos hodie, & non Proteſtantes, Catholici nominemur: indeq́, certum eſſe, quòd Catholici ſimus. ſicut fuerunt & alij omnes, qui id vnquam nomen habuerunt.

SATIS iam apertè demonſtraui his qui oculos habent ad videndum, & qui cæci eſſe nolunt, quomodo veritatem facillimè & nunc & ſemper inueniant, obſeruatione eorum qui Exeunt & eorum qui non Exeunt: item eorum qui pòſt oriuntur & eorum qui non poſterius orti ſunt: item eorum quibus cõtradictũ eſt ab vnitate, & eorum quibus nunquam contradictum eſt. Itaque proximo nunc loco obſeruetur in Maiorum noſtrorum monumentis ſcriptis & extantibus, an non eiuſmodi temporibus, quibus aliqui ſic Exierunt, ſic Orti ſunt, ſic Contradictionem paſſi ſunt, aliqui ſemper in populo Chriſtiano nomen Catholicorum habuerint quaſi proprium, ita vt communiter & vulgò appellati ſint Catholici, eoque nomine quaſi aperto, ſimplici, nec ambiguo, facilè cunctis innotuerint: licèt eorum tunc Aduerſarij alijs eos nominibus odioſis & à ſe confictis nuncupauerint. Obſeruetur deinde, an non ijdem vulgò dicti Catholici, ſemper etiam Catholici verè fuerint; idque omniũ demũ Chriſtianorũ hominũ cõcordiſſima cõfeſſione: licèt eorũ pro tẽpore Aduerſarij ſe potiùs Catholicos eſſe clamitauerint, & ipſos veros Catholicos aliorũ impoſitione nominũ, quaſi fumo quodam, conati ſint & ad tempus etiam viſi fuerint obfuſcare. Denique ſcrutentur omnia Proteſtãtes, & proferant nobis ex omni poſt Aſcenſionem Chriſti memoria aliquã hominũ multitudinem, dicto Catholico nomine cognitorũ, qui tamen non Catholici, ſed Hæretici ſint probati. Certiſſimũ eſt, quòd proferre tales nõ poſſint. Nunquam enim fuere tales, ſed nec vnquã ſunt futuri. Sed cõtrà, vt dixi, ſicut quidã in omnibus Hiſtorijs, Euſebij, Ruffini, Socratis, Theodoreti, Sozomeni, Sulp. Seueri, Victoris Vticenſis, Ven. Bedæ, & cæterorũ oborta qualibet Nouitate, Catholicorũ nomine celebrantur; adeò vt obſeruare liceat, occaſione cuiuſque Nouitatis narrandæ, ex alia parte nomen Catholicum, quanquam antea taceretur, ſimul in Hiſtorias introire; ſimiliter autem ſine dubio etiam in ſermonem hominũ; nec ſolùm in Hiſtorijs & ſermone, verumetiam in reliquis Patrum & Chriſtianorum omnium Eccleſiaſticis Scriptis: ita ijdem ſic in ſermone, Hiſtorijs, & alijs libris, illo nomine celebrati, ſemper etiam fuêre Catholici.

M Quo-

Quorum autem ſit illud nomen hoc etiam tempore, noſtrúmne an Proteſtantium, licèt omnes per ſe videant & agnoſcant, tamen paulò pòſt oſtendam. Interim verò perpendant diligentiſſimè prudentes, (vt Motiui huius videant dignitatem) quantum neceſſariò (& ſecundum Auguſtinum, quem mox citabo, & ſecundum veram rationem) debeat eſſe ad veram religionem inueniendam momentum in ipſo Catholico nomine; quod omnes Hæretici, non modò qui fuerunt olim, ſed etiam qui nunc ſunt, tam ſtudiosè ad ſe arripiunt, volentes ſinguli, ſe Catholicos dici. Quare enim hoc, niſi quia ſemper verè Catholici ſunt, qui verè nomen habent: ideoque & nomen ipſum iuſtiſſimum Motiuum omnibus, ſe ad illam eorum qui ſic vocantur partem, tanquam ad veros Catholicos, aggregare. Vt in ſimili, Hæretici omnes volentes hoc videri, quòd ſcilicet pro ipſis faciant Scripturæ, Miracula, Patres, Martyres, & huiuſmodi (de quibus ſingulis dicam ſuis locis) nónne euidentiſſimè declarant, quòd pro quibus talia verè faciunt, ij veritatem omnem & ſalutem habeant?

Con. Epiſt. Fund. ca. 4.

Horum quæ dico ea eſt per ſe ipſa euidentia, vt non egeant hominum quorumlibet auctoritate muniri. Verumtamen quia vias inueniendæ veræ Religionis tradimus; ne quis iſta, quaſi noſtra, contemnat, docere debeo, ſicut in cæteris, ſic hoc loco, Maiores quoque noſtros viam hanc eandem Catholici nominis ſemper ineundam, & ſic veram Religionem certiſſimè inueniendam tum tradidiſſe, tum promiſiſſe. Quod quidem quomodo poterit à ſapiente contemni, & non potiùs quaſi certiſſimum & ſolidiſſimum quid haberi, præſertim cùm videat, non poſſe illud vel à Proteſtantibus, vel à quibuſlibet alijs, vllo modo, vlláue exceptione refelli? Itaque S. Auguſtinus in Libro diſertiſſimo, quem contra omnes quidem errores, ſed maximè contra Manichæos, quorum ipſe laqueis, nondum baptizatus, multis annis fuerat irretitus, de hac ipſa re, id eſt de inuenienda vera Religione, iam quidem baptizatus, ſed nondum Presbyter, conſcripſit, ſic poſt aliquantam de ea re diſputationem demum concludit: Quæ cùm ita ſint: neque in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſ-

Auguſt. de vera rel. cap. 5.

„ maticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda eſt Religio; ſed apud
„ eos ſolos, qui Chriſtiani, Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes. Et paulò poſt. Quamobrem cùm

Cap. 7.

„ ante paucos annos promiſerim tibi ſcribere, chariſſimè mihi Romania-
„ ne, quid de vera Religione ſentirem: tempus nunc eſſe arbitratus ſum,
„ poſtquam tuas acerrimas interrogationes ſine vllo certo fine fluctuare,

ea cha-

"ea charitate qua tibi obſtrictus ſum, diutiùs ſuſtinere non poſſum. Re- "
pudiatis igitur omnibus ſupradictis &c, quos quanta potui breuitate per- "
ſtrinxi: Tenenda eſt nobis Christiana Religio, (ſed propter varias ſub "
Chriſtianorum nomine Hæreſes ecce quod addit) & eius Eccleſiæ com- "
municatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, "
ſed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintúe, ipſi quoque Hære- "
tici, & Schiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis "
loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim "
poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab vniuerſo orbe "
nuncupatur. Idem in ſapientiſſimo Libello quem iam Presbyter ad amicum ſuum Honoratum ab eiſdem Manichæis deceptum eâdem de re ſcripſit, & de Vtilitate credendi intitulauit, quædam prælocutus, demum infert ſimiliter: Quæ cùm ita ſint, fac nos (vt dixi) nunc primùm quærere, cuinam Religioni animas noſtras purgandas inſtaurandaſque tradamus. Et ſubiungit: Proculdubio à Catholica Eccleſia ſumendum exordium. Et quare non à Iudæis, neque Paganis? Plures enim (inquit) iam "
Chriſtiani ſunt, quàm ſi Iudæi Simulachrorum cultoribus adiungantur. "
Sed quoniam inter ipſos Chriſtianos diſſenſiones ſunt; quæ ſit Eccleſia Catholica, ſic inſinuat: Eorundem autem Chriſtianorum cùm ſint Hæ- "
reſes plures, atque omnes ſe Catholicos velint videri, alioſque præter ſe "
Hæreticos nominent: vna eſt Eccleſia, vt omnes concedunt, refertior "
multitudine; vt autem qui nouerunt affirmant, etiam veritate ſyncerior "
cæteris omnibus. Sed de veritate alia quæſtio eſt: Quod autem quæren- "
tibus ſatis eſt, vna eſt Catholica, cui Hæreſes aliæ diuerſa nomina impo- "
nunt, cùm ipſæ ſingulæ proprijs vocabulis quæ negare non audeant, ap- "
pellentur. Et vt oſtendat, hoc eſſe idoneum argumentum, cur illius vnius, & non ipſarum Hæreſum, id eſſe nomen exiſtimetur, ita admonet:
Ex quo intelligi datur, iudicantibus arbitris quos nulla impedit gratia, "
quòd ei ſit Catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum. "

August. de vtil. cre. cap. 7.

Nec dubitauit propterea vir ipſe doctiſſimus, iam Epiſcopus, in Libro quem ſcripſit contra Epiſtolam Manichæi quam vocabant Fundamenti, reddens ijſdem Manichæis cauſas quæ eum (vt dicit) in Eccleſiæ Catholicæ gremio iuſtiſſimè tenerent, poſt alias hanc adferre, & dicere: Tenet me poſtremò ipſum Catholicæ nomen: quod non ſine cauſa inter tam "
multas Hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cùm omnes Hæretici ſe "
Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholi- "
cam conueniatur, nullus Hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel Domum "
audeat oſtendere. Et propter has cauſas auſus eſt idem, ſicut in his "

August. cõ. Epiſt. Fũd. cap. 4.

contra Manichæos, ita in alijs etiam contra Donatiſtas, vt & aduerſus
[De bap. co. Don. li. 1. cap. 9.] ipſos ex hoc ipſo nomine Eccleſiam omnibus demonſtraret, dicere: Vna eſt Eccleſia, quæ ſola Catholica nominatur. Item alibi contra eoſdem:
[De vn. Ec. cap. 2.] Eccleſia vtique vna eſt, quam Maiores noſtri Catholicam nominarunt, vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt. Secundũ totum enim, καθ' ὅλον Græcè dicitur. Quod & Optatus eiſdem Donatiſtis annotat:
[Opt. li. 1. fol. 12.] Illam eſſe Catholicam, quæ eſſet in toto Orbe terrarum diffuſa. Et quia Donatiſtæ licèt non in toto Orbe Chriſtiano diffuſi, ſed in ſola Africa conſtituti, tamen Eccleſiam ſibi vendicabant, demõſtrat Optatus ex ipſo
[li. 2 fo. 14.] Catholico nomine abſurditatem rei, dicens: Ergo vbi vos non eſtis, non erit. Vbi ergo erit proprietas Catholici nominis, cùm inde dicta ſit Catholica, quòd ſit vniuerſalis [ſic enim legendum eſſe quis non videt, & non rationabilis, vt corruptio habet?] & vbique diffuſa?

Iam quod ſuprà dixit Auguſtinus, Omnes Hæreſes ſe Catholicos volunt videri, & iterũ, Omnes Hæretici ſe Catholicos dici volunt, id exemplorũ aliquot appoſitione illuſtrantes, facilè demonſtrabimus, illud Hæreticorum ſtudium, licèt acerrimum, tamen quàm vanũ ſemper fuerit: Nam quòd dicti Donatiſtæ in Libello ſupplici, quẽ miſerunt Conſtantino Magno Imperatori contra Cæcilianũ tunc Epiſcopũ Carthaginẽſem Catho-
[Apud Aug. Epiſt. 68.] licum, ita ſubſcripſerunt, Libellus Eccleſiæ Catholicæ, criminũ Cæciliani, traditus à parte Maiorini, quis non ſtatim animaduertat quàm ſit ridiculũ, vocare ſe Eccleſiam Catholicã, & tamen Partem Maiorini? Sed in Colla-
[Moti. 1.] tione, de qua ſuprà dixi, velitationes quæ de iſto nomine factæ ſunt, audire iucundiſſimum erit, & ſimul ad cauſam noſtram propter omnimodam ſimilitudinem vtiliſſimum. Sic igitur refert Auguſtinus: in Breuiculo
[Aug. Collat. tert. diei, nu. 2.] Collationis eiuſdem: Inter hæc etiam de Catholico nomine apud quos potius eſſet, pauca ab vtraque parte inuicem dicta & obiecta ſunt. [Sed quis exitus rei?] Et iuſſum eſt (inquit) Principali cauſæ potiùs reſeruari. Erat autem Principalis cauſa, Quinam eorum haberent Eccleſiam, ad quam cauſam agendam Donatiſtæ, diffidentiâ partis ſuæ, vix tandem pertrahi potuerunt: eam tamen egerunt demum Catholici, & euicerunt, idque argumentis illis quæ in Motiuo primo, quia perinde nobis, nunc contra Proteſtantes ad Principalem eandem cauſam euincendã ſeruiunt, pleniſſimè pertractaui. Sed quid aliud de Nomine iſto in Collatione actum ſit, videamus: Et poſt aliquanta identidem (inquit Auguſt.) cùm, Catholici nominis facta mentione, dicerent Donatiſtæ, apud ſe potiùs eſſe Catholicam: interlocutus eſt Cognitor [nimirum Marcellinus Comes vir &c. in Religione & in Iure doctiſſimus, qui Carthaginem ab Impera-

tore Ho-

tore Honorio miſſus eſt, vt Diſputationi ipſi cum poteſtate præeſſet.] Ille igitur interlocutus eſt, ſe interim ſine cuiuſquã præiudicio non poſſe aliter appellare Catholicos quàm eos appellauit Imperator, à quo cognitor datus eſt. Illos autem, quanto magis ſe eſſe Catholicos dicerent, tanto magis iam cauſam ipſam, remotis morarum interpoſitionibus, agere debere, in qua probare poſſent, ſe potiùs eſſe Catholicos. Et poſt pauca: Reſponderunt ad quiddam Donatiſtæ, Afros qui ſe Catholicos dicerent, alienam cauſam velle defendere, hoc eſt, totius Orbis Eccleſiam: de qua ſibi nihil debere præiudicari, cùm inter Afros hoc negocium ventiletur; & expectare potiùs Eccleſiam tranſmarinam, vt qui vicerint, ipſi ad eam pertinere videantur, & ipſi habeant Catholicum nomen. Et iterum poſt pauciſſima: Catholici reſpõderunt, &c. quia Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ, cui teſtimonium perhibet Scriptura diuina, ipſi, non Donatiſtæ communicant, vnde Catholici meritò & ſunt & vocantur. [Ecce quomodo rem ipſam breuiſſimè, ſed ſolidiſſimè tetigerunt. Quid igitur?] Donatiſtæ autem reſponderunt, non Catholicũ nomen ex vniuerſitate Gentium, ſed ex plenitudine ſacramentorũ inſtitutũ. [hæc pars vna reſpõſi: deinde alia:] Et petiuerunt, vt probarẽt Catholici, ſibi cõmunicare omnes Gẽtes. [Quid tum illi?] Quod Catholici (inquit) cùm gratiſſimè acciperẽt [quia nimirum ad ipſam principalẽ cauſam pertinebat] & peterent vt hoc probare permitterentur, iterũ Donatiſtæ variè tergiuerſati ſunt. Aliàs autẽ id (vt hoc obiter dicam) probabant Afri Catholici hac facillima ratione, quia Romanus Põtifex communicabat ipſis; & Romano Pontifici per literas communicatorias quas Formatas vocabant, datas inuicem & acceptas, communicabant omnes Chriſtianæ Gentes; Et propterea ſibi communicare omnes Gentes Chriſtianas, inferebant ijdem Catholici Afri. de qua eorum concluſione, plura per Dei gratiam dicam aliàs. Hîc autem de ipſo Nomine reliqua proſequamur. Rurſus igitur poſt pauca Auguſtinus: Ortus eſt iterum (inquit) moratorius conflictus de Catholico nomine, & Donatiſtarum, & Cæcilianiſtarum.

Idem etiam in lib. Poſt Collat. cap. 27. 28.

Catholicum nomen interpretantur Donatiſtæ.

Moti. 28.

Iam poſt iſtam Carthaginenſem Collationem inter Catholicos & Donatiſtas, ſexaginta & paulò ampliùs annis habita eſt alia Collatio (ſed iniquiſſimis legibus) in eadem Africa, eademque Carthagine, inter Arianos & Catholicos, ſub Rege Vandalorum tunc ibidem dominante Hunerico Ariano hæretico. cuius Collationis, & totius perſecutionis Vandalicæ Arianæ hiſtoriam ſcripſit B. Victor epiſcopus Vticenſis, qui tum ibi vixit, & eiuſdem inter alios Catholicos Africæ ipſe pars magna fuit. Is igitur de illa Collatione ſcribens, hoc inter alia narrat:

Vict. de perſ. Vand. li. 2. fo. 22. Et cùm alia & alia dicerentur, Notarius Regis reſpondit (Catholicis:) Patriarcha Cyrila (erat is Arianorum epiſcopus) dixit. Aliquos veſtrum „ ſuperbè & illicitè ſibi nomen Catholicorum vſurpaſſe. Quid tum illi? „ Noſtri (inquit Victor) teſtati dixerunt, Legatur nobis quo concedente „ iſtud ſibi nomen Cyrila aſſumpſit. De quo rurſus ibi Victor: Cum Li-lib. 3. fol. 34. bellus noſter legeretur (inquit) inſaniébant (Ariani) vocibus inferendis, „ grauiterque ferebant, quare nos nomine noſtro Catholicos dixerimus. „ Statimque mentientes ſuggerunt Regi de nobis, &c. Sed Catholici nihilominus, inſanientibus licet Arianis, eo ſe nomine paſſim in illa Hiſtoria, ſicut & aliàs ſemper, etiam inter tormenta, nuncupant. Hinc Comes li. 1. ca. 4. quidam Sebaſtianus, Catholicus celeberrimi illius gener Comitis Bonifacij, ad quem S. Auguſtinus tam multa ſcripſit, conuentus aliquando familiariter à Rege ſuo Genſerico Ariano, qui eius multùm conſilio vtebatur, vt vellet eius rogatu fieri Arianus: aſſumpto pane regio, per „ ſimilitudinem aptam ſapientiſſimè reſpondit Regi: Ita & ego, (inquit,) „ mola Catholicæ matris commolitus, & cribro examinationis, vt ſimila „ munda, purgatus, rigatus ſum aqua Baptiſmatis, & igne Sancti Spiritus „ coctus. & vt hic panis de furno, ita & ego per officia Sacramentorum, „ artifice Deo de Fonte mundus aſcendi. Sed fiat ſi velis, vt ipſe propono. „ Iſte panis confringatur in fruſta, madidetur aqua, & iterum conſpergatur, mittatur in furnum: ſi melior exierit, faciam quæ hortaris. Quem „ (inquit Victor) Rex Hæreticus alius generis argumento refellit, poſtea li. 2. fo. 17. enim bellicoſum virum occidit. Alij duobus Regis Comitibus clamant: li. 3 fo. 40. Chriſtiani ſumus, Catholici ſumus, &c. Alibi, Dionyſia filiolo inter „ crudelia verbera conſtituto, ita dicebat: Memento fili mi, quia in no- „ mine Trinitatis in Matre Catholica baptizati ſumus. Non perdamus in- „ dumentum noſtræ ſalutis; ne veniens Inuitator, veſtem non inueniat Matth. 22. nuptialem, & dicat miniſtris, Mittite in tenebras exteriores, vbi erit „ fletus & ſtridor dentium. Illa pœna timenda eſt, quæ nunquam finitur: fol. 41. illa deſideranda vita, quæ ſemper habetur, &c. Alius vir nobiliſſimus, & „ Regi familiaris, miſſis ad ſe tale dedit cum fiducia magna reſponſum: „ Securus de Deo & Chriſto Domino meo, dico quæ Regi dicatis. Subri- „ gat ignibus, adigat beſtijs, excruciet generibus omnium tormentorum; ſi „ conſenſero, fruſtrà ſum in Eccleſia Catholica baptizatus, &c. Qui & ipſe à Tyranno varijs pœnis occiſus eſt. Alius vxori, conſtans conſtanti, fol. 47. ſed de eius conſtantia dubitanti, dicit: Quid pateris mulier? aut quid „ fortè de me audire potuiſti? Ego in nomine Chriſti Catholicus permaneo, &c. Ipſe demum Victor Narrationi Tragicæ finem lugubrem

impoſi-

impoſiturus, ad condolendum & collachrymandum Africæ ſuæ ſic ab Hæreticis Arianis vexatæ & exterminatæ, fratres ſuos ita compellat: Adſit iam quæſo omnis ætas, omnis ſexus, omniſque conditio. Adſit *fol. 50.* obſecro omnis turba Catholici nominis, quæ gremio materno toto Orbe geſtatur, quæ ſola germanum commodare nouit affectum, & cætera in quibus Lamentationem Hieremiæ diceres & cerneres renouatam.

Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, quàm tenaces ſemper fuerint Catholici, & rurſum Hæretici quàm ſemper fuerint cupidi Nominis iſtius Catholici: id ipſum tamen nec à Catholicis eripi, nec ab Hæreticis præſcribi vnquam potuiſſe. ita vt tum conſenſu omnium, tum continuâ experientiâ, Nomen ipſum ſemper fuerit veræ Eccleſiæ, veræ fidei, veræ Religionis, & totius veritatis certiſſimum argumentum. Fecit autem importuna Hæreticorum contentioſitas & inuidia, vt Imperatores quoque Chriſtiani interdum authoritatem ſuam interponerent, & contra Hæreticos indicta pœna, in hac quoque Catholici nominis parte ſuffragarentur Eccleſiæ. Vnde extat hodieque in Codice Iuſtiniani Lex talis imperatorum Gratiani, Valentiniani, & Theodoſij: Cunctos populos quos Clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus Religione verſari, quam diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis Religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret; & Petrum Alexandriæ Epiſcopum virum Apoſtolicæ ſanctitatis. & tunc eam tangunt Catholicæ fidei partem, quam eo tempore Ariani (ſicut alijs temporibus alias partes Hæretici alij) exagitabant. hoc eſt, (inquiunt,) vt ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, euangelicamque doctrinam, Patris & Filij & Spiritus ſancti vnam Deitatem ſub pari maieſtate & ſub pia Trinitate credamus. Deinde quoad id quod nos hîc agimus, dicunt: Hanc legem ſequentes Chriſtianorum Catholicorum Nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes veſanoſque iudicantes Hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere; Diuina primùm vindicta, pòſt etiam motûs animi noſtri, quem ex cæleſti arbitrio ſumpſerimus, vltione plectendos. Propter hanc igitur cauſam Apoſtoli quoque in ipſo Symbolo nomen Catholicum exprimere voluerunt, quaſi certiſſimam in æternum futuram notam Eccleſiæ ſanctæ atque credendæ: vt nimirum humillimum etiam Chriſtianorum vulgus, & omnino imperiti atque idiotæ quotidie dicentes, Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, per quotidianam hanc Symboli recitationem facillimè & ſecuriſſimè admonerentur, illi ſoli Eccleſiæ (declinatis cæteris omnibus);

Cod. de ſS. Trin. l. 1. Idem apud Soz. lib. 7. cap. 4.

omnibus) adhærere, quam ſicut Spiritus ſanctus Deus ſuggeſſerat tunc Apoſtolis Catholicam appellare, ita ipſi ſuis quique temporibus viderent eandem ſolam, eodem Deo vſque operante & Hæreticorum impediente conatus, ſuis quorumque temporibus Catholicam appellari. Quod & propterea ab illo vſque Apoſtolorum tempore ſic obtinuit, vt in antiquiſſimorum quoque Scriptorum Operibus, & Cypriani maximè, qui pænè octoginta annis ante Concilium primum Nicenum floruit, occaſione Nouatianorum tunc exorientium denſiſſimè & frequentiſſimè occurrat. Vnde & Phrygibus Hæreticis cum Nouatianis hoc ipſum Nomen, poſtea calumniantibus, quia (vt aiebant) ſub Apoſtolis nemo Catholicus vocabatur, reſponderi potuit, quòd id falſiſſimè dicerent. Sed præſtat hoc de eis referentem, & huic eorum calumniæ etiam aliter reſpondentem elegantiſſimè & fuſiſſimè audire Pacianum Barcilonenſem Epiſcopum, (cuius Hieronymus magna cum laude meminit in Catalogo) ex Epiſtolis duabus quas ſcripſit ad Sympronianum Nouatianum, exiſtimans primum eum fuiſſe Cataphrygam: editæque ſunt Pariſijs anno 1538. cum alijs eiuſdem Authoris operâ Ioannis Gagnæi Theologi notiſſimi. Prior autem Epiſtola titulum habet hunc, De Catholico Nomine: de quo nimirum Sympronianus ei mouerat queſtionem. In ea igitur loquitur de varijs ſectis & quæſtionibus Cataphrygarum, ac dicit: Montanum & Maximillam & Priſcillam ſequuti, quàm

Habetur & in Bibliotheca Pariſienſi quæ hoc anno 1575. prodiit.

Pacian. Epiſt. 1. ad Symp.

,, multiplices controuerſias excitarunt? De Paſchali die, de Paracleto, de
,, Apoſtolis, de Prophetis: ſicut & hoc de Catholico Nomine, de venia
,, Pœnitentiæ. Et paulò pòſt pulchro dilemmate Nomen defendit: Si
,, (inquit) bona pax animo tuo & cordi eſt, de Catholico Nomine nul-
,, lum debet eſſe luctamen. Si enim per Deum id Populus noſter adipiſ-
,, citur; nec interrogandum eſt, præcedente authoritate Diuina. Si per
,, hominem: quando vſurpatum, detegendum. Atque ibi alio dilemmate:
,, Tunc ſi bonum Nomen eſt, non recipit odium: ſi malum, caret inuidia.
,, Et mox ponit obiectionem Semproniani: Sed ſub Apoſtolis, inquies,
,, nemo Catholicus vocabatur. [Cui ego iam reſpondi, Apoſtolos tamen
id Nomen inſtituiſſe, vt patet in eorum Symbolo. Sed Pacianus quaſi
,, per conceſſionem reſpondet primum, dicens:] Eſto ſic fuerit: vel illud
indulge. ac deinde rationem manifeſtam ſapientiſſimè reddit vtendi po-
,, ſtea Nominis: Cùm (inquit) poſt Apoſtolos Hæreſes extitiſſent, di-
uerſiſque Nominibus Columbam Dei atque Reginam lacerare per par-
,, tes & ſcindere niterentur: nónne Cognomen ſuum Plebs Apoſtolica
,, poſtulabat, quæ incorrupti Populi diſtingueret Vnitatem; ne interne-

Cant. 2. Pſalm. 44.

ratam

natam Dei Virginem, error aliquorum per membra laceraret? Nónne appellatione propria decuit caput principale ſignari? Et exemplo illuſtrat: Ego fortè ingreſſus populoſam vrbem hodie, cùm Marcionitas, Apollinariacos, Cataphrygas, Nouatianos, & cæteros eiuſmodi comperiſſem, qui ſe Chriſtianos vocarent: quo cognomine Congregationem meæ Plebis agnoſcerem, niſi Catholica diceretur? Tum verò & incognitam ferè eſſe Nominum originem admonet: Agè, quis cæteris plebibus Nomina tanta largitus eſt? Cur tot vrbibus, tot Nationibus, ſua quæque deſcriptio eſt? Ipſe ille qui Catholicum Nomen interrogat, cauſam ſui Nominis neſciet, ſi requiram, vnde mihi traditum eſt. [Veruntamen dic vnde ſit hoc Nomen, ſi potes:] Certè (inquit) non eſt ab homine mutuatum, quod per ſæcula tanta non cecidit. Catholicum iſtud, nec Marcionem, nec Appellem, nec Montanum ſonat: nec Hæreticos ſumit authores. Quos igitur alios habet authores? primò, Multa nos Spiritus ſanctus edocuit: quem Paracletum Apoſtolis & Magiſtrum, Deus miſit è cœlo. Deinde, Multa Ratio, ſicut dicit Paulus, & Honeſtas, & (vt ait) ipſa Natura. Tertiò, Quid? Parua nobis de Apoſtolicis viris, parua de primis (1. Cor. 11.) Sacerdotibus, parua de beatiſſimo Cypriano Martyre atque Doctore currit authoritas? An volumus docere Doctorem? An ſapientiores illo ſumus, & ſpiritu carnis inflamur aduerſus eum, quem æterni Dei Teſtem nobilis cruor & clariſſimæ Paſſionis corona produxit? Quid tot earum partium Sacerdotes, quos per totum orbem, cum eodem Cypriano pax vna ſolidauit? Quid tot annoſi Epiſcopi, tot Martyres, tot Confeſſores? Agè, ſi illi vſurpando Nomini huic authores idonei non fuerunt: nos idonei erimus negando? Et noſtram potiùs authoritatem Patres ſequentur, & emendanda Sanctorum cedet antiquitas, & iam putreſcentia vitijs tempora canos Apoſtolicæ antiquitatis eradent? [Iam pulcherrimum & ἀπολογητικώτατον eſt quod ſequitur:] Nec tamen æſtues, frater. Chriſtianus mihi Nomen eſt; Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſignificor. [Tandem verò & vim Nominis conatur exprimere: ſed non tam appoſitè, quàm ſupià Auguſtinus & Afri; quia dum ſolummodo defendit Nomen, & non etiam argumentatur ex eo, minus quærens, minus inuenit. Sic autem dicit.] Et ſi reddenda poſtremò Catholici Vocabuli ratio eſt, & exprimenda de Græco interpretatione Romana: Catholicus vbique vnum vel (vt Doctiores putant) Obedientia omnium nuncupatur, mandatorum ſcilicet Dei. [Ibique è Scripturis commendata primùm Obedientia, ſubinfert:] Ergo qui Catholicus, idem obediens. Qui obediens, idem eſt

" Chriſtianus: Atque ita Catholicus Chriſtianus eſt. Quare ab Hæretico " Nomine noſter Populus hac appellatione diuiditur, cum Catholicus nun- " cupatur: [quia ſcilicet Hæretici obedientiam non ſeruant. Deinde commendata itidem vnitate Eccleſiæ, ſubinfert de Catholica:] Ergo in omni- " bus vna, & vna ſuper omnia. Ac tum concludens, Si rationem (inquit) " Nominis quæris: apparet. Et hæc quidem omnia in priori Epiſtola. Quam quia Sympronianus reſcribens notauerat amaritudinis, hinc in ſecunda Pacianus: De Catholico Nomine (inquit) multa reſpondi placidè. Dixi " enim, nihil alterius intereſſe, quid alius vocaretur. Ac ſi vim Nominis " poſtulares, quodcumque illud eſſet, eſſe mirificum, ſeu vnum in om- " nibus, ſeu vnum ſuper omnia, ſeu (quod antè non dixi) filius Regis, " id eſt, Populus Chriſtianus. Adeò certè non inditum nobis, quod per " ſæcula tanta non caderet. [Eſt autem notanda Hæretici illius conceſſio, " de qua ſequitur:] Et ſanè gratulor, quòd licèt alios antepoſueris, etiam " circa nos aſſentiare de Nomine. Et tamen porrò, Quid (inquit) ſi ne- " gares? Natura clamaret. Aut ſi adhuc dubitas, taceamus. Ambo, quod " vocabimur, hoc erimus, teſte Nominis vetuſtate. Cæterum ſi perti- " naciùs flagitaueris: vide ne tibi vir ille virtutis exclamet: Quid interrogas Nomen meum? Et ipſum eſt mirabile. Tunc addidi ſanè; vnde Catholici " Nomen hoc traherent, non eſſe reputandum: &c.

Pacian. Epiſt. 2. ad Symp.

Iud. 13.

Quid iam ad iſta dicturi ſunt Proteſtantes noſtri? An affirmabunt, hac iam noſtra ætate ſuum id eſſe nomen, aut noſtrum eſſe negabunt? Non dubito, quin ex iam dictis facilè animaduertant omnes non nimis pertinaces, quòd noſtrum ſit Nomen & non Proteſtantium? Sed ſcio mihi cum planè cæcis, ſeu potius ſponte ſua cæcutientibus, eſſe negocium: & propterea etiam euidentiſſima quæque demonſtrare debeo, ſi quo modo lucis claritas atque moles feriat inuitorum oculos & aperiat. Ecce igitur: Omnia priorum Catholicorum argumenta prædicta, quibus ſibi Nomen Catholicum vendicabant, & multò etiam plura nobis iam contra Proteſtantes æquè ſeruiunt: & quæ tunc Montaniſtæ, Nouatiani, & Donatiſtæ, & cæteri Hæretici illis Catholicis reſiſtentes, de Nomine ipſo dicebant, eadem nunc nobis dicunt Proteſtantes, & nihil aliud habent quod dicant. Primùm enim ſicut ſuprà Marcellinus identidem Donatiſtas admonuit, iſtam de Catholico Nomine quæſtionem reſeruare Principali de Eccleſia quæſtioni, ita ego idem permitto Proteſtantibus, & quantum poſſum omnes hortor & moneo recurrere ad primum Motiuum huius Libri, vbi dictam Principalem quæſtionem tractaui, idque eorumdem Catholicorum Afrorum argumentis, oſtendens planiſſimè,

quòd agentes illi tunc cauſam ſuam, egerunt eâdem operâ & noſtram, quia hoc volebant, & hoc è Scripturis plurimis apertiſſimis euicerunt, Eccleſiam viſibilem viſibiliter incipientem Hieroſolymis, nunquam iterum perire, nunquam diſparere, ſed contrà creſcentem ſemper, tum inde ad ſua tempora, tum ad noſtra, tum ad finem ſeculi, viſibiliter permanere. Quemadmodum igitur illi per hæc Principalem cauſam tunc obtinentes, obtinuerunt conſequenter & Catholicum Nomen; ita nos nunc per eadem principalem eandem cauſam obtinentes, & Nomen obtinere debemus. Deinde illi, vt alio ſibi argumento Nomen vendicarent, ipſam vim Nominis ſecuti ſunt. Quod quidem Donatiſtæ in Collatione, licèt ſemel concederent eorum eſſe qui ad totius Orbis Eccleſiam pertinerent, tamen paulò pòſt (vt vidimus) dictum volebant, ſicut & nunc Proteſtantes, non ex Vniuerſitate Gentium, ſed ex Plenitudine Sacramentorum. Vnde & Epiſt. ad Vincentium genere Donatiſtam, ſpecie Rogatiſtam, ſic ait Auguſtinus: Acutum aliquid videris dicere, cùm Catholicæ nomen non ex totius Orbis communione interpretaris, ſed ex obſeruatione omnium Præceptorum diuinorum atque omnium Sacramentorum. Ad quod quid reſponderit Auguſtinus, ibi videri poteſt. omnia enim perſequi non poſſum. Sic igitur Donatiſtæ: quanquam & Pacianus non multum diſſimiliter; verum re nondum accuratè diſcuſſa. Sed Catholici Afri diligentiſſimi & magis iam ab Hæreticis excitati, nihilominus ex Vniuerſitate Gentium, ſeu ex totius Orbis communione Catholicum nomen interpretati ſunt; idque (vt concedent omnes Græcè docti) conuenientiſſimè. Seque propterea Catholicos & eſſe, & nominari, quòd ſibi cõmunicarent omnes gentes. Communicare autem ſibi omnes Gentes probabant facillimè ex Societate Romani Pontificis (vt prædixi) inter quem & omnes Gentes erat cõmercium Formatarum. Eodemque modo nos Romano Pontifici cõmunicamus, & per illũ omnibus Gẽtibus. Ergo & noſtrũ Catholicũ nomen eſt. Ad quod Proteſtãtes quid poterunt reſpõdere? Quid aliud vtique, niſi quod dixit ad hoc idem olim Creſconius Donatiſta Grãmaticus, cui Auguſtinus: Argumentaris (inquit) quòd ideo nobis non totus Orbis cõmunicet, quia adhuc vel multi ſunt Gentiũ Barbararum qui in Chriſtum nondum crediderunt; vel ſub nomine Chriſti Hæreſes multæ, à communione noſtra Societatis alienæ. Ad quod ibi Auguſtinus pleniſſimè reſpondet. Quale enim eſt hoc; cùm de Catholicis Chriſtianis diſputatio eſt, inſtare nobis Donatiſtas & Proteſtãtes, de Gentibus nondũ Chriſtianis, quaſi propterea cõmunio noſtra nõ ſit cũ omnibus Gentibus Chriſtianis, quia non eſt cũ Gentibus nondum Chriſtianis?

Aug. Col. 3. num. 2.

Epiſt. 48.

lib. 3. con. creſc. cap. 63.

cap. 64. 65 66. 67.

cum quibus tamen & ipſis erit, quia & ipſæ omnes Chriſtianæ erunt; vt hoc ipſo tempore Gentes Indorum nuper repertæ incipiunt eſſe; & ipſæ Romano Pontifici, qui noſter eſt, per literas communicatorias ſociatæ. Quòd verò communio noſtra non ſit Catholica, quia ab ea alienæ ſunt tot nominis Chriſtiani Hæreſes, illâ Donatiſtarum ſeu Proteſtantium inſtantiâ ſiquis moueri videatur; quanquam per ſe id nihil ſit, vel quia Donatiſtarum fuit, tamen præueniat is mente ſua Hæreſes huius temporis, & cogitationem ſuam ſiſtat in eo tempore quo Lutherus incepit. Nónne videt, communionem noſtram tunc cum omnibus iſtis etiam Hæreticorum Gentibus, non illis quidem tunc Hæreticis, ſed Catholicis, fuiſſe coniunctam? Quid igitur factum eſt, ſi tunc Catholici fuimus, cur modò non ſimus? Non enim puto, ſi quæ tum Hæreſes fuerunt, quæ ex Luthero non prodierunt, quòd de illis audebunt nobis inſtare. Si quis adhuc tam leuis vt moueatur illa Donatiſtarum Hæreticorum obiectione, & ſimul tam ſtupidus vt nondum in contrarium moueatur hac noſtra tam aperta reſponſione, qui nolit pati, vt quæſtionem iſtam communionis noſtræ ſic à præſenti tempore ad Lutheri tempus reuocemus: ecce, illi tali ex abundantia & de præſenti tempore ſatisfacimus. idque ex verbis Auguſtini antea allegatis, quibus ille Eccleſiam Catholicam definiuit, ita dicens: Vna eſt Eccleſia, vt omnes concedunt, refertior multitudine. Inde volens inſinuare, cum Chriſtianorum ſint Hæreſes plures, atque omnes ſe Catholicos velint videri, alioſque præter ſe Hæreticos nominent, tamen quibus Catholicum nomen verè tribuendum ſit: illi nimirum Eccleſiæ, quæ, inter omnes Hæreſes, refertior eſſet multitudine. quæ noſtra etiam nunc eſt, vt nemo (quantum puto) negauerit: idque non modo ſi cum ſingulis (quod tamen in hac quæſtione ſatis eſt) Hæreſibus, verum etiam ſi cum omnibus compararetur. Habemus enim in ſingulis Hæreticorũ Gẽtibus, vt exiſtimo; certus ſum autem, quòd in Gente mea, vbi tamen Sedes eſt Satanæ, & nemo qui prohibeat mulierem Iezabel; multo, imò & incomparabiliter plures concatholicos, quàm ſint illic vel vniuſcuiuſque, vel omnium Sectarum (ſunt enim plurimæ) Hæretici.

De vtil. cre. ca. 7. *Vide Moti. 48.* *Apoc. 2.*

Iam aliud Maiorum noſtrorum Catholicorum argumentum pro Catholico nomine fuit, quod etiam ſuprà ex D. Auguſtino citaui, quod & ille veram Religionem quærentibus ſatis eſſe dicebat, quòd nimirum Vna eſt Catholica, cui Hæreſes aliæ diuerſa nomina imponunt, cùm ipſæ ſingulæ proprijs vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. Et hoc ipſum tale eſſe dicit ibi Auguſtinus, vt ex eo intelligi detur, ſi iudicent ar-

Auguſt. de vtil. cre. cap. 7.

cent arbitri quos nulla impedit gratia, quòd ei Eccleſiæ ſit Catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum. Nunc igitur dum & nos negamus Papiſtarum nomen noſtrum eſſe, atque id à Luthero primùm nobis impoſitum eſſe dicimus, cùm antea eſſet penitus inauditum, & nos tamen plurimis ſeculis (vt & ipſi concedunt, & omnes norunt) antè fuerimus, nec alio vllo per illa tot ſecula nomine, niſi Catholico, noti: & dum contrà ipſi proprijs vocabulis, vt Proteſtantium, Puritanorum, &c, quæ negare non audeant, appellentur: iudicent arbitri quos nulla impedit gratia, & Eccleſiæ noſtræ Catholicum nomen, licèt ad id omnes Hæretici ambiant ſimiliter, tribuetur. Non tam generale omnino eſt argumentum Lactantij Firmiani, vtpote ad ſolos (vt videtur) Nouatianos ſui temporis Hæreticos accommodatum; ſed tamen & ipſum non minus nobis nunc contra Proteſtantes militat. Sic enim ait: Sola Catholica Eccleſia eſt, quæ verum Cultum retinet, &c. Sed tamen quia ſinguli quique cœtus Hæreticorum, ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant: ſciendum eſt, illam eſſe veram, in qua eſt Confeſſio, & Pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus ſubiecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat. Sic ille. Sed argumentum aliud D. Auguſtini omnes animaduertunt eſſe generaliſſimum. Cui argumento coniungamus illud, quòd ipſi vocent ſe Proteſtantes &c, non autem Catholicos. & meritò: quis enim eos aliter vel loquentes vel ſcribentes intelligeret? Nos contrà & loquentes & ſcribentes (ſicut & in precibus noſtris ad Deum ipſum tum publicis tum priuatis) vocamus nos Catholicos, & omnes ſtatim nos intelligunt. Nam Proteſtantes ipſos interrogo, quando in Libris hac ætate ſcriptis nos paſſim Catholici vocamur, vtrùm Lector ad Nomen illud hæſitet, dubitans vel ignorans, quinam eo nomine deſignentur? In hoc ipſo Libro num ego obſcurus ſum, ſic nos appellitans? Aut exiſtimat quis ex eo vocabulo, quòd neſcio quis Lutheranus, Caluiniſta, Trinitarius, Proteſtans, aut Puritanus ſim?

Lact. li. 4. cap. 30.

Addamus huic & illud, quòd ſicut olim per nullum ambitum vlli potuerunt Hæretici vel ſibi hoc nomen acquirere, vel illis Catholicis hoc Nomen eripere: ita & modò vident Proteſtantes vtrumque tam eſſe impoſſibile, Nomen iſtud (inquam) vel nobis eripere, vel ſibi acquirere, vt nulli vnquam Hæretici id magis deſperauerint, id minus ambiuerint. Aliud erat argumentum euidentiſſimum, non fuiſſe illud Hæreticorum, vt (exempli causâ) Montaniſtarum, Nouatianorum, vel Donatiſtarum nomen, quia Nomen ipſum Montaniſtæ, Nouatiani, & Donatiſtæ calumniabantur. ſicut de Montaniſtis & Nouatianis Pacianum

introduxi atteſtantem: & de Donatiſtis teſtatur Auguſtinus, ſic eorum
Aug. lib. 2. con. Gaud. cap. 23. Epiſcopum Gaudentium affatus: Adhuc addis furori veſtro verba blaſphemiæ, & audes dicere, Catholicam Eccleſiam humanum eſſe figmentum: & cætera in quibus Auguſtinus (quemadmodum & ſuprà Pacianus) oſtendit ſolidiſſimè, non eſſe Catholicam humanum figmentum, ſed opus Diuinum. Quid nunc aliud faciunt Proteſtantes? Nónne ipſum Nomen irrident? Nónne pro Catholicis dicunt Cacolicos paſſim in ſuis libris latinis? & multa alia in libris vulgari lingua ſcriptis? ſicut ipſe & cæteri Angli in lingua noſtra nouimus. Sed non propterea Nomen erubeſcant Catholici, imò & inter carceres, ac tormenta, atque mortes imitentur Maiores ſuos quos ex B. Victore citaui, nec vnquam Nomen ſileant, ſed Chriſtum Dominum & Saluatorem audiant:
Luc. 6. „ Beati eritis (inquit) cùm vos oderint homines, & cùm ſeparauerint „ vos, & exprobrauerint, & eiecerint Nomen veſtrum [vt Catholicorum, Sacerdotum ſeu Presbyterorum, Monachorum, Papæ, Epiſcoporum, Ab„ batum, &c.] tanquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa „ die & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo. Nam ſicut in
Pſalm. 71. alio loco dicit Scriptura: Et honorabile nomen eorum coram illo: quantumuis illud impij blaſphement & irrideant. Vnde & in Apocalypſi dicit:
Apoc. 3. „ Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: & foras non „ egredietur ampliùs: Et ſcribam ſuper eum Nomen Dei mei, & Nomen „ Ciuitatis Dei mei nouæ Hieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, „ & Nomen meum nouum. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat „ Eccleſijs.

Aliud adhuc argumentum erat manifeſtiſſimum, & nunc non minus eſt, quòd Hæretici ipſi & tunc conceſſerint, & nunc concedant, Nomen illud noſtrum eſſe. Nam paruum videbitur quibuſdam (quod tamen Principes ipſi prudenter conſiderabunt quàm ſit magnum) quòd Marcellinus Comes Dominus eximius & meritò inſignis (ſicut eum in
Epiſt. 5. 7. Collat. 3. num. 2. Cod. de Sũ. Trin. l. 1. Epiſtolis Auguſtinus vocat) in Collatione dixit, ſe non poſſe aliter appellare Catholicos, quàm eos appellauit Imperator Catholicus Honorius. Illud etiam, quod tres alij Imperatores multò antea (quos etiam citaui) Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Nomen hoc Communioni noſtræ (id eſt enim, eorum qui per id temporis, Religione quam à D. Petro traditam Romani vſque eò ſeruabant, coniuncti erant Damaſo Romano Pontifici, & Petro Alexandrino Epiſcopo) ad-
Bed. lib. 3. Hiſt. Ang. cap. 24. iudicarunt. Illud etiam, quod (vt Beda noſter ſcribit) intellexerat veraciter Oſroi Rex [Angliæ] &c, quia Romana eſſet Catholica & Apoſtolica

ſtolica Eccleſia. Iſta (inquam) quidam contemnent. Illud verò quomodo
quis hìc cõtemnat, quòd ſicut olim Conſtãtius Imperator Arianus ſcribẽs
Eccleſiæ Athanaſij, ita literas ſuas inſcripſit, Victor Conſtãtius Max. Aug. *Apud Socr. lib. 2. cap. 18.*
Populo Catholicæ Eccleſiæ Alexandrinæ, Salutem; item ſcribens omni-
bus per Orbem Epiſcopis atque Clericis Athanaſio cõmunicantibus, ita
literas ſuas inſcripſit, Victor Conſtantius Max. Auguſt. Epiſcopis & Preſ- “
byteris Eccleſiæ Catholicæ, Salutem: adeo tunc perſpicuum etiam Ad- “
uerſarijs fuit, quorum eſſet Catholicum Nomen: Sic & hoc tempore tam
perſpicuum idem ijſdem eſt, vt nominare poſſem de ſummis Proteſtan-
tium Principibus, qui Catholicis viris interdum familiarius colloquentes,
in omni ſermone Catholicos nil aliud niſi Catholicos vocant.

Huic vicinum eſt illud, quòd iter agentes per Germaniam, & venien-
tes ad illas Ciuitates, in quibus viſuntur Templa vtriuſque generis, &
Catholicorum & Proteſtantium, ſi rogemus viros graues Proteſtantes in
plateis fortè occurrentes, Indicate nobis, quæſo, Eccleſiam Catholicam, “
mox illam demonſtrant viam quæ ad Eccleſiam ducit vbi Miſſæ fiunt.
Quod idem argumentum notauit pro Catholico nomine olim (vt ſuprà
commemoraui) S. Auguſtinus, dicens: Catholicæ nomen inter tam *Aug. con. Epiſt. Fund. cap. 4.*
multas Hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cum omnes Hæretici
ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Ca- “
tholicam conueniatur, nullus Hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel Do- “
mum audeat oſtendere. Et idem iterum: Catholica nominatur non *De ver. reli. cap. 7.*
ſolùm à ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintúe, ipſi “
quoque Hæretici, & Schiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum “
extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. “
Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab “
vniuerſo orbe nuncupatur. Rurſus cùm Nomen ipſum irrideant Pro- “
teſtantes, vertentes Catholicum in Cacolicum, quis dubitet eos, quòd
noſtrum ſit Nomen, conſentire? quemadmodum ſimilis veterum Hære-
ticorum calũniatio erat pro Catholicis tunc conſenſio. Adhæc Lutherus
ipſe illud in Symbolo Apoſtolorum, Credo Eccleſiam Catholicam (quæ
verba, nouis aliquot eorum Pſeudomartyribus nunquã perſuaderi potuit, *Cop. Dial. 6. cap. 21.*
vt in recitando Symbolo vſurparent, ſicut apud Alanum Copum teſta-
tum videre licet) Germanicè vertens ita, Credo Eccleſiam Chriſtianam; *Staphylus.*
quod Germani Scriptores, qui Germanorum linguam & res nouerunt,
teſtantur: (quo etiã modo Anglicus Caluini Catechiſmus habet: Metra *Lindanus in dubitantio, Dial. 1. pag. 9.*
autẽ Anglicana inter eos decãtatiſſima, quos Pſalmos Geneuenſes vocant,
prorſus non habent) nónne apertè cõceſſit, Nomen Catholicũ noſtrũ eſſe?

Idem apud

Iuellus. Idem apud nos Iuellus Anglus Archihæreticus Pſeudoepiſcopus Sariſburienſis nónne conceſſit? qui cùm iniquiſſimis ſuis & ſuorum legibus & carceribus videret omnibus per Angliam Catholicis ſilentium impoſitum, Pulpitum totius Angliæ celeberrimum in Cœmeterio S. Pauli Londini quaſi vir fortis aſcendit: ibique in Declamatione ſua recitatis multis Catholicæ fidei articulis, exprobrauit acies Dei viuentis; nec contentus, vt Goliath, dicere, Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen, prouocauit omnes (vt vocauit) Aduerſarios, imò & omnes homines qui viuerent (ſcilicet, quaſi totus Mundus illi in angulo Orbis declamanti adſtitiſſet) vt omnes contra vnum inirent certamen, & proferrent (ſi poſſent) pro eiſdem articulis, vel eorum quolibet, ex omnibus Sacris Scripturis, ex omnibus Patribus, ex omnibus Concilijs, ex omnibus Hiſtoriarum exemplis, per totos ſexcentos à Chriſto annos, vnam ſententiam vel vnum verbum: multaque alia arrogantiſſimè & vaniſſimè. Inuentus eſt autem citò in Exercitu Dei Iſraël alter Dauid, vir Catholicus D. Thomas Hardingus Presbyter venerabilis, qui doctiſſimo Libro ſcripto, & in Tranſmarinis partibus typis excuſo, non vnum articulum vno verbo, ſed ipſos omnes articulos plurimis Scripturarum, Conciliorum, Patrum, Hiſtoriarum ſententijs copioſiſſimè & ſolidiſſimè confirmaret. Quo cognito Goliath ſtatim (vt compertum habemus) ita animo fractus deiectuſque eſt, vt nunquam repugnaturus videretur. Veruntamen à Philiſthæis ſuis armatus maiori impudentia, & peccatis ſuis excæcatus, parat paulò pòſt reſponſum, ſed illud tam innumerabilibus mendacijs ſponte refertum, vt tum maximè incœperint homines agnoſcere Hardingi fortitudinem, vel potiùs Catholicæ cauſæ inuictam veritatem, in hunc vſque diem propterea ad Catholicam fidem & Eccleſiam gregatim quotidie redeuntes. Illud autem Reſponſum ſuum cæcus Hæreticus ad verbum ſic inſcripſit: Replica contra Romanam Religionem, quæ nuper habita eſt Catholica. Hæc (inquam) nónne clariſſima conceſſio fuit, noſtrum eſſe Nomen Catholicum? quemadmodum & illud, quod ab ipſis Hæreticis in [a] Catalogis celeberrimarum Nundinarum Francofurti, ſignantur poſt libros Lutheranorum, & deinde Caluiniſtarum ac Zuinglianorum, libri Noſtrorum, hoc titulo: Libri Theologici eorum, qui habentur Catholici, & Romanæ Eccleſiæ adſtipulantur. Præterea quod de antiquis Hæreticis ſcripſit Vincentius Lirinenſis, dicens: Audias etenim quoſdam ipſorum dicentes. Venite ô inſipientes & miſeri, qui vulgo Catholici vocitamini, & diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis antè ſeculis latuit,

nuper

Marginal notes: An. Dom. 1560. — 1. Reg. 17. — Alter Goliath. — [a] vide Motiu. 35. — Vin. Lirin. cap. 26.

nuper verò reuelata & oſtenſa eſt, &c: vt nec illud genus conceſſionis nobis hoc quoque tempore deeſſe videatur, narrabo memorabile exemplum, quod ſcimus Pariſijs inter Anglos noſtros nuperrimè factum eſſe. Nobilis adoleſcens Anglus, Gualterus Culpeperus in ipſo ætatis & corporis flore conſtitutus, correptus eſt letali morbo. Ad quem veſpera mortem eius præcedente acceſſit quaſi ad rem ſeriam miſſus, Proteſtans vnus de comitibus ipſius apud Regem Francorum Reginæ Angliæ Oratoris. Is poſt pauca, adſtantibus multis qui adoleſcenti orantes pro eo & ad mortem præparantes aderant, erumpit in hæc ipſa verba: O domine Culpepere, omnino fac vt renuncies Catholicæ fidei. Num apud iſtos igitur obſcurum aut dubium eſt, quorum ſit Catholicum nomen? Adoleſcenti nihilominus, & ipſi Catholicæ fidei mirabiliter tunc aderat Deus. Nam poſtero die Iuuenis paulò ante mortem, agonizans, dixit Catholico cuidam docto & ſancto viro ex Patribus Societatis Ieſu, patri ſuo ſpirituali, lectulo tunc aſſiſtenti: Dic mihi, obſecro; ſum ne in recta via? Cumque ille certum eum & ſecurum faceret: Bene eſt, inquit: &, túne mecum ibis? Illoque affirmante, Bene eſt, inquit iterum; & pauliſper quieuit. Mox iterum ait: At dic mihi, obteſtor; ſum ne in recta via? Illoque rurſus eum quantũ potuit certiſſimum faciente, & iubente confidere: Bene habet, rurſus inquit; &, túne mecum ibis? Cumque ille iterum affirmaſſet, & breue deinde rurſum interceſſiſſet ſilentium: ecce, alacri & hilari vultu iuuenis: Nunc quidem, inquit, video ipſe, quòd in via recta ſim. Ecce enim, apparuit mihi glorioſè Angelus cuſtos meus, & oſtiũ mihi quidem patens oſtendit, vt iam nunc ingrediar. Sed tu (inquit Patri) nondum potes venire. Et ſic quieſcens parumper vultu iucundo & quaſi arridentis alicui, fœlicem animam Deo reddidit. Non ſic migrauit (quantum audio) Iuellus ſupradictus archihæreticus. Cuius miſerabilis exitus aliquãdo (non dubito) omnibus innoteſcet; licèt non erubuerit interim Laurentius Humphredus alius ibi archihæreticus, in Academia olim celeberrima Oxonienſi pſeudorector Collegij Magdalenenſis, & Pſeudoprofeſſor Theologicæ Lectionis, Libello in laudem eius edito & De vita Iuelli nuncupato, omnia dealbare. Quem tamen Libellum Compuritanis eius non exiſtimo valde gratum eſſe; qui Iuellum priùs ſuum vnicum, poſtea (maximè viſâ per Hardingum & alios Catholicos introductâ Cataſtrophe) magno odio proſecuti ſunt, quòd certamen Religionis non ad Solas Scripturas (vt ſolent) ſed etiam ad Concilia, Patres, & Hiſtorias præteriti temporis, vtpote certiſſimos cauſæ ſuæ & Hæreticorum omnium ſcopulos, retuliſſet. Sed hoc ipſi inter ſe viderint.

Laur. Humfhredus.

Ego autem Humphredi & Libelli eius propterea facio mentionem, vt & inde oſtendam clariſſimè, Hæreticos nobis Catholicum nomen ſponte
pag. 100. concedere. Sic enim ait: Actores præcipui fuerunt vtrinque octo, tam
102. " Catholici quàm Proteſtantes. Et infrà: Errauit qui Pontaco ſuggeſſit,
" Londini ſolùm præſediſſe Laicos, neque doctos, neque Catholicos. Loquitur autem de Diſputatione apud Weſtmonaſterium ab ipſis quaſi obla-
An. Dom. ta Theologis noſtris, Anno 1. Elizabethæ; ſed qualem olim obtuliſſe
1559. Arianos noſtris in Africa ſuprà commemoraui ex S. Victore: & ſubiun-
" git: Aderant non ſolùm homines Catholiciſſimi, id eſt, Papiſticiſſimi, qui
" ſpectatum venerant, ſed alij eiuſdem Catholiciſmi acerrimi propugna-
" tores, &c. Prætendit (vt hoc obiter admoneam) reſpondere de his qui præſederunt: Et, Aderant, inquit, multùm nimirum ad rem. Et iterum
pag. 211. poſt multa nos alloquitur, & dicit: Primam cauſam, & primariam, & ferè
" ſolam, omnium malorum, contentionum, deformationum, & quaſi
" Equum Troianum intra Eccleſiæ muros nobis omnibus inſidiantem,
" fuiſſe hactenus, & eſſe hodie, Catholicam (ſic vocat) à Scriptura ſancta
" defectionem, & præcipuè veſtrum Papiſmum. Vbi per Catholicam defectionem quid velit, quis non videt? quanquam ad iuuandam quidem cauſam ſuam videri vult ab ea diſtinguere Papiſmum, vt vocat; contra ſuam ipſius præcedentem interpretationem, qua Catholiciſſimos interpretatus eſt Papiſticiſſimos. quo tamen reuera magnum ſuæ cauſæ damnum infert, dum eâdem ſuâ diſtinctione, ſiue nos Catholici ſimus ſiue non ſimus, tam Catholicos quicumque ſint (certè Chriſtianos omnium ſuperiorum ætatum ibi non obſcurè ſignificat, & nominatim Patres, ac Epiſcoporum, vt vocat, Pſeudoſynodos) quàm nos, defectionis accuſat. Verum quidem eſt, quòd in eodem priori loco nos Pſeudocatholicos vocat, nec enim diſſimulo. Sed ſimiliter meis auribus audiui eum (quod & alij multi poterunt recordari) in Schola Theologica Oxonienſi, in nugaciſſimis & indoctiſſimis prælectionibus ſuis vocantem ipſum quoque D. Auguſtinum & Auguſtini olim ſocios: nihil videlicet erubeſcens, in reprehendendo noſtro Cultu Sanctorum, protulit homo audax Fauſtum
" Manichæum Hæreticum, qui ob eundem Cultum ſuo tempore dixiſſet
Apud Aug. con. Fauſt. li. 20. ca. 4. Pſeudocatholicis (verba erant Humphredi) Idola vertiſtis in Martyres. Iſti autem Pſeudocatholici qui tunc fuerint, Auguſtini verba iſta decla-
Cap. 21. rabunt: Hinc nobis calumniatur Fauſtus, quòd Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos Idôla conuertiſſe. Neque poterit Humphredus vel quis alius demonſtrare, quòd vel nunc, vel tunc, vel vnquam aliàs fuerint in Orbe terrarũ aut futuri ſint vlli omnino Pſeudocatholici,

id eſt,

id eſt, qui vulgò Catholici nominentur, nec tamen verè Catholici ſint. Quare dum nos vocat Pſeudocatholicos, concedit nos veros eſſe Catholicos, quales etiam illi Pſeudocatholici tempore Fauſti fuerunt.

Sic igitur duo hæc irrefragabiliter demonſtraui, Eos qui vulgò & generaliter nominantur Catholici, ſemper Catholicos eſſe; Et, nos ita Catholicos nominari, eoque ipſo nomine ab Aduerſarijs irrideri. Vnde efficitur neceſſariò, nos verè eſſe Catholicos: & propterea veritatem nos omnem, & nos ſolos habere. Quamobrem quod olim S. Athanaſius Catholicus in Symbolo ſuo poſuit multùm terribile & horrendum; quod etiam non nos ſoli in Eccleſijs noſtris canimus, ſed Proteſtantes quoque in Conuenticulis ſuis: idem & nunc cum timore Dei & ſolicitudine animarum ſuarum audiant omnes: Quicumque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt vt teneat Catholicam fidem. Quam niſi quiſque integram inuiolatamque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit. Et tum ſubiungit: Fides autem Catholica hæc eſt, ſingulas ibi partes Catholicæ fidei exprimens & recenſens, quas tunc varij Hæretici euertere ſunt conati. quemadmodum ſi etiam poſtea D. Auguſtinus ſuo tempore eadem verba ſimiliter vſurpaturus, illas exprimeret partes Catholicæ fidei, quas Pelagiani & varij Hæretici alij tunc negarent: Aut quemadmodũ ſi etiam alio quouis, etiam iſto noſtro tempore, Catholici exprimerent articulos ſingulos nunc negatos. Repetentes ſinguli poſt omnia, & cum S. Athanaſio grauiſſimè in fine dicentes: Hæc eſt fides Catholica: quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.

Athan. in Symb.

MOTIVVM SEPTIMVM.

Quòd Proteſtantes hoc tempore Hæretici nominentur, non autem nos: indeque certum eſſe, quòd Hæretici ſint. ſicut fuerunt & alij omnes, qui eo vnquam Nomine communiter ſunt notati.

IN hoc iam Motiuo multò breuior eſſe potero, quia demonſtratio eius ex Motiui proximi demonſtratione conſequitur. Nomen enim Hæreticorum nomini Catholicorum ex altera parte reſpondet. Vnde ſuprà citatus Pacianus dixit: Ab Hæretico Nomine noſter Populus hac appellatione diuiditur, dum Catholicus nuncupatur. Itaque ſimiliter obſeruetur in veterum omnium Hiſtorijs, alijſque

Pacian. Ep. 1. ad Sympron.

alijſque Maiorum noſtrorum libris, quòd qui vllo tempore à Chriſtianis hominibus in literis & ſermone paſſim dicti ſunt Hæretici, cunctiſque eo nomine facilè innotuerunt, ij ſemper Hæretici verè fuerint; idque omnium demum Chriſtianorum confeſſione atque conſenſu, quantumuis ad tempus fautores magnos & diſcipulos multos habuerint. Denique ſcrutentur Proteſtantes omnia, & ex omni Chriſtianorum memoria proferant exceptionem, qua regulam hanc infirment. Arianos nimirum ſuo tempore communiter vocatos Hæreticos, cernimus paſſim in Libris ſanctorum Patrum tunc contra illos ſcriptis, hodieque extantibus. Similiter temporibus ſuis Donatiſtas, Macedonianos, Pelagianos, Neſtorianos, Eutychianos, & alios quàm plurimos. Quos ipſos, cæteroſque omnes vulgò dictos Hæreticos, reuera etiam Hæreticos fuiſſe videmus. Propter quam
Gal. 5. „ cauſam dixit S. Paulus: Manifeſta ſunt autem opera carnis. & continuò „ ſubiunxit, quæ ſunt, Fornicatio, Hæreſes, homicidia, &c. propterea quòd quemadmodum fornicatio, homicidium, & ſimilia, nominibus ipſis ſuis damnantur mox ab omnibus, ita & ipſa nomina Hæreſum atque Hæreticorum, manifeſta prauorum operum ſunt vocabula. De quibus propterea ibi dicit, non minùs quàm de cæteris, ſe prædixiſſe Galatis, & iterum nunc „ repetere, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Vnde
Tit. 3. „ & ad Titum Epiſcopum dicit: Hæreticum hominem poſt vnam & ſe„ cundam correptionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, „ & delinquit, cùm ſit proprio iudicio condemnatus, αὐτοκατάκριτος.
Tert. de praeſc. „ Quod Tertullianus interpretans ait: Sibi-damnatum dixit Hæreticum, „ quia & in quo damnatur, ſibi elegit. Nobis verò nihil ex noſtro arbitrio „ indulgere licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. „ Apoſtolos Domini habemus authores, & cætera, in quibus quid Apoſtoli nobis tradiderint, quærendum docet in Apoſtolicis Eccleſijs, & maximè
Cyp. Epiſt. 76. in Romana. Cyprianus autem ſic interpretatur: Hic enim reus ſibi erit, „ qui non ab Epiſcopo eiectus, ſed ſponte de Eccleſia profugus, & hæretica „ præſumptione à ſemetipſo damnatus. [quemadmodum quidam in carceribus malefici ante ſententiam Iudicis laqueo ſe præfocant. Nam cum adulteri, fornicatores, fures, homicidæ, & cæteri, intus maneant, donec per
Epiſt. 49. excommunicationem foris mittātur,] Hæretici (vt iterum Cyprianus ait) „ iudicium Sacerdotum voluntaria diſceſſione præcedunt; quaſi euaſiſſe ſit „ pœnam, præueniſſe ſententiam. Sed qui nunc ab Eccleſia diſceſſerint ſeu
Motiuo 3. profugerint, vtrum nos an Proteſtantes, vident omnes, & ego aliâs diſſerui inde plenius. Hoc autem loco de nomine Hæreticorum quæritur.

Num igitur dicturi ſunt Proteſtantes, ſicut olim Nouatianos, Donatiſtas, Arianos, & cæteros, ita nos hoc tempore Hæreticos paſſim ab

omnibus nominari? vel à ſeipſis etiam in Legibus ſuis, Libris, Concionibus, ac ſermone de nobis? Aut ediuerſo, num ſe negaturi ſunt illo nomine celeberrimos & notiſſimos eſſe? Nam quis, obſecro, Libros Catholicorum huius ætatis legens, in quibus illi paſſim nominantur Hæretici, hæſitat in vocabulo, neſciens aut dubitans qui dicantur? In quibus ipſis libris Catholici proterea ferè non curant, Lutheranos, Caluiniſtas, & alia nomina ſpecialia, vel ſemper, vel frequenter exprimere, ſed in genere ſolùm Hæreticos dicere; quemadmodum & olim ſancti Patres, ſingulos ſui quique temporis ſimpliciter Hæreticos vocare contenti erant, ſcientes ſe facilè intelligi, tametſi Nouatianos, Arianos, & ſimilia non exprimerent. Vnde Cyprianus (verbi gratiâ) Librum ſuum De Vnitate Eccleſiæ ſcribens ex propoſito contra Nouatianos, nunquam tamen in eo Nouatianos nominat. *Cyp. de Vnit. Eccleſ.* Præter autē facilitatem intellectus, eſt nobis interdum etiam nonnulla neceſſitas ſic loquendi. Exempli gratiâ: Dum refellimus quod dicunt illi, Specialem fidem ſaluare, dicimus generaliter, omnes Hæreticos huius temporis id tenere, & eam fidem habere: nec ipſos tamen omnes (quod & ipſi concedunt) ſaluandos eſſe. Vbi longum eſſet, ſemper ſpecies recenſere, ac particulatim dicere, Anabaptiſtas, Trinitarios, Lutheranos, Caluiniſtas, Puritanos, & cæteros. ideoque vt promptum, ita & neceſſariū eſt in talibus plerūque dicere, omnes Hæreticos. Ex quo fit etiam, vt Eccleſia hoc tēpore preces contra Hugonotas, Geuſios, & cæteros publicè faciens, non tamen illa nomina inſerat, ſed ſatis habeat, orationes in genere contra Hæreſes & Hæreticos recitare. cùm Proteſtantes contrà in Litanijs ſuis Anglicanis ſub Edouardo Rege, horrēda quidē cū blaſphemia, vt Oratio eorū fieret in peccatū, ſed tamen neceſſe habuerint ſic exprimere: Ab omnibus Romani Epiſcopi enormitatibus, ab omni falſa doctrina & Hæreſi, &c. Libera nos Domine. ne videlicet non nos ibi, ſed ſeipſos dicere, populi nondū in illis initijs aliter aſſueti auribus viderentur. *Pſal. 114. Litã. Angl. ſub Eduardo Rege.* Ob quā etiam cauſam in Anglicanis ſuis Bibliorū ſacrorū Trāſlationibus corruptiſſimis, timuerūt Hæreſes & Hæreticos ponere, vbi D. Paulus ita habuit, in Græco præſertim, vnde illi trāſtuliſſe omnia, & nō ex Latino, præ ſe tulerunt: ſed pro eis repoſuerunt Sectas, &, Hominē qui author eſt Sectarū, quod idem etiam fecerūt, vbi Lucas poſuit, Hæreſis Sadducæorū, Hæreſis Phariſæorū. *1. Cor. 11. Gal. 5. Tit. 3. Act. 5. & 15.* Quid ita, quæſo? niſi quia probè in conſcientia ſua nouerunt, quod Lector Anglicus reperiens in D. Paulo & Luca Hæreſes & Hæreticos, ſtatim ad ipſos cogitationem contuliſſet, atque ipſos Sadducæis & Phariſæis connumeraſſet, & de ipſis etiam Apoſtolum intellexiſſet dicentem, quòd Hæreſes ſint opera carnis, quæ regnū Dei non conſequētur. *Gal. 5.* Item, Hæreticum hominē deuita, ſciens quòd ſubuerſus eſt, & proprio iudicio dānatus, *Tit. 3.*

Nam ob eam ipſam cauſam in eiſdem Tranſlationibus aliâs vbi agi ſuam cauſam videri volebant, nomen ipſum reddiderunt, facientes nimirum eundem Apoſtolum in Actis, ſicut Græcè & Latinè, ita etiam Anglicè ſic ad Felicem Præſidem in reſponſione ſua ad Tertullum Iudæorum Ora-

Act. 24. „ torem loqui: Confiteor autem hoc tibi, quòd ſecundum viam, quam „ dicunt Hæreſim, ſic deſeruio patrio Deo, &c. Quis vel cæcus non videt, eos in his Heretici nominis, id eſt, ſui nominis cauſam agere? Et pro-

Apol. Eccl. Angl. pterea rurſus in Apologia Eccleſiæ ſuæ Anglicanæ (cui libro poſtea à quadam ipſorum Domina ex Latino facto Anglico ſupradictus Doctor Thomas Hardingus doctiſſimè reſpondit Anglicè) eadem ex Actis pro ſe Apoſtoli verba citarunt, quod ſicut ipſorum nunc Doctrina hæc noua, ita etiam S. Pauli Doctrina à Iudæis vocata ſit Hæreſis. Quaſi, quoniam increduli & excæcati Iudæi (quam dicunt, inquit, Hæreſim) ſic Fidem Seruatoris & Domini noſtri Ieſu Chriſti vocarunt, noluerit Apoſtolus nos de illis ſiniſtri aliquid cogitare, qui à Chriſtianis eodem nomine de-

Gal. 5. notentur; nec propria ipſius verba curare, quibus dixit, Hæreſes eſſe „ opera carnis, & non minùs à regno Dei, quàm homicidia & fornicatio- „ nes, excludere; itemque, Hæreticum hominem, tanquam peruerſiſſimè delinquentem, eſſe diligentiſſimè deuitandum.

Quod niſi euidentiſſimum eſſet, ipſos Hæreticos eſſe nominatiſſimos, nunquam in illo infami & odioſiſſimo nomine molliendo, & a ſe

Confeſ. Heluet. amoliendo ſic ſudarent. Nunquam Confeſſio Heluetica (quæ nuper prodijt nomine etiam Scotorum, vicinorum meorum, Geneuenſium, & aliarum plerarumque Synagogarum Antichriſti eidem ſubſcribentium) „ in Cap. De Magiſtratu dixiſſet, quòd Magiſtratus ſit animaduertere in „ fures, &c, etiam in Hæreticos (modò, inquit, verè Hæretici ſint.) Quare enim, rogo vos, non etiam, modò verè fures ſint? niſi quia vidiſtis, pro vobis ipſis fuiſſe loquendum. Quod propter eandem cauſam plerique eorum alio modo ſolent agere, tenendo, Hæreticos non eſſe à Magiſtratu

Iren. li. 3. cap. 15. comburendos. Nunquam quod olim de antiquis dixit S. Irenæus, queruntur de nobis, quòd vocemus illos Hæreticos, ſic de nobis hoc tem-

Luther. tom. 7. pore quererentur iſti, quòd illos Hæreticos appellemus. ita vt Lutherus in Libro ſuo quem vocauit Notas veræ Eccleſiæ, in ſeptima nota hoc poſuerit, Coguntur audire Hæretici, & idem ipſum in Libro De ſeruo ar-

August. de vtil. cre. cap. 7. bitrio contra Eraſmum. Nam quemadmodum dixit S. Auguſtinus, Chri- „ ſtianorum cùm ſint hæreſes plures, atque omnes ſe Catholicos velint vi- „ deri, alioſque præter ſe Hæreticos nominent, &c: ſic nunc Proteſtantes nos etiam interdū Hæreticos vocant: Nec tamen vt vendicemus nobis

Eccle-

Eccleſiam, inter Notas veræ Eccleſiæ ponimus, quòd Cogamur audire Hæretici. Scimus enim, quàm rarò, & quàm timidè nos ſic appellent: ita vt nullo modo in nobis hæreat nomen, ſicut nec à nobis vllo modo eripi poteſt Catholicum nomen. cùm ipſi contrà, prorſus ſicut veteres omnes Hæretici, neque ſibi Catholicum nomen queant vlla vſurpatione præſcribere, neque à ſe nomen Hæreticum vlla tergiuerſatione depellere. Imò ſcimus, vix vllos vnquam Hæreticos minus de vendicando ſibi Catholico nomine laboraſſe, aut magis de infigendo Catholicis Hæreticorum nomine deſperaſſe. adeò vt ſæpè inter eos ipſos animaduertantur exiſtere, qui non ſolùm id non eſſe nomen noſtrum concedant, ſed etiam de re ipſa diſputent, & Papiſtas non eſſe Hæreticos, publicè teneant ac defendant. Nam quod dicturus ſum, Vniuerſitas tota Oxonienſis, ipſique illic Hæretici, teſtimonium mihi perhibent, quòd non mentior. Quidam Richardus Heiwodus ab Hæreticis ibi deceptus, & multis annis diligentiſſimus eorum auditor exactuſque diſcipulus, tandem per lectionem Catholicorum librorum & conſuetudinem Catholicorum virorum ab errore (Chriſto propitio) reuocatus, exiſtimauit peccare ſe grauiter (tametſi ſciret, Hæreticos iam ex varijs indicijs ſatis odorari conuerſionem eius) niſi etiam, ſicut publicè innotuerat vt Hæreticus, ita ſe iam conuerſum & Catholicum eſſe publicè declararet. Familiares eius Catholici cum quibus hunc ſuum communicabat animum, teſtari apud hominem, Deum & Eccleſiam ab ipſo priuato & laico tam multum illo loco quaſi neceſſarium non requirere, & quia recentiſſimè conuerſus fuerat, eum vehementer à preſenti periculo dehortari. Inueniſſe tamen ille videbatur ſibi modum, quo quod vellet, & publicè, & tectè, ideoque ſine manifeſto periculo faceret. Redierat fortè ad vices eius in Collegio ſuo (quod eſt primarium illius vniuerſitatis, & præter Canonicos alioſque multos quos alit, centum variarum artium ſtudioſis numeroſiſſimum) de qua ipſe cuperet Theologica quæſtione publicè reſpondendi ordo. Delegit hanc, An ſit licitum communicare ſacris Hæreticorum? in qua ante collationem oppoſitionum & reſponſionum (vt moris ibi eſt) copioſiſſimè declamanda, dicebat ſe videre; quomodo ſub generali nomine Hæreticorum poſſet Proteſtantes egregiè valdeque perſtringere. Admonitus eſt tum à quodam amico ſuo Catholico, manifeſtiſſimum ibi fore periculum. præſagire enim ſe, quòd aliquis fortè Hæreticorum homo peſtilens, qui eum animaduertiſſet iam factum eſſe Catholicum, & ad negationem conſideret poſſe compelli, talem in velitatione proponeret ſyllogiſmum: Communicare licet cum Papiſtis, Sed

Papiſtæ ſunt hæretici: Ergo communicare licet cum Hæreticis. Ibi ille fortiter & alacriter prædicat, ſi ita acciderit, ſe gaudere: non enim meliorem optari poſſe confitendæ fidei occaſionem. Denique ad rem ventum eſt: Ipſe proponitur ſyllogiſimus. Negat noſter, quòd Papiſtæ (quos vocabant) ſint Hæretici. Quantæ ibi tum videbantur turbæ, quantique Hæreticorum auditi ſunt clamores! Denique à minutis eorum Theologis maiores vt cum poteſtate adſint, accerſuntur. Interim premitur ille argumento ſcilicet valde Theologico, nomine videlicet Reginæ, vt niſi Papiſtas fateretur Hæreticos, Reginam diceret Hæreticam. De qua paucis pòſt annis, vt incautos Catholicos capitali laqueo irretirent, priuilegium in Parlamento ſuo ſanxerunt, vt ſi quis eam vocaret vel Infidelem, vel Schiſmaticam, vel Hæreticam, quaſi Regni proditor, traheretur, ſuſpenderetur, & adhuc viuus depoſitus membratim ſecaretur. Sed necdum lex illa lata erat, nec noſter fuit tam incautus. In eodem verò numero Proteſtantium inuenti ſunt (vt rei, de qua hic ago, videas euidentiam) & præcipuè vnus primi apud eos de declamandi arte (in qua ſola totam Theologiam ponunt) nominis, qui noſtro palam conſentiens, Papiſtas non eſſe Hæreticos, diu multumque defenderet. Et ſic
Act. 23. facta inter ipſos Iudæos diſſenſio, Paulo ſecuritas fuit. qui tamen non multò pòſt metu relinquens Patriam, & tranſmiſſo mari in Luſitaniam proficiſcens, & inde Romam, demum ſuperiori anno apud Lorettum Socius nominis Ieſu fæliciſſimè defunctus eſt. Quæſtio autem ipſa illis diebus etiam in pulpita, & Scholas publicas eſt protracta. Vbi Lauren-
Motiuo 6. tius Humphredus archihæreticus Oxonienſis de quo ſuprà dixi, promittens ſe Papiſtas hæreticos oſtenſurum, nullo producto à rei Definitione, vel ſpeciebus, vel alijs vllis proprijs locis argumento, inter alia futiliſſima, illam (vt ſuprà notaui) proferre auſus eſt (per ſomnum ne, an cæcitatem dixerim, neſcio) Fauſti Manichæi hæretici blaſphemiam, quaſi pij ali-
August. cō. Fau. li. 20. cap. 4. 21. cuius viri contra Pſeudocatholicos teſtimoniũ, Idola vertiſtis in Martyres, cui verè Catholicus Auguſtinus ſatis ſuperque reſpondit.

Ne autem defenſorem hunc quem, tacito nomine, dixi, licèt illis de hac ipſa re ſatis notum, & de hæreticis ſuis apud eos declamationibus nimis celebrem, tamen contemnendum putent: ecce illis & cuiuſdam
Allæus Exonienſis. eorum Pſeudoëpiſcopi Exonienſis, cui nomen Allæus, non vulgaris inter eos eruditionis habiti teſtimonium. Intruſus hic in Catholici Epiſcopi locum, vendicabat ſibi viſitationem Exonienſis Collegij apud Oxonium, quæ ſolet ad Exonienſem Epiſcopum pertinere. Cumque Rectorem dicti Collegij, vtpote virum Catholicum, incenſus etiam à quibuſ-

dam qui

dam qui eius locum ambiebant, magno proſequeretur odio, illumque eo nomine mox in Viſitatione cogitaret expellere, interuênit fortè obſtaculum à nobiliſſimo viro D. Gulielmo Petræo multorum ordine Regum Conſiliario ſapientiſſimo, qui idem Collegium priùs exilis reditûs parabat iam numero ſtudioſorum ac redituum duplicare, boniſque viuendi ac docendi & diſcendi regulis inſtituere. Quæ regulæ ad dictum Pſeudoëpiſcopum plurimis abſentem milliaribus delatæ ſunt paulò ante nouam Collegij dedicationem, vt ab eo de more confirmarentur. Ab ipſo autem latore, meo in eodem Collegio conſocio, audiui iſta quæ narro. Ille igitur in Rectorem excandeſcens, conſiderat diligenter regulam illam quæ de Rectore erat. Et magis iam inflammatus: Nihil, inquit, hic continetur, vnde poſſim Rectorem expellere. Timere tum is qui tulerat; ſed dixit tamen, Sperare ſe, non eſſe in Rectore expulſionis meritum. Papiſta eſt, inquit ille furioſus. Ibi multò magis timere noſter: Et quia omnino ei de Confirmatione celerrimè renunciandum fuit, admouere ſe libro tremens, & inſpicere. Fortè animaduertit, inter cauſas expellendi Rectoris contineri, Si ſit Hæreticus, & mox Pſeudoëpiſcopum eius admonet. Hæreticus? inquit ille. At mundus totus Papiſtam probare non poteſt Hæreticum. Sed video me nimis diu rebus clariſſimis inhærere.

MOTIVVM OCTAVVM.

Certum eſſe, quòd Hæretici ſint, quia nominantur Proteſtantes, Geuſei, Lutherani, Caluiniſtæ, & huiuſmodi.

DIXI de noſtro nomine Catholico, & de ipſorum nomine Hæretico. Iam vt in hoc quoque Motiuo hæreamus in Nominibus (quæ vt ſunt omnibus, etiam ſimpliciſſimis de vulgo, notiſſima; ita quoque argumenta ſunt veritatis quam quærimus inueniendæ certiſſima:) Id quoque Proteſtantibus proponatur, vt ex omni poſt Aſcenſionem Chriſti memoriâ proferant nobis aliquos, qui ratione Doctrinæ quam profeſſi ſunt, vel ratione Communionis à cæteris Chriſtianis ſegregatæ, Nomen habuerunt nouum atque proprium, quod vel à nomine hominis cuiuſcumque, vel aliter vndecumque eſſet ipſis impoſitum; quo Nomine ſe ipſi communiter nuncupabant, & ab omnibus paſſim nuncupati ſunt, cunctiſque facilè & rotundè cogniti ac ſignati ſunt:

proferantur (inquam) aliqui tales, etiam in dicta Doctrina & dicta Communione pertinaces, qui nihilominus Hæretici aut Schiſmatici, idque omnium demum confeſſione, non extiterint. Verùm etiamſi ſcrutentur omnes Hiſtorias, omniaque alia monumenta Maiorum, certiſſimum eſt, quòd proferre non poſſint. Eiuſmodi nomina olim fuerunt iſta, Simoniani, Marcionitæ, Valentiniani, Gnoſtici, Nouatiani, Donatiſtæ, Ariani, Pelagiani, Monothelitæ, & alia præter hæc ſexcenta. In his igitur & talibus omnibus reſiſtant nobis, & in eis ab Hæreticorum ſeu Schiſmaticorum crimine excipiant aliquos. Quin contrà planè in Antiquitate obſeruabunt & reperient omnes, quòd ſemper & vnanimiter Maiores noſtri falſos Christianos hoc modo & ipſi dinouerint, & nobis dignoſcendos cauendoſque tradiderint.

Iren. li. 1. cap. 20. Hinc enim aduerſus antiquos omnes Hæreticos ſcribens antiquiſſimus Irenæus, eos inter cætera ſic notauit: Habent quoque & vocabula, *1. Tim. 6.* à Principe impiiſſimæ ſententiæ Simone [Mago] dicti Simoniani. à quibus falſi nominis ſcientia accepit initia, ſicut ex ipſis aſſertionibus eorum adeſt dicere. quemadmodum ſi hoc tempore ex omnium modernorum Hæreticorum aſſertionibus cum Luthero conſentientibus colligentes dicamus, omnes à Luthero aut Lutheranis initia accepiſſe. Sic enim & Irenæus ibi conſequenter narrat aſſertiones Menandri, Baſilidis, Saturnini, Carpocratis, Cerinthi, Ebionitarum, Nicolaitarum, Cerdonis, Marcionis. & *Cap. 30.* tum cauſam cur ita fecerit, reddit dicens: Vt ſcires quoniam omnes qui quoquo modo adulterant veritatem & præconium Eccleſiæ lædunt, Simonis Samaritani Magi diſcipuli & ſucceſſores ſunt. quamuis non confiteantur nomen Magiſtri ſui, ad ſeductionem reliquorum; attamen illius ſententiam docent; Chriſti quidem Ieſu nomen tanquam irritamentum [id eſt, eſcam] præferentes, Simonis autem impietatē variè introducentes mortificant multos, per nomen bonū ſententiā ſuā malè diſpergentes, &c. [Sed licèt Simonianos ſe non confiterentur (vt fuerunt) tamen aliis ſe no- *Cap. 24.* minibus vocaſſe in multis eorum notat. vt in Carpocrate:] Gnoſticos ſe *Cap 30. 31* autem vocant. Item: A Saturnino & Marcione, qui vocantur Continentes, [ſeu Eucratitæ, quorum dicit introduxiſſe blaſphemiam Tatianum pſeudodiſcipulum Iuſtini Martyris. Qui & ipſe Iuſtinus ante Irenæum eodem modò ex Nominibus notauerat Hæreticos in Dialogo pro Chri- *Iuſtin. in Tryph.* ſtianis cum Tryphone Iudæo: Sunt [inquit] & fuerunt multi, qui docent dicere & facere impias res & contumelioſas in Deum: cùm tamen in Nomine Ieſu veniant. Et ſunt inter nos diſtincti [inquit] cognominibus, denominati à quibuſdā viris, vt quiſque fuit author alicuius nouæ Doctrinæ

& ſenten-

& ſententiæ, &c. Ex ijs alij vocantur Marciani, alij Valentiniani, alij Baſi- "
lidiani, alij Saturniniani, alij alio vocabulo, quiſque à primo Inuentore ſui "
dogmatis. Cumque hos tales obieciſſet Iudæus contra Chriſtum, quia & "
ipſi vocarentur Chriſtiani, retorquet id Iuſtinus in eum apertiſſimè pro Chriſto, dicens, quòd Hoc ipſum nobis fidem manifeſtiorem adſtruit, qui "
ſpem habemus in Chriſti pollicitis. quicquid enim prædixit geſturos quoſ- "
dam in ſuo nomine, id fieri cernimus. Dixit enim: Multi venient in Nomine meo, externè induti pellibus ouium, intus autem ſunt lupi rapaces. &, Erunt factiones ſectæque. &, Cauete vobis à pſeudoprophetis, qui venient ad vos externè induti pellibus ouium, intus autem ſunt lupi rapaces. &, Exorientur multi pſeudochriſti, & pſeudoapoſtoli, & multos ſeducent è fidelibus. Igitur concludit, quòd hinc certò ſcimus, Ieſum fuiſſe "
præſcium futurorum: [ipſos interim à verè dictis Chriſtianis ſingulorum cognominibus diſtinguentes.

Mar. 13. Matth. 7. Luc. 21. Matth. 7. Matth. 24.

Poſt Iuſtinum & Irenæum Cyprianus ſimiliter ſui tẽporis Hæreticos Nouatianos ex Nominibus, denotauerat, dicens: Et nomina adulterata fingentes. Non ſolùm enim Nouatianos, ſed etiam καθαρὺς, id eſt Puros, ſe vocabant. Idemque Epiſtola ad Nouatianum ipſum admonitoria ſic pulcherrimè ſuper hoc ait: Qui enim aliquando Chriſtiani, nunc Nouatiani, iam non Chriſtiani, primam fidem veſtram perfidia poſteriore per Nominis appellationem mutaſtis. Ad quæ Cypriani verba (vt videri poteſt) reſpiciens Lactantius tempore Cõſtantini Magni primi Romanorũ Principum Chriſtiani, cui & libros ſuos Diuinarum Inſtitutionum aduerſus Gentiles inſcripſit, ſimiliter omnino ait. Sed verba eius elegantiſſima paulò altiùs repetenda ſunt: Sed quoniam multæ [inquit] Hæreſes extiterunt, & "
inſtinctibus Dæmonum Populus Dei ſciſſus eſt, determinanda eſt nobis "
veritas breuiter, & in ſuo proprio domicilio collocanda, vt ſi quis aquã vitæ "
cupiet haurire, non ad detritos lacus deferatur, qui non habent venam, ſed "
vberrimũ Dei nouerit fontẽ, quo irrigatus, perẽni luce potiatur. Admonet "
deinde, & ipſum Chriſtũ & Apoſtolos eius prædixiſſe, futuras Hæreſes & cauendas. natas autem eſſe eas ſic, dum quidã diſſidiũ facerent Vnitatis, & "
Eccleſiam diſſiparent. quod etiam quàm multis ex cauſis ſoleat fieri, commemorat, & tũc id, vnde quærimus, de Nominibus dicit: Sed illi omnes dæmoniacis fraudibus irretiti, quas proſpicere & cauere debuerant, diuinum "
Nomen & cultũ per imprudentiam perdiderunt. Cùm enim Phryges [ſeu "
Cataphrygæ] aut Nouatiani, aut Valẽtiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, aut Arriani, ſeu quilibet alij nominantur, Chriſtiani eſſe deſierunt, "
qui Chriſti nomine amiſſo, humana & externa vocabula induerunt. "

Cyp. Epiſt. 76. Tom. 3. Ep. ad Nouatianum. 3. Lact. lib 4. cap. 30. Ierem. 2. Matth. 24. Act. 2. 2. Pet. 2.

» Et hic quod quærebat, concludit & dicit: Sola igitur Catholica Eccleſia
» eſt, quæ verum cultum retinet. Hic eſt fons veritatis, hoc eſt domicilium
» fidei, hoc templum Dei: quò ſiquis non intrauerit, vel à quo ſiquis exiuerit,
» à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt. Neminem ſibi oportet pertinaci
» concertatione blandiri. Agitur enim de vita & ſalute. cui niſi cautè
» ac diligenter conſulatur, amiſſa & extincta erit, &c. Placida quidem
& blanda ſunt, ſed acutiſſima & pulcherrima, quæ item Pacianus de
huiuſmodi Nominibus ſcribit Nouatiano Symproniano æſtuanti odio &
» inuidia Catholici Nominis. Nouatianos (inquit) audio de Nouato aut
» Nouatiano vocari: Sectam tamen in his, non Nomen accuſo. Nec Montano
» aliquis aut Phrygibus Nomen obiecit. De quo eidem reſcribenti,
» rurſus in ſecunda Epiſtola ſic dicit: Addidi ſanè; vnde Catholici Nomen
» hoc traherent, non eſſe reputandum (quandoquidem non ſit Sectæ alicuius
» nomen) quia nec Valentinianis, ſi à Valentino; nec Phrygibus, ſi
» à Phrygia; nec Nouatianis, ſi à Nouatiano vocarentur (niſi eſſent &
» Sectæ) imputari ſolere. Et ſequitur: Hìc tu grauiter commoueris, &
» quaſi aculeo fixus erigeris. Nam ſic iratus exclamas: Nunquid Cypriano
» ſancto viro hoc obeſt, quòd Populus eius Apoſtaticum Nomen habet?
Cui non Nomini, ſed Maledicto reſpondet ibi S. Pacianus, & tunc ad-
» iungit hæc: Interim ipſi vos dicite, quid vocemini. Negatis ne Nouatianos
» à Nouatiano vocari? Quodlibet Nomen imponas, ſemper iſtud hærebit.
» Scrutare totos (ſi videtur) Annales, & crede tot ſæculis. reſpondebis
» Chriſtianum. Inquirente me genus Sectæ; Nouatianum non inficiaberis.
» Nec tamen ego Nouatiani tui nomen accuſo: quod toties requiſitum,
» circumloquentibus lineis & operto quodam ſinu claudis. Fatêre,
» fatêre ſimpliciter: nihil eſt ſceleris in Nomine [ſcilicet per ſe: ſicut videre
eſt ex Nominibus Dominicanorum & Franciſcanorum noſtrorum,
» de quibus mox plura.] Quid te toties interrogatus, abſcondis? quid cauſam
» Nominis erubeſcis? Cùm primùm ſcripſeras: Cataphrygem putabam.
» Tu ne ſecundis quidem literis confiteris? Meo inuides Nomini,
» & tuum vitas? vide quid ſit pudoris in cauſa: quæ refugit, quod
» vocatur.

Pacian. Ep. 1. & 2. ad Symp.

Rurſus poſt iſtos omnes Optatus idem contra Donatum tractat argumentum, oſtendens inde, intolerabilem fuiſſe Donati ſuperbiam, ita vt Deum ſe exiſtimauerit, quia vocatos antè à Chriſto Chriſtianos volebat vocari ex ſuo nomine Donatiſtas, eoſque qui ita ſe vocauerint, cum Chriſto planè commutaſſe Donatum. Itaque inter alia multa argumenta, vt quòd paſſus eſt homines per ſe ſic iurare, tanquam per Deum, & cætera,

Opt. li. 3. fol. 33. b.

cætera, ſic ait: Deinde, cùm antè ipſius ſuperbiam, omnes qui in Chriſto " crediderant, Chriſtiani vocarentur, auſus eſt populum cum Deo diuidere, vt qui illum ſecuti ſunt, iam non Chriſtiani vocarentur, ſed Donatiſtæ. & cætera, in quibus narrat, ipſum ſolitum interrogare peregrinos, Quid apud vos agitur de Parte mea? & ſuos inde vſque in hodiernum diem ſe vocare, Partem Donati, non ſolùm clericos, verumetiam Epiſcopos, idque in iudicijs publicis. Vnde eos ſic grauiſſimè premit: Hic iam quid reſponſuri ſunt in illo imminenti Diuino Iudicio, qui in hoc ſæculo [in humanis iudicijs] illo modo cõfeſſi ſunt, nõ ſe eſſe de Eccleſia Chriſti, qui libenter profeſſi ſunt de Parte fuiſſe ſe Donati? Sicut cõtrà de noſtris tunc Africanis Epiſcopis colligit, dicens, qui dum non erant in Parte Donati, in Chriſti Catholica habitabant.

Iucundiſſima eſt ex hoc loco S. Ioannis Chryſoſtomi quaſi cum Gentili aliquo diſputatio. Poſtquam enim oſtenderat, Deum non eſſe authorem Hæreſeôn, ſicut nec vllius quidem mali, ſed tamen vt alia mala, ita & eas permittere, idque in magnum bonum Eccleſiæ ſuæ, Si Chryſ. Hom. enim nullus eſſet deceptor veritatem inuadens, non foret vehemens & 33. in Act. 15. feruidus veritatis amator: [poſt iſta, ſic opponit ſibi:] Quid ergo reſpondebimus Gentibus? venit enim Gentilis ac dicit: vellem fieri Chriſtianus, ſed neſcio cui adhæream: multæ inter vos ſunt pugnæ, ſeditiones, ac tumultus: neſcio quod dogma eligam, quod præferam: ſinguli dicunt, Ego verum dico. Cui credam neſcio: quum ego Scripturarum ſim ignarus, & illi vtrinque idem prætexunt. Reſpondet Chryſoſtomus: Sanè hoc multum pro nobis: oſtendens Gentili primum differentiam Catholicorum & Hæreticorum, tum quoad Scripturas (ſicut ex primo noſtro Motiuo videre licet) tum quoad dogma de Deo ac Filio eius, in qua quæſtione Hæretici illo tempore, ſicut nunc in alijs, verſabantur. Sed poſt iſta ſubtiliora, ad hoc quod quærimus, venit & dicit: Vt autem manifeſtius dicam: Illi habent quoſdam à quibus appellentur. prout enim Hæreſiarchæ nomen, ita & Secta vocatur. Nobis autem nullus vir Nomen dedit, ſed Fides ipſa. [quippe qui a fide Chriſtiana ſeu Catholica, Chriſtiani ſeu Catholici appellamur. Et paulò pòſt:] Hoc etiam de nobis illa dicunt, inquit Gentilis: Et ſic id refutat Chryſoſtomus. Quomodo? Nunquid ſcindimur ab Eccleſia? num Hæreſiarchas habemus? num ab hominibus Cognomen habemus? Nunquid nobis Dux quidam eſt, ſicut illi Marcion, & illi Manichæus, huic Arius, alteri verò alius Hæreſeos dux? Et continuò reſpondet tacitæ obiectioni, dicens: Quòd ſi & nos agnominationem cuiuſdam ſortimur; ſed non vt ab Hæreſium

" principibus, ſed vt ab his qui præſunt nobis, & gubernant Eccleſiam. Alludere videtur ad illa nomina, quæ Schiſmatici ſæpè Catholicis, id eſt, in Eccleſia manentibus, imponebant, vt Donatiſtæ vocantes eos Cæcilianiſtas, qui non exibant cum Donato, ſed intus in Eccleſia cum Cæciliano tunc Epiſcopo Carthaginenſi Catholico permanebant. Non enim vnquã poterant notam vllius Hæreſis inurere, ideoque nec nomen vllius Hæreſiarchæ illis imponere. Vnde addit Chryſoſtomus: Non habemus doctores
" ſuper terram, ab ſit; vnum habemus in cælis. [Ad quod rurſus Gentilis:] Et
Matth. 23.
" illi [Hæretici] inquit, eadem prætexunt. Reſpondet Chryſoſtomus: Sed
" aſſiſtit nomen accuſans illos, & obturans ora. [Dum enim Ariani ab Ario vocantur, & huiuſmodi, propter hæreſim nimirũ eius quam pertinaciter ſecuti ſunt, apertiſſimè declararunt, ſe Doctorem ſibi ſuper terram delegiſſe; ſicut contrà homines Eccleſiæ qui nullius vnquam exurgentis Hæretici dogma amplexi ſunt, ſed omnibus ſemper Hæreticis dixerunt, Anathema, declararunt euidentiſſimè, ſe non alium Doctorem habere, niſi illum ſolum Cæleſtem, qui ſuis Apoſtolis & per illos Eccleſiæ cuncta ſic ab ea diligentiſſimè cuſtodita tradiderat. Hæc igitur Nominũ obſeruatio tam euidens eſt veritatis inueniendæ, & erroris euitandi via, vt (ſicuti vidimus) à Iuſtino Iudæis ipſis, à Lactantio & Chryſoſtomo etiam Gentilibus ipſis propoſita ad id & commendata ſit. Quomodo ergo non magis oportet Chriſtianos id amplecti? Quis enim veri cupidus certiſſimam & planiſſimam veritatis viam non ſequatur? Quam eandem etiam D. Hieronymus poſt longam quaſi cum Luciferiano quopiam de rebus tum controuerſis diſputationem, proponit ei vt facillimam & tutiſſimam quam generaliter ac ſemper obſeruet. Sic ait:

Hier. aduer. Lucif. in fine.

Verùm quia iam multum ſermocinati ſumus, & prolixitas concerta-
" tionis audientium ſtudia laſſauit, breuem tibi apertamque animi mei ſen-
" tiam proferam: In illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fun-
" data, vſque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Chriſti,
" non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quopiam alio nuncupari, vtputa Mar-
" cionitas, Valentinianos, Montenſes ſiue Campates: ſcito, non Eccleſiam
" Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. Ex hoc enim ipſo quòd poſtea
" inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænunciauit.

1. Tim. 4. 2. Tim. 3. Matth. 4.

Nec ſibi blandiantur, ſi de Scripturarum capitulis videntur ſibi affirmare quòd dicunt, cùm & Diabolus de Scripturis aliqua ſit locutus, & Scriptu-
" ræ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo. Alioqui ſi literam ſe-
" quimur, poſſumus & nos quoque nouum nobis dogma componere: vt
" aſſeramus in Eccleſiam non recipiendos, qui calceati ſunt, & duas tunicas

habeant.

habeant. ſicut nimirum Luciferiani tum compoſuerant ſibi quaſi è Scrip- "
turis nouum dogma hoc, Non eſſe in Eccleſiam cum ſola pœnitentia recipiendos, qui ab Hæreticis baptizati eſſent. Quemadmodum autem hîc Hieronymus non aliud tradit de Synagoga Antichriſti ab Eccleſia Chriſti ex Nominibus diſcernenda, quàm tradidiſſe Iuſtinum, Irenæum, Cyprianum, Lactãtium, Optatum, atque Chryſoſtomum iam cõmemoraui: ita habet ipſe cum cæteris experientiam quoque (vt prædixi) ſeu rerum, temporum, & exemplorum omnium obſeruantiam ſibi in hoc generaliſſimè ſuffragantem. Quod etiam Vincentius Lirinenſis in illo nunquã ſatis laudato contra omnium Hæreſeôn nouationes Libello, breuiter quidem, ſed ſufficienter annotauit, dicens: Quæ vnquã Hæreſis, niſi ſub certo Nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? [diſcedens nimirum & deficiens ab vniuerſalitate perſonarum, locorũ, & temporum, quæ in Eccleſia Catholica cernitur. Hinc & D. Auguſtinus Donatiſtas, poſt ſuperatos in Collatione Epiſcopos eorum, ſic hortatur: Ecce conuicta eſt falſitas, ecce apparuit veritas. Quid adhuc contẽnitur charitas? Quid nobis eſt per hominum Nomina diuidi? Qui nos creauit, vnus eſt Chriſtus: qui nos ſociare "
debet, vnus eſt Chriſtus, &c. Vnde etiam admonet amicum ſuum Honoratum, vt eum ſic à laqueis Manichæorũ eripiat, dicẽs: Vna eſt Catholica, cui Hæreſes aliæ diuerſa Nomina imponunt; cum ipſæ ſingulæ proprijs "
vocabulis quæ negare non audeant, appellentur, &c. "

Vin. Lir. cap. 34. — *Aug. poſt Col. cap. 35.* — *De vtil. cre. cap. 7.*

Porro huic tam euidenti experientiæ, & his tam multis Authoribus prudentiſſimis atque grauiſſimis, Sacra quoque Scriptura concordat. Quid enim aliud S. Ioannis Euangeliſtæ Apocalypſis inſinuat, qua vidit Beſtiam de mari aſcendentem, & ſuper ſeptem Capita eius Nomina blaſphemiæ? Et mox aliam Beſtiam de terra aſcendentem, quæ fecit, ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet charactêrem, aut Nomen Beſtiæ (prioris) aut numerum Nominis eius. Vbi non incongruè intelliguntur Principes terræ, qui Synagogã Antichriſti in varijs (vt præmonuit S. Hieronymus) Hæreſiarcharum Nominibus authoritate ſua propagant. Vnde ſequitur mox in cautelam noſtram terribilis comminatio, tertio Angelo in Agni comitatu dicente voce magna: & fumus tormentorum eorum aſcendet "
in ſecula ſeculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt "
Beſtiam & imaginem eius [quales ſunt Catholici qui Hæreticis vel ex "
timore vel ex cupiditate ſubſcribunt,] & ſiquis acceperit charactêrem "
Nominis eius, [volens dici Arianus, Donatiſta, & ſimilia. Quales "
tum Nicolaitas in eodem Libro Deus etiam de nomine deteſtatur, dicens Angelo Pergami Eccleſiæ, id eſt, toti Eccleſiæ in Epiſcopo:

Apoc. 13. — *Apoc. 14.*

Apoc. 2. Habes tenentes doctrinam Nicolaitarum. pœnitentiam age, ſiquo minùs: &c. Vnde ſuperiùs Angelum Epheſi Eccleſiæ commendauit, & dixit:
,, Odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Quales etiam D. Iacobus ſi-
Iac. 3. ,, gnauit, & terruit, dicens: Nolite plures Magiſtri fieri, fratres mei,
,, ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis. Id quod à Chriſti ipſius ore
Matth. 23. hauſerat, dicentis: Nec vocemini Magiſtri: quia Magiſter veſter, vnus
,, eſt, Chriſtus. Quod præceptum non violauit D. Paulus, dicens de ſe, Ego
1. Tim. 2. prædicator, & Apoſtolus, Doctor (ſeu Magiſter, διδάσκαλος) Gentium
,, in fide & veritate. Sed neque Doctores Eccleſiæ, quia non noua ác diuerſa docent, ſed eadem ipſa (vt D. Paulus) quæ à Chriſto tradita iugiter Eccleſia ſancta cuſtodit. Sed ij violant præceptum Chriſti & Iacobi, quibus conuenit quod D. Paulus vocat ἑτεροδιδασκαλεῖν, ſcribens Timo-
1. Tim. 1. theo: Rogaui te vt remaneres Epheſi, cum irem in Macedoniam, vt
,, denunciares quibuſdam, ne aliter docerent. De quibus idem Epheſijs
,, quoque ipſis coràm prædixerat: Scio, quoniam poſt diſceſſionem meam
,, ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant Diſcipulos
,, poſt ſe, [vt Chriſtiani pro Chriſti nomine, ex eorum nominibus hoc & illud appellentur. Quales cùm & in Corinthiorum Eccleſia exurgere didiciſſet, grauiſſimè reprehendit: tacens quidem eorum Nomina, quoniam nondum niſi initia Schiſmatum erant; & propterea ne eoſdem magis incenderet, fabulam mutatis nominibus quaſi in ſe & Apollo tranſ-
1. Cor. 1. figurans. Significatum eſt mihi (inquit) de vobis Fratres mei, quia
,, contentiones ſunt inter vos. Et exponit quid velit: Hoc autem dico,
,, quòd vnuſquiſque veſtrum dicit, Ego quidem ſum Pauli, Ego autem
,, Apollo, Ego verò Cephæ, Ego autem Chriſti. Quod quam grande Sa-
,, crilegium ſit, oſtendit interrogans: Diuiſus eſt Chriſtus? Nunquid
,, Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in Nomine Pauli baptizati eſtis? Et
1. Cor. 3. rurſus: Cum enim quis dicat, Ego quidem ſum Pauli; alius autem, Ego
,, Apollo: nónne homines [ſeu] carnales eſtis? Et vt potius à Chriſto ſolo
,, velint vocari, inſtruit: Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus? Mi-
,, niſtri eius cui crediDiſtis, [id eſt, Chriſti. Quod autem non propter ſua, ſed aliorum quorumdam Nomina, hæc dixerit, demum ſignificat, vbi
1. Cor. 4. dicit: Hæc autem, fratres, transfiguraui in me & Apollo, propter vos:
,, vt in nobis diſcatis, ne vnus aduerſus alterum infletur pro alio. Quod
1. Cor. 1. idem priùs quoque ſignificauit, dicens: Gratias ago Deo quòd nemi-
,, nem veſtrûm baptizaui, niſi Criſpum & Caium: nequis dicat, quòd
,, in nomine meo baptizati eſtis, &c. Quia verò nondum inueteratus erat zelus iſte, nec contentio pertinax, ſed initia ſolùm erant, propterea

necdum

necdum perfecta Schiſmata fuerunt; ſed obſecrat eos dicens, ne ſint in *Ibidem.*
vobis Schiſmata. Omnes enim huiuſmodi per Nomina hominum diui-
ſiones, & ſeparationes à communi, ſemper, licèt etiam ex optimis cauſis
videantur inſtitutæ, pericula & principia habent Schiſmatum. Exem-
pli cauſa: Optima erat cauſa, & perſpicua innocentia, eaque miracu-
lis comprobata, S. Ioannis Chryſoſtomi Patriarchæ Conſtantinopoli-
tani cunctis notiſſimi, quando eum, inſtigante Eudoxia Imperatrice, ini- *Soc. li. 6. cap. 16.*
micis accuſantibus & condemnantibus, Arcadius Imperator eiecit Epiſ-
copatu. Sed tamen periculoſum erat incœptum eorum qui ſancto viro
adhærebant, cùm propterea ab Eccleſia egreſſi, vt ſcribit Socrates, feſtum "
Paſchatis ſeorſum celebrant: atque vnà cum illis multi epiſcopi, presby- "
teri, alijque ſacris ordinibus initiati. Qui ex illo tempore (inquit Socra- "
tes) quoniam ſeparatim in varijs locis conuentus agebant, Ioannitæ ap- "
pellati ſunt.[Ipſo Ioanne interim ſe domi ſemper continente. Sed eo pòſt
in exilium etiam pulſo, & ibi defuncto, noluit Deus per eiuſmodi quo-
rumdam ſeparationem viri ſanctiſſimi nomen & merita obfuſcari. Itaque
de ſucceſſore eius poſt Arſacium Attico ita ſcribit idem Socrates: Qui *Li. 7. cap. 25.*
cùm videret Eccleſiam propterea diuiſam eſſe, quòd Ioannitæ extra illam "
conuentus agebant, præcepit, vt de Ioanne, ſicut de alijs Epiſcopis mor- "
tuis ſolet, in Precibus mentio fieret. Nam ea ratione complures eorum "
ad Eccleſiam redituros ſperauit. [Et poſt tres alios, de Proclo tandem:] "
Proclus epiſcopus, eos qui propter Ioannis abdicationem ſeparatim con- *Cap. 44.*
uentus peragebant, cum cæteris in concordiam reduxit, & prudentiâ eo- "
rum animos offenſos permulſit. Sed qua ratione iſtud effecerit, dicam, "
inquit, Corpus Ioannis Comanis ſepultum, vbi Imperatori [Theodoſio "
iuniori, filio Arcadij & Eudoxiæ] eam rem perſuaſerat, trigeſimo quinto "
anno poſt eius abdicationem Conſtantinopolim transferendum curauit: "
quod cũ multo honore & ſplendida pompa publicè celebrata, in Eccleſia "
Apoſtolorum condidit. Hac re igitur, qui propter Ioannem conuentus "
ſeorſum faciebãt, ad Eccleſiæ concordiam reconciliati fuerunt. [Eiuſdem "
autem Theſauri tranſlationẽ deſcribens Theodoretus, narrat, quòd Theo- *Theod. li. 5. cap. 36.*
doſius vultu & oculis in Sancti illius viri loculo defixis, pro Parentibus "
preces fudit, orauitque vt iniuriarum per ignorationem factarum veniam "
illis tribueret. Iampridem autem eius Parentes mortem obierant, &c. "
[Sic igitur illa ſublata Separatio eſt. Non enim Schiſma dixerim, quia ab
initio ex iniuria ſanctiſſimi Epiſcopi videbantur ſibi habere cauſam, & po-
ſtremò Vnitate manifeſtata non habuere pertinaciam. Alioqui (ſicut ha-
ctenus pleniſſimè oſtẽdi) vbicũque & quãdocũque vel ex nouis Doctrinis,

vel ex Separatis conuentibus, exurrexit nouum Nomen, quicumque & qualeſcumque fuerint qui ſic nominati ſunt, ſemper (ſi & pertinaces fuerint) Hæretici fuerunt aut Schiſmatici.

Itaque iam ad iſta rurſus quid dicent Proteſtantes? An ſe negabunt talia habere Nomina? aut nos habere contendent? Non dubito, quin ex iam dictis facilè animaduertant omnia tum ipſi; tum cæteri. Nam rogo eos, quorum ſint hæc Nomina, Proteſtantes, Lutherani, Zuingliani ſeu Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, Trinitarij, & alia quam plurima? Et quod „ dixit ſuprà Auguſtinus, Hæreſes ſingulæ proprijs vocabulis quæ negare „ non audeant, appellantur: rogo, an hæc vocabula audeant denegare? Cùm Lutherani & Caluiniſtæ ſæpiſſimè inter ſe dimicant, non modò libris, verumetiam armis, vt nuper Antuerpiæ (vbi Lutherani cum Catholicis viſi ſunt armati ſtare, ad expellendos coniunctis viribus Caluiniſtas) quomodo ſolent, vel quomodo poſſunt de ſe inuicem loqui, niſi ſe huiuſmodi nominibus nuncupent & diſcernant? Quis ignorat, quòd ſe Proteſtantes vocant tum in libris, tum in ſermone? Quidam etiam eorum in Anglia ſe appellant Puritanos, Præciſianos, Fratres immaculatos: in Flandria, Geuſeos: in Gallia, Fratres-de-Religione: & alibi aliter. Non igitur negare poſſunt Nomina, quibus non modò neceſſitas loquendi cogit nos eos vocare, verumetiam ipſi ſe voluntariè vocant: & maximè Proteſtantium nomen negare non audent, de quo potiùs inter ſe certant acerrimè, quibuſdam volentibus id ad ſe ſolos attrahere, & cæteros quaſi alieni iuris vſurpatores excludere. Et reuera ſi quis Nominis ortum recordari voluerit, egregias ſcilicet animaduertet eſſe cauſas, cur ſe omnes ſic appellent. Scribit autem Surius (& conteſtatur Sleidanus ipſe) in Comitijs Spiræ an. 1529 cùm nulla potuiſſet Ferdi„ nandus Romanorum Rex à Proteſtantibus auxilia contra Turcas impe„ trare, niſi eos ſineret ſua retinere dogmata, publico Decreto permiſſum „ eſſe, vt in fidei & religionis negocio ita ſe gererent, vti & Deo & Cæſari „ Carolo quinto facti ſui rationem poſſent reddere: nihil tamen deinceps „ innouarent vſque ad Concilium, &c. Et addit Surius: Enimuerò illi in „ hoc ipſo Conuentu proteſtati ſunt, ſe ſummi Magiſtratûs decretis qui„ buſdam non poſſe ſubſcribere: itaque ad Cæſarem prouocarunt. Inde „ primùm ortum eſt Proteſtantium Nomen: quod etiam quædam liberæ Ciuitates amplexæ ſunt. Egregia ſcilicet cauſa, quamobrem non Germaniæ ſolùm homines quidam & Ciuitates quædam, verumetiam Angliæ, Scotiæ, & aliarum quarundam Gentium & Reges, & Nobilitas, & Plebs (relicto alijs Chriſtianorum nomine) vocentur Proteſtantes, quia

Proteſtantium nomen vnde ortum.

Surius, an. 1529.

neſcio

neſcio qui Germani cum Proteſtatione legali à Romanorum Rege ad Cæſarem prouocarunt. Interim in confeſſo eſt, habere ipſos Nomina, qualia in Antiquitate omni ij quos dixi propterea à Maioribus noſtris hac ipſa nota Hæretica inſignitos.

Non ignoro, quid hic ſoleant reſpondere; Et inter nos nimirum quoſdam huiuſmodi Nominibus appellari. Quaſi hoc ſit, crimen à ſe depellere, alios eodem crimine accuſare. Nam vtique crimen Hæreſis aut Schiſmatis (vt pleniſſimè iam oſtendi) arguunt iſta Nomina. Non igitur ſe purgant, quanquam nos criminantur: ſed contrà potiùs reos ſe oſtendunt, qui non meliorem defenſionem habent. Itaque contra illos hoc prudenti ſufficit. Sed quoniam non ſimpliciter ſufficit ad ſalutem hominum didiciſſe quos fugiant, niſi videant etiam quos ſequantur: ſicuti oſtendi illos reos, ita debeo nos innocentes oſtendere. Quid igitur & contra nos dicunt? Quoſdam etiam inter nos appellari Franciſcanos, Dominicanos, Auguſtinianos, Martinianos, Benedictinos, cum multis alijs Religioſorum ſeu Monachorum noſtrorum nominibus. Primùm rogo, quare quoſdam ſolùm, & non omnes dicant? Nónne enim ſtatim ex hoc animaduertunt prudentes differentiam? Nempe ſumus omnes Catholici, tum illi Monachi, tum cæteri qui non ſumus Monachi; eadem habentes Dogmata per omnia; eandemque habentes Communionem, id eſt ad eaſdem conuenientes Eccleſias, & ad eadem Sacramenta: ita vt Monachus Miſſam meam non refugiat, nec ego Monachi. Sed Aduerſarij noſtri non ſolùm ab Eccleſia, ſed etiam inter ſe differunt in Dogmatibus, & in Communione: ita vt alia quædam habeant Dogmata Lutherani, alia Caluiniſtæ, alia Anabaptiſtæ, alia Trinitarij, alia Puritani, &c: adeoque de eiſdem Dogmatibus inter ſe pugnent, vt ſibi inuicem non communicent. quanquam, etſi conſentirent inter ſe, & propterea non aliud haberent Nomen, niſi generale illud Proteſtantium, tamen ſufficeret hic contra eos, quòd etiam ſic Nomen à Catholicis diuerſum haberent ex Communione & Doctrina. Et hæc eſt, quam ſuprà demonſtraui certiſſimam Hæreticorum vel Schiſmaticorum notam à Patribus obſeruatam atque traditam. Hinc enim Chryſoſtomus dixit: Nunquid ſcindimur ab Eccleſia? Num Hæreſiarchas habemus? Nunquid nobis Dux quidam eſt, ſicut illi Marcion, & illi Manichæus, huic Arius, alteri verò alius Hæreſeos Dux, [vt Lutherus, Caluinus, &c.] Prout enim Hæreſiarchæ nomen, ita & Secta vocatur. Nobis autem nullus vir Nomen, ſed Fides ipſa, [vt nihil niſi à fide Chriſti Chriſtiani vocemur. Hinc & Iuſtinus dixit: Sunt diſtincti cognominibus, de- *Chryſoſt.* *Iuſtin.*

 nomi-

„ nominati à quibuſdam viris, vt quiſque fuit auctor alicuius nouæ Doctrinæ & ſententiæ. Non ſic autem ſancti viri, à quibus Monachi noſtri nominantur, Auguſtinus, Martinus, Benedictus, Franciſcus, Dominicus, &c. Hereſiarchæ, ſeu Duces alicuius Hæreſeos, vel auctores alicuius nouæ Doctrinæ & ſententiæ fuerunt; vti Proteſtantes etiam ipſi conceſſerint: ſed ſolùm inſtitutores fuerunt Regulæ cuiuſpiam bene viuendi, quam ſequentes eorum fratres ſeu diſcipuli, & imitantes ipſos (viros vtique admirabiles, & à Deo ad imitandum datos) melius & facilius mandata Dei & conſilia Chriſti ſeruarent. Quales per omnia ſemper in Eccleſia Chriſti

Motiuo 25. fuerunt, quemadmodũ alio loco planiſſimè demonſtrabo. Non igitur Hæreticorum aut Schiſmaticorum ſunt iſta ſpecialia Nomina, Auguſtiniani, Martiniani, &c. ſicut nec ipſum generale nomen Monachorum. Non ſunt enim in Eccleſia Catholica Hæreſes & Schiſmata; abſit: ſunt tamen in ea,

1. Cor. 12. vt dicit S. Paulus, Diuiſiones gratiarum, & Diuiſiones miniſtrationum, &

„ Diuiſiones operationum; [& ſecundum eaſdem Diuiſiones (maximeque Operationũ) ſunt in Eccleſia Diuerſi Status & officia hominũ. De quibus

„ ibidem ſubijcit D. Paulus: Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia

„ primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, &c. Idemque alibi.

Epheſ. 4. „ Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdã autem Prophetas, alios

„ verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores. [Secundũ quam diuerſitatem Statuum vocamus etiam in Eccleſia quoſdã Laicos, alios Clericos: & in vtroque genere, quoſdam Seculares, alios Religioſos ſiue Monachos: Et rurſus ſubdiuidendo, quemadmodum Laicorum & Secularium quoſdam Priuatos, alios Magiſtratus, &c; itemque Clericorum quoſdam Epiſcopos, alios Presbyteros, alios Diaconos, &c: ita & Monachorũ quoſdam Regulæ S. Antonij, alios S. Martini, alios S. Benedicti, alios S. Auguſtini, &c. In quibus omnibus quis non videt Statûs ſolùm diuidi, & non etiam Religionem atque fidem? quoniam, vt ibidem D. Paulus cauſam

1. Cor. 12. reddit, in his omnibus Diuiſionibus gratiarum, miniſtrationum, & ope-

„ rationum, eſt tamen idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus, qui ope-

„ ratur omnia in omnibus: & ſunt ipſi omnes propterea vnius Corporis (vt dicit Apoſtolus) multa membra, quaſi oculus, manus, pes, auditus, odoratus, &c: omnes (inquam) etſi varia membra, tamen de vno corpore. Non ſic autem Aduerſarij noſtri: ſed contrà ſunt tum ab hoc Eccleſiæ corpore, tum à ſuis inuicem corporibus, quoad fidem (inquam) communionemque, diuiſi: Et tales Diuiſiones Nomina eorũ important; ſicuti etiam olim nomina Arianorum, Nouatianorum, Donatiſtarum, & cæterorum omnium Hæreticorum ac Schiſmaticorum priorum.

Ex qui-

Ex quibus videre eſt, quid etiam ad Papiſtarum Nomen (ſi illud nobis tanquam à Dogmate & Communione dictum obiecerint) reſpondeamus. Nunquid enim (vt ſupradictorum Patrum verbis quæram) Nomen iſtud arguit, quòd ſcindimur ab Eccleſia? aut, quòd Auctorem alicuius nouæ Doctrinæ & ſententiæ habemus, ac Ducem quendam, quaſi aliquem Arium, aliquem Manichæum, aliquem Lutherum vel Caluinum? Imò in confeſſo eſt, quòd in cuius Eccleſiæ cõmunione nunc ſumus poſt inuentum illud Nomen, & quæ Dogmata nunc habemus; in eadem Communione fuimus, & eadem habuimus dogmata, multis ſeculis ante Nomen illud inuentum. Primus enim inuenit nomen illud Lutherus, & cõtumelioſè nobis impoſuit: ſicut ſemper moris Hæreticorum fuit, teſtante S. Auguſtino & dicente: Vna eſt Catholica, cui Hæreſes aliæ diuerſa nomina imponunt: cum ipſæ ſingulæ proprijs vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. [Et hoc veram Religionem quærentibus ſatis eſſe dicit. Sic enim iam oſtendi eos propria vocabula habere, quæ negare nõ audent, quia ipſi ſe ijſdem vocãt, neque poſſunt, quia neceſſitas loquendi eadem requirit. Nos verò Nomen Papiſtarum pernegamus, quia nec ipſi nos ita appellamus, nec neceſſitas vlla cogit vel Hæreticos vel alios quoſcumque nos ſic vocare. Nam vt ante Lutheri Separationem Chriſtianorum nomine, ita nunc poſt eandem Separationem Catholicorum nomine paſſim vocamur, & facillimè intelligimur. Nam huiuſmodi noua Nomina (vt priùs audiuimus ex Hieronymo, & communis ſenſus docet) eos neceſſariò ſequuntur qui poſtea inſtituti ſunt. Quomodo enim de talibus niſi per Nomina noua loquamur? Nos autem qui ante Lutherum fuimus, ita vt Lutherus etiam ipſe ante Separationem de numero noſtro fuerit, non niſi veteri Nomine indiguimus. Itaque in nobis & iſtis locũ nunc habet, quod olim Optatus de Donato ſcripſit, vt ſuprà etiam allegaui: Cum ante ipſius [Donati, ſeu Lutheri] ſuperbiam, omnes qui in Chriſto crediderant, Chriſtiani vocarentur, auſus eſt populum cum Deo diuidere; vt qui illum ſecuti ſunt, iam nõ Chriſtiani vocarẽtur, ſed Donatiſtæ, [Lutherani, Proteſtantes, &c: nobis propterea qui ab inde (quando ſcilicet omnes ante Lutheri Separationem vno nomine Chriſtiani vocabãtur) diuiſionem populi non fecimus, ſed ſumus adhuc quod tunc fuimus, eodem Chriſtianorum nomine competente. Ex quo neceſſariò ſequitur, quòd Proteſtantes Chriſtiani non ſunt, quemadmodum & de veteribus omnibus Hæreticis Maiores noſtri propter eorum noua Nomina concluſerunt. vt modò Optatus: qui illum ſecuti, iam non Chriſtiani, ſed Donatiſtæ: licèt, vel quia ante ipſius ſuperbiam omnes Chriſtiani. Et Cyprianus ſimiliter:

Papiſtæ. Vide Motiu. 45.

Auguſt. de vtil. cre. cap. 7.

Hier. aduers. Lucif.

Opt. li. 3. fol. 53.

Hæretici nõ ſunt Chriſtiani.

Cyp. ep. ad Noua. 10. 3.

„ Qui enim aliquando Chriſtiani, nunc Nouatiani, iam non Chriſtiani,
„ primam fidem veſtram perfidia poſteriore per nominis appellationem
Lact. li. 4. cap. vlt. mutaſtis. Similiter Lactantius: Cum enim Phryges, aut Nouatiani, aut
„ Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, aut Arriani, ſeu quili-
„ bet alij nominantur, Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine
Cyp. ep. 52. num. 7. amiſſo, humana & externa vocabula induerunt. Et rurſus Cyprianus:
„ Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti
Epiſt. 76. Eccleſia non eſt, &c. Et alibi: Antichriſtos omnes eſſe, quos conſtat
„ à charitate atque ab Vnitate Eccleſiæ Catholicæ receſſiſſe, &c. Et in
num. 8. Libro elegantiſſimo De Vnitate Eccleſiæ omnino ſimiliter: Occidi talis
„ poteſt, coronari [martyrio] non poteſt. Sic ſe Chriſtianum eſſe profi-
„ tetur, quomodo & Chriſtum Diabolus ſæpè mentitur, ipſo Domino
Matth. 24. præmonente & dicente: Multi venient in nomine meo dicentes, Ego
„ ſum Chriſtus, & multos fallent. Sicut ille Chriſtus non eſt, quamuis
„ fallat in nomine illius: ita ne Chriſtianus videri poteſt, qui non per-
Firm. ap. Cyp. Ep. 75 num. 9. manet in Euangelij eius & fidei veritate, &c. Et apud eundem Firmi-
lianus Epiſcopus Cappadociæ: Illos Hæreticos, & non Chriſtianos
vocamus. Infinita ſunt huiuſmodi quæ adferri poſſent, teſtimonia Pa-
trum negantium Hæreticos eſſe Chriſtianos: & non Patrum ſolummo-
dò, verumetiam ipſius S. Ioannis Euangeliſtæ, quem Patres in hoc
auctorem habent: qui ita Hæreticis negat Chriſtianorum nomen, vt
1. Io. 2. planè Antichriſtos nominet, dicens: nunc Antichriſti multi facti ſunt.
Ex quibus vident Proteſtantes, & qui ſequuntur eos, quid ex nouo no-
mine lucrati ſint, hoc videlicet, vt Chriſtianorum nomen amiſerint.
Et vident ſimul, ad quos redire debeant, vt nomen Chriſtianorum re-
cuperent. Nos enim ſumus, qui vt ante Separationem Lutheri in illo
nomine cum Luthero fuimus, ita hactenus in eodem nomine ſine vlla
mutatione ſimiliter permanemus. Verumtamen quia Hæretici & ſibi,
& Turcis, alijſque Paganis videntur adhuc in nomine Chriſtianorum
eſſe, propterea nos (quando de nobis & de illis eſt ſermo) propter aper-
tiorem diſtinctionem, veteri quidem nomine (illi autem nouo nomi-
ne Proteſtantium, &c.) ſed cum vſitata in talibus additione, Chriſtiani
Motiuo 6. Catholici appellamur, ſicut pleniſſimè oſtendi ſuprà. Vnde elegantiſſi-
Pacian. Ep. 1. ad Symp. mè dixit Pacianus Symproniano Nouatiano irato huic Nomini: Nec
„ tamen æſtues, Frater. Chriſtianus mihi Nomen eſt: Catholicus verò
„ Cognomen. Illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſi-
„ gnificor. [quemadmodum & paulò ante vocauerat] Cognomen Plebis
„ Apoſtolicæ. [Et cùm ſic appellamur, nulla videtur cuiquam in ſermone
ambi-

ambiguitas, nulla obſcuritas, ſed omnia facillimè omnes intelligunt. Vnde nulla Lutherum coëgit neceſſitas imponere nobis Papiſtarum nomen, ſed ſola ipſius effrænis conuiciandi libido. Quod non ita dico, quaſi rem illius nominis detrectemus. Scio enim impoſitum nobis eſſe vel ab illo Dogmate, quod credimus & ſentimus, Papam eſſe Vicarium Chriſti, quod quidem eſt, ſemperque fuit Catholicum: vel à Communione noſtra, qua Papæ conſociamur, ſicut ſemper omnes qui Schiſmatici non fuerunt, vt alio loco clariſſimè demonſtrabo. Quæ licèt ita ſint, non tamen nomen noſtrum hoc eſſe poteſt: quia multis ſæculis (vt Hæretici ipſi concedunt) ſine illo nomine, in illo Dogmate, & illa Communione fuimus. Placuit tamen Luthero nos, licèt ineptiſſimè, ſic vocare: quemadmodum placuit alijs olim Hæreticis Catholicos Maiores noſtros alijs diuerſis (vt dicit S. Auguſtinus) nominibus appellare. Vti Arrianis, qui eos ab illo Catholico Dogmate quo tenebant Filium Dei eſſe Homouſion, id eſt Conſubſtantialem Deo Patri ſuo; vocabant Homouſianos, vt paſſim in Hiſtorijs Eccleſiaſticis Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Victoris, &c. Item in aliorum veterum ſcriptis eſt videre. Vti etiam Donatiſtis, qui eos à Communione Cæciliani Epiſcopi Catholici Carthaginenſis, totius Africæ Primatis, vocabant Cæcilianiſtas, vt paſſim in D. Auguſtini Operibus eſt videre. Vnde fuit ille in Collatione Carthaginenſi conflictus, de quo ſic Auguſtinus: Ortus eſt iterum moratorius conflictus de Catholico Nomine, & Donatiſtarum, & Cæcilianiſtarum. [Quis verò vniuerſa talia falſa ab Hæreticis conficta nomina, & Catholicis odioſè atque ignominioſè, licèt de vero Dogmate & de vera Communione, impoſita dinumeret? Falſa Nomina dico, quia manifeſtum eſt, Catholicos ipſos ante illa nomina Cæcilianiſtarum, Homouſianorum, Papiſtarum, & ſimilia, multis ſæculis extitiſſe, ita vt potuerint illi antiquiores Catholici idem hinc dicere, quod S. Pacianus dixit Semproniano Nouatiano, qui Paciano ſcribenti Nouatianos a Nouatiano vocari, iratus exclamauit: Nunquid Cypriano ſancto viro hoc obeſt, quod populus eius Apoſtaticum Nomen habet, vel Capitolinum, vel Synedrium? Sed quid ad hoc Pacianus? Conuitiaris, & ecce non moueor. Horum'ne aliquid appellati ſumus? Interroga ſæculum frater, totoſque ex ordine annos, an nobis Nomen hoc hæſerit: an Cypriani Populus aliud, quàm Catholicus nominatus ſit? Nunquam Nomen vllum ex his audiui. Iam vide, ſi vocari aliquis eo nomine potuit, quod ſibi neſcit impoſitum. Quid ergo? Maledicta ſunt iſta, non Nomina: & maledicta iraſcentium, maledicta petulantium. Quotuis & ego vos poſſum

Moti. 28.

Sic Abſtemiæ vel Abſtemianæ vocantur caſtæ matronæ a Capitiſtis Eccleſiæ Anglicanæ.

Vict. de perſec. Vād. li. 2 fo 19 & li. 3. fo. 35. Baſil. ep. 72. Aug. Ser. cō. Arria. tom. 6. Auguſt. in Breuic. diei 3. num. 2.

Pacian. Ep. 1. ad. Symp.

„ poſſum appellare nominibus, ſi liceat iraſci? Cyprianum ſanctum vocas,
„ & Populum eius Apoſtaticum? &c.

Sperauerunt autem Hæretici, ſe potuiſſe per talia Nomina Nomen Catholicum ſepelire atque obliterare, murum ſcilicet contra omnes Hæreticos æneum atque inexpugnabilem: Ideoque & nunc eſt, & ſemper fuit fruſtratus hic eorum conatus. Sicuti fruſtra etiam fuit conatus ille Iuliani Imp. Apoſtatæ (quamuis maximæ eſſent vires eius, & aſtutia ſubtiliſſima) de quo ſic ſcribit Chryſoſtomus, Hiſtorijs etiam Eccleſiaſticis conteſtantibus: Atque adeò Chriſtianum Nomen tunc vt extingueretur, quoad eius poterat, elaborabat; Galilæos pro Chriſtianis nos in Edictis ſuis tum ipſe appellans, tum Principes vt idem factitarent, adhortans. [Legerat ille impius Apoſtata, vbi ſcrip-

Chryſ. to. 5. cō. Gētiles, 914. Sec. li. 3. ca. 10. Theod. li. 3. cap. 18.

Io. 7. „ tum ita continetur: Nunquid & tu Galilæus es? quod Phariſæi Nicodemo dixerunt: quemadmodum non ita multò pòſt de S. Paulo per

Act. 24. Oratorem ſuum Tertullum, apud Felicem Præſidem: Inuenimus hunc
„ hominem, &c. auctorem ſeditionis ſectæ Nazarenorum. Iuxta quod & Hieronymus de Principibus Iudæorum ſuo tempore: vſque hodie
„ (inquit) perſeuerant in blaſphemijs, & ter per ſingulos dies in omni-
„ bus Synagogis ſub nomine Nazarenorum anathematizant vocabulum
„ Chriſtianorum. [Sicut autem fruſtra laborauit Iulianus contra Nomen Chriſtianum, nomine ſuo Galilæorum; ita contra Catholicum nomen fruſtra figmentis ſuis Hæretici & laborauerunt, & laborant, & (quamuis quibuſlibet adiuuantibus) laborabunt. Ita ſemper obtinet, inuictumque eſt quod dixit S. Auguſtinus; quodque à me ſæpè antè poſitum, dignum eſt vt ſæpiſſimè repetatur: Vna eſt (inquit) Catholica: cui
„ Hæreſes aliæ diuerſa Nomina imponunt: cùm ipſæ ſingulæ proprijs vo-
„ cabulis, quæ negare non audeant, appellentur. [Quod ipſum (vt in
„ eodem loco idem dicit) veram Religionem quærentibus ſatis eſt: proptereaque à ſapientibus & ſalutis ſuæ ſtudioſis nullo modo contemnetur.

Hier. in Iſa. 5. 49. 52. Et in Amos 1.

Auguſt. de vtil. cre. cap. 7.

MOTIVVM

MOTIVVM NONVM.

Nullam vnquam Gentem conuerſam eſſe à Paganiſmo per Proteſtantes: Per nos autem omnes conuerſas eſſe, vel conuertendas. & hoc certiſsimum eſſe argumentum, quod nos à Christo ſimus, & non Proteſtantes.

OSTENDI iam, qualis futura Eccleſia Chriſti ſit prædicta, & qualis incipiens ſit deſcripta. nempe quòd viſibiliter incœptura, & viſibiliter vſque ad finem mundi duratura, prædicta ſit: propratereaque conformiter deſcripta ſit à D. Luca viſibiliter incipiẽs in Hieruſalem, & viſibiliter inde per multa loca multis annis creſcens, ad tempus vſque illud quo S. Paulus Romam ductus ibi fuerat biennio cõmoratus. propterea etiam ijſdem tũ prædictionibus tum initijs conformiter eam ſemper poſtea quoque viſibiliter ac gloriosè durantem, idque nihil obſtantibus plurimis ſæuiſſimiſque Tyrannorũ Perſecutionibus, præbuiſſe Chriſtianis Maioribus noſtris argumentũ inuictiſſimũ & clariſſimũ, quo tum contra Paganos probauerunt Domini noſtri Ieſu Chriſti & veritatem, eadem prædicentis; & Diuinitatem, eadem efficientis: tum Hæreticorũ repreſſere conatus, qui tanquam perijſſet interdũ Eccleſia, ſe quaſi inſtauratores eius imperito populo & vulgo inſtabili venditarunt. Contrà igitur Maiores noſtri euidentiſſimè demonſtrarunt, eam tum ad ſua tempora, tum ad noſtra, tum ad omnia tempora, ſemper viſibiliter permanere, ideoque nullis vnquã iſtiuſmodi reſtauratoribus indigere: ſed e diuerſo ipſos ab Eccleſia iſta perenni, varijs temporibus Exeuntes, & poſterioribus temporibus Exurgentes, idque Mirantibus & damnantibus eorum audaciam Chriſtianis qui in Vnitate & Catholico nomine perſeuerant, eoſque notantibus & generali Hæreticorũ, & particularibus Hæreſiarcharum eorũ nominibus, alienos à Deo & Chriſto & Eccleſia multipliciter apparére. Quæ ego omnia contra Hæreticos noſtri temporis replicans & reuerſans, rerum ipſarum conſequentiam & ductum hactenus ſecutus ſum. Nunc autem rurſus ad Eccleſiæ initia reuertamur, & quoad Propagationem eiuſdem quid prædictum, quid factum ſit, breuiter videamus. Nam & inde iterum hæc poterit inter nos & Proteſtantes de Religione quæſtio terminari, ſi qui noſtrûm poſt Apoſtolos ſint ſecundũ Scripturas Propagatores Eccleſiæ, oſtendatur.

Summa Motiuorũ præcedentium.

R Nemo

Nemo igitur qui Scripturas nouit ignorat, nec Chriſtianus quiſquam ignorare debet, Deum poſt Lapſum Primorum Parentum mox promiſſo miſericorditer ex Mulieris ſemine Redemptore, & deinde per longa tempora multiplicatis hominibus, ac tum effrænè peccantibus, ideoque deletis ferè omnibus per Diluuium; iterumque per Noë & tres filios eius multiplicatis, ac tum nouo genere Peccati, nempe aliorum, ideoque falſorum Deorum cultu, excogitato, iterum à Deo vno veroque recedentibus: hunc (inquam) ſolum verum Deum poſt iſta omnia, ætate Abrahæ, ſic ſalutis humanæ tempora diſpenſaſſe, idque propter dictum Redemptorem aliquando naſciturum, vt primùm quidem ſinens omnes alias Gentes poſt Deos alios ingredi vias ſuas, vnam ille ſibi Iudæorum gentem ex Abrahæ lumbis egredientem, in qua ipſe ritè & ſalutariter coleretur, eligeret: Deinde verò nato demum ex Iudæis Redemptore, & ab eiſdem non recepto, ſed perfidiſſimè & impijſſimè crucifixo, Iudæos verſa vice iuſtiſſimè reprobaret, & omnes Gentes ad cognitionem & cultum ſuum miſericordiſſimè accerſeret ac vocaret. Quam ſuam diſpoſitionem in hiſtoria Gedeonis diuinitus & eleganter adumbrauit, dum pri-
Iud. 6. „ ma quidem nocte ros in ſolo vellere fuit, & in omni terra ſiccitas: ſecun-
„ da autem nocte ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra. vt alias eiuſdem rei figuras & vmbras innumerabiles prætermittam. Hinc igitur in
Geneſ. 22. principio diſpoſitionis eiuſdem dixit ad Abraham de Chriſto: Et bene-
„ dicentur in Semine tuo omnes Gentes terræ, quia obediſti voci meæ. & poſtea per Prophetas ſimilia infinita. Ac demum in Plenitudine temporum veniens Semen ipſum, id eſt Chriſtus, & ipſe eadem prædicens
Io. 10. „ ſæpiſſimè confirmauit. vt quod dixit ad Iudæos: Et alias oues habeo quæ
„ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere: & vocem meam au-
„ dient: & fiet vnum Ouile, & vnus Paſtor. Secundum quod etiam Ioan-
Io. 11. „ nes Euangeliſta interpretatur prophetiam Caiphæ, dicens: Hoc autem
„ à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit
„ quòd Ieſus moriturus erat pro gente [Iudæorum:] & non tantùm pro
„ gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum. Iterum
Match. 21. Chriſtus ad Principes ſacerdotum & ſeniores populi: Dico vobis [inquit]
„ quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus
„ eius. Quoniamque ipſe eſt, cui dictum eſt à Patre in Pſalmo ſecundo:
Pſalm. 2. Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionẽ tuam
„ Terminos terræ, propterea poſt Reſurrectionem in Monte Galilææ dicit
Matth. 28. Diſcipulis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. euntes ergo
„ docete Omnes Gentes: baptizantes eos in Nomine Patris & Filij & Spi-

ritus

ritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis: & "
ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem "
ſeculi. Similiterque in Monte Olíueti iam Aſcenſurus dicit eiſdem: Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes *Act.* 1.
in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. "
Sic igitur prædictum eſt. Iam quoad impletionem, ſequitur Liber Actuum *Act.* 2.
Apoſtolorum, & narrat, quomodo impleri cœperit primùm quidem in Iudæis (inchoante prædicationem Petro) non modò qui in Ieruſalem, omnique Iudæa & Samaria, ſed etiam qui in alijs regionibus; deinde verò etiam in Gentilibus, eligente Deo eundem Petrum ex omnibus, eumque *Act.* 10. 15
ad Cornelium Centurionem mittente, vt per os eius audirent Gentes "
verbum Euangelij, & crederent. atque ob eandem cauſam (præter Duo- "
decim Apoſtolos) Paulum de cælo vocatum mirabiliter conuertente, de eoque dicente Chriſto, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet *Act.* 9.
nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël. Hic igitur ex "
perſecutore ſæuiſſimo Apoſtolus glorioſiſſimus, cùm diu multumque Iudæis prædicaſſet, ijque verba ſalutis ſuæ eâdem cæcitate, qua Chriſtum Dominum crucifixerant, contemnere non ceſſarent, ſic eos demum cum Barnaba in Antiochia Piſidiæ in fine Sermonis alloquitur: Vobis *Act.* 13.
oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & "
indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad Gentes. quod "
quia ſciebat Iudæis ſuperbis atque inuidis plurimùm diſplicere, vaticinio Eſaiæ defendit, dicens: ſic enim præcepit nobis Dominus. Poſui te in *Iſa.* 46.
lucem Gentium: vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ. Et Corin- "
thi rurſus, teſtificans Iudæis eſſe Chriſtum, Ieſum: [eiſque] contradi- *Act.* 18.
centibus & blaſphemantibus, excutiens veſtimenta ſua, dixit ad eos, San- "
guis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. "
Et poſtremò Romæ, cùm veniſſent ad eum die conſtituto in hoſpitium *Act.* 28.
plurimi Iudæorum, quibus exponebat, teſtificans Regnum Dei, ſuadenſ- "
que eis de Ieſu ex Lege Moyſi & Prophetis, à mane vſque ad veſperam: "
tandem poſt recitatū Iſaiæ de ipſa eorum ſpontanea pertinacia atque cæcitate vaticinium, ſic dicit incredulis: Notum ergo ſit vobis, quoniam Gen- "
tibus miſſum eſt hoc Salutare Dei: & ipſi audient. "

Hoc igitur modo à Iudæis tranſierunt ad Gentes. De fructu verò nemo dubitare poteſt, qui vel hæc proxima Pauli verba conſideret, quibus de Gentibus ait: Et ipſi audient, [cùm ibidem de Iudæis dixiſſet ex Iſaia Propheta: Auribus grauitèr audierunt, & oculos ſuos compreſſe- *Iſa.* 6.
runt: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & "

conuertantur, & ſanem eos. vel qui illa Chriſti verba recordetur, qui-
Matth. 21. bus paulò antè dixit, Regnum Dei auferendum eſſe ab Agricolis Iudæo-
rum, qui pro eo quod Vineæ fructus reddere debuiſſent, ſeruos primùm
Patrisfamiliâs, poſtremò autem & Filium occiderunt: Gentem verò cui
„ daturus erat idem Regnũ, vocat gentem facientem fructus eius, ſeu Agri-
„ colas alios qui reddent ei fructum temporibus ſuis. vel qui illa verba in
Actis legat, quibus D. Lucas de Barnaba & Paulo ab Anthiochia Syriæ
Act. 12. 14. miſſis, & eòdem, peragratis plurimis gentibus, reuerſis iſta refert: Cùm
„ autem veniſſent, & congregaſſent eccleſiam, retulerunt quanta feciſſet
„ Deus cum illis: &, quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei. atque iterum de
„ eiſdem: pertranſibant Phænicen & Samariam, narrantes Conuerſionem
Rom. 15. Gentium. Vel qui illud D. Pauli de ſeipſo legat: ita vt ab Ieruſalem per cir-
„ cuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti. vel denique
(ne ſim longior) qui ipſa Gentium & Locorum nomina attendat, quæ in
Actis, Epiſtolis, & Apocalypſi exprimuntur, vt Romanos, Corinthios,
Galatas, Epheſios, Philippenſes, Colloſſenſes, Theſſalonicenſes, Creten-
ſes: Smyrnam, Pergamũ, Thyatiram, Sardos, Philadelphiam, Laodicèam:
Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Pamphyliam, Piſidiam, Lycaoniam,
Attaliam, Syriam, Ciliciam, Pontum, Cappadociam, Bithyniam, Myſiam,
Macedoniam, Græciam, Hiſpaniam, aliaque præter hæc non pauca. Iſta
(inquam) omnia qui perpendat, is de fructu quem fecerunt Apoſtoli in
Rom. 10. ex Gentibus, dubitare non poteſt. ita vt D. Paulus, antequã Romã vidiſſet,
Pſ. 18. „ dixerit: Et quidẽ in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis
„ terræ verba eorum. quia nimirum Apoſtoli ipſi iam tum cœperant longè
lateque Euangelium prædicare, quod alij poſt eos ante conſummationem
ſeculi in omnibus gentibus ſecundum Scripturas vbique complerent.

Itaque videamus iam, qui ſint illi qui Apoſtolis in iſto opere ſucceſſe-
runt. Omnino enim quod Apoſtoli cœperunt in multis gentibus facere,
eſt illud vtique in omnibus faciendum, vt impleatur (præter alias innu-
Geneſ. 22. merabiles) illa Scriptura: Benedicentur in Semine tuo omnes Gentes ter-
Matth. 28. ræ. Quæ Benedictio Gentium (quemadmodum ex Chriſti ad Apoſtolos
mandato perſpeximus) in eo conſiſtit, vt doceantur & baptizentur. Qui
ſunt igitur, qui cæteras Gentes ab Apoſtolis non aditas, ipſaſque etiam
Apoſtolorum Gentes pleniùs docuerunt, & pleniùs baptizarunt? Qui
ſunt (inquam) qui hæc fecerunt, faciunt, & facturi ſunt? Num Proteſtan-
tes, obſecro? Tam multas gentes exiſtimat quis à Proteſtãtibus baptizatas,
& adhuc reſiduas ab eis baptizandas? Imò num vel vnam quãuis gentem
illi vnquam baptizarunt, vel à Gentiliſmo ſeu Paganiſmo conuerterunt?

Imò quis

Imò quis non videt, eos nihil aliud facere, quàm cæteros ſemper Hæreticos? Quidnám illud? nimirum quod Tertullianus poſt alia multa contra omnes Hæreticos prudentiſſimè obſeruata atque tradita, ſubiunxit dicens: Non omittam etiam ipſius Hæreticæ Conuerſationis deſcriptionem. Et *Tertul. de* ibi inter cætera: De verbi autem adminiſtratione quid dicam? cùm hoc ſit *præſcript.* negocium illis, non Ethnicos conuertendi, ſed Noſtros euertendi: Hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi iacentibus eleuationem operentur, &c. [Sic enim planè poſt cæteros Hæreticos Proteſtantes dant operam, vt Chriſtianos & baptizatos auertant à fide, quantũque poſſunt Chriſtianas gentes corrũpant: Sed quòd vllam Paganorũ gentem fecerint Chriſtianam, quis dixerit? Dicent hîc fortaſſe indocti eorum, Apoſtolos ipſos non modò cœpiſſe, ſed etiam compleuiſſe Conuerſionem omnium Gentium, vt nulla omnino iam conuertenda remanſerit: ſed omnes ſic ab Apoſtolis ſemel conuerſas iterũ apoſtataſſe, ac propterea fuiſſe eas à Proteſtantibus reformandas. Hoc (inquã) indocti fortaſſe dixerint. Docti enim Proteſtantes probè ſciunt, hoc dici non poſſe, tum quia non ignorant, repertum eſſe hac ipſa ætate noſtra Nouum Orbem (vt vocant) & in eodem plurimas Gentes, quas fortè Apoſtolorũ nullus adierat: tum quia ex Hiſtorijs præteritorũ temporũ didicerunt, ſingulis ferè ætatibus Gentes aliquas conuerſas eſſe, quas Apoſtoli non conuerterant: tũ etiam quia in ipſis Gentibus ſuis (verbi cauſa, Roma totaque Italia) Apoſtoli non niſi paucos conuerterunt, plenã omniũ conuerſionẽ tẽporibus longis procedentibus & multorũ ſuorũ Succeſſorũ ſucceſſiuis laboribus relinquẽtes. Hæc omnia doctiores nouerunt ex Hiſtorijs. Sed & indocti eadẽ poterunt è Scriptura ipſa cognoſcere: vbi Chriſtus Diſcipulis ſuis interrogãtibus, Quod ſignum *Matth. 24.* Aduentus tui [ad Iudicium] & Conſummationis ſeculi? ſic reſpõdit, inter cætera: Et prædicabitur hoc Euangeliũ Regni in vniuerſo Orbe, in teſtimoniũ omnibus Gentibus: & tunc veniet Conſummatio. Non igitur Apoſtolorũ tẽpore prædicatũ eſt omnibus Gentibus; quia ſic illo tempore veniſſet finis ſeculi. Ex quo etiam indoctiſſimi facillimè animaduertere poſſunt, non eſſe ſibi (modò, vt oues Chriſti, ſaluari cupiant animas ſuas) Proteſtãtes tanquam Paſtores audiendos, ſed vt Lupos & Alienos penitùs fugiendos: quia nimirum neque Apoſtoli, neque cæteri qui conuerſionem *Ioan. 10.* Gentium vel incœperunt vel compleuerunt, fuere Proteſtantes; vt patet ex hoc clariſſimè, quoniam Proteſtantes concedunt (& res manifeſta eſt) ſe in mundo non fuiſſe, aut ſaltem viſibiliter non fuiſſe totis ante Lutherum mille annis, vt minimum; cum tamen qui docent & baptizant Gentes, ij nunquam ante conſummationem ſeculi ab illo opere ceſſent

Matth. 24. ſecundum quod Chriſtus & hîc ante Paſſionem dixit: Prædicabitur om-
„ nibus Gentibus; & tunc veniet Conſummatio: Et ſuprà poſt Reſurre-
Matth. 28. ctionem: Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c. & ecce, ego
„ vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Quod
etiam D. Paulus manifeſtiſſimè teſtatus eſt, dicens, quòd Chriſtus aſcen-
Ephes. 4. dens dedit Paſtores & Doctores in opus miniſterij, donec occurramus
„ omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei: &c. Non enim tales ſunt
ſecundi Agricolæ, quales erant primi. Nam primi quidem, id eſt Sacer-
Luc. 20. „ dotes Iudæorum, Patrisfamiliâs tum ſeruos cæſos dimiſerunt inanes, tum
Mar. 12. „ vnum Filium chariſſimum occiderunt. Sed de ſecundis colonis, id eſt
Matth. 21. Paſtoribus & Doctoribus Chriſtianorum, dicitur, quòd reddent Patri-
„ familiâs fructum Vineæ temporibus ſuis. Et Scriptura propterea non
quemadmodum paſſim de Reprobatione Iudæorum, & vocatione om-
nium Gentium in eorum locum palàm teſtatur, ita vſquam rurſus de Re-
probatione omnium Gentium vel ad vnum diem aut horam, nedum ad
mille annos, verbum vllum dicit. ſed planè contrarium teſtatur, tum alibi
Act. 28. „ paſſim, tum vbi ad Iudæos auribus grauiter audientes, & oculos ſuos com-
„ primentes, nolentes conuerti & ſaluari, ait D. Paulus de Gentibus edi-
„ uersò: Notum ergo ſit vobis, quoniam Gentibus miſſum eſt hoc ſalutare
„ Dei: & ipſi audient. In vanum ergo ſurgunt Hæretici & moderni &
cæteri ſuis quique temporibus, tanquam ad reſtaurandam Eccleſiam
Gentium. Non enim vt Iudæi, ita etiam omnes Gentes vnquam Apo-
ſtatant. Non igitur magis quàm priores omnes Hæretici, Proteſtantes
ſe Reſtauratores Eccleſiæ, quippe quæ nunquam collabitur; ſed illos po-
tius (ſicut & omnes priores Hæretici, & ſicut videmus) ſe eſſe declarant,
1. Tim. 4. de quibus D. Paulus prædixit: Diſcedent quidam à fide. Quidam (inquit)
diſcedent, ſicut hoc tempore Proteſtantes, & alijs temporibus alij Hæ-
retici: ipſa nihilominus Chriſtianarum Gentium plenitudine in fide cō-
ſtanter & ſtabiliter permanente, & cæteris quoque Gentibus ad eandem
fidem ſe ſemper vſque ad conſummationem ſeculi aggregantibus, idque
Paſtorum & Doctorum miniſterio, qui eas docent atque baptizant.
Contra Eccleſiam inuiſibilem. quod omnes etiam cæci vident, non poſſe dici quòd inuiſibiliter fiat; &
propterea merum eſſe figmentum hominum comprimentium oculos
ſuos ne forte videant oculis, & conuertantur, atque ſaluentur, illud quod
Proteſtantes, vt quaſi eludant Scripturas de perpetua Eccleſiæ duratione
plurimas atque clariſſimas, excogitarunt de Eccleſia inuiſibili, quæ qui-
dem non magis Proteſtantibus, quàm omnibus alijs Hæreticis (vt cuncti
animaduertunt) vmbra ac tegumentum eſſe poteſt; vt, cùm eis dicimus,
quòd non

quòd non ſint ipſi Eccleſia Chriſti, quia non ſemper fuerunt, ſed nuper exorti ſunt, reſpondeant nobis & dicant, Se ſemper inuiſibiliter extitiſſe. Proh iſtam hominum perdere ſe volentium craſſiſſimam cæcitatem! vt velint Chriſtiani homines quorumlibet potiùs figmentis, iiſque tam ridiculis, quàm Chriſti manifeſtiſſimis verbis intendere! Quid enim manifeſtius ad Eccleſiam ſemper viſibilem exprimendam potuit Chriſtus dicere, quàm hoc eſt, Gentes nimirum credituras per miniſterium Baptiſtarum, Doctorum, atque Paſtorum; & cum talibus operarijs, omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi ſe futurum; vt ipſorum quidem plantatione, rigatione, ac cætero miniſterio, ſed eius dono & gratiâ proueniat incrementum, & reddantur fructus ſemper temporibus ſuis? Ob quam cauſam comparauit etiam Doctrinam quam per Apoſtolos & eorum ſucceſſores miſſurus erat in mundum, Semini ſeminato in agro, id eſt (inquit) in Mundo, nec illi verò, cùm creuiſſet herba, & fructum feciſſet, mox eradicando, ſed ſemper creſcenti, non minùs quàm zizania, vſque ad meſſem, id eſt (inquit) vſque ad conſummationem ſeculi: & tum demùm à meſſoribus, id eſt ab Angelis eradicanda eſſe in totum zizania, interim verò à Seruis plurima eſſe patienter toleranda, & triticum in eorum medio excolendum. Item, Sagenæ miſſæ in mare, id eſt in mundum, & ex omni genere, bonos ſcilicet & malos piſces, congreganti, quam nunquam rurſus educunt Piſcatores de mari, donec impleta eſſet, quod non fit antequam ad litus, id eſt, ad conſummationem ſeculi, veniant. Et tùm demum exire Angelos, & ſeparare malos de medio iuſtorum, interim verò Piſcatores (vt dixi) nunquam ab implendo ceſſare. Quoniam igitur ex his perſpicuum eſt, Eccleſiam & inceſſanter & viſibiliter congregari, quoniamque in confeſſo eſt, Proteſtantes totos mille (vt minimùm) annos, nempe à tempore S. Gregorij Papæ vſque ad apoſtaſiam Lutheri, non ſeminaſſe in agro, neque piſcatos eſſe in mari, neque alios vllos, niſi nos ſolos: neceſſariò conſequens eſt, neque Proteſtantes, neque alios vllos, præter nos ſolos, eſſe Seruos Chriſti, & Piſcatores Chriſti. Vnde qui volunt eſſe agricultura Chriſti, & piſces Chriſti, euidenter intelligunt, quibus Agricolis colendos, & cui Sagenæ congregandos tradere ſe debeant: non aliter vtique afferendi Chriſto in litore, niſi in illo Reti ſint, de quo ſcriptum eſt: Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus; & cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. nec aliter incorporandi Chriſto, niſi per illum, cui, oſtenſo Vaſe magno, dictum eſt: Surge Petre, Occide, & manduca.

1. Cor. 3. Matth. 13. Io. 21. Act. 10.

Quan-

Quanquam autem ex generali hac demonſtratione manifeſtiſſimè conſtet quod quærebamus, Qui ſint Apoſtolorum in opere couuerſionis Gentium ſucceſſores, vtrum nos, an Proteſtantes, an quilibet alij: tamen vt magis adhuc clareat, deſcendam ad particularia, & oſtendam apertiùs, noſtrum eſſe Semen quod ſemper eſt in agro creſcens atque fructum

Colloſſ. 1. faciens, id ipſum nimirum de quo D. Paulus ad Colloſſenſes dixit, quod „ peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit: [& noſtri Petri Sagenam eſſe quæ ſemper eſt in mari, congregans in fidem Chriſti Gentes omnes priùs in Paganiſmo natantes atque demerſas. ideóque non Proteſtantium, neque aliorum quorumlibet, ſed noſtrum ſolum eſſe Semen Chriſti, & noſtram ſolam Sagenam Chriſti eſſe.

Geneſ. 22. Ecce, promiſit Deus Abrahæ, Benedicentur in Semine tuo omnes

Gal. 3. „ Gentes terræ. Veniens igitur Semen, id eſt (interprete ipſo Paulo &

Act. 3. Petro) Chriſtus, emiſit Apoſtolos ad Benedicendum omnes Gentes, di-

Matth. 28. cens, Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c. [& promittens,]

Act. 1. „ Eritis mihi teſtes vſque ad vltimum terræ. Apoſtoli benedictionem iſtam ſeu Baptizationem Gentium incœperunt illi quidem, ſed non compleuerunt. Ecce enim, hac ipſa ætate noſtra inuentæ ſunt Gentes in Occidente, neque ab Apoſtolis vel quoquam alio baptizatæ, neque à nobis vel legendo vel fando priùs cognitæ, eæque tam multæ, vt Nouus Orbis nominetur. Hîc igitur apparebit facilè, qui ſint poſt Apoſtolos teſtes Chriſti vſque ad vltimum terræ, ſi inueſtigemus, qui ſint hoc tempore, „ qui dictas Gentes in Chriſto benedicant, docentes, & baptizantes eas in „ Nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Ergo Proteſtantes, his auditis tam multis Paganorum Gentibus, num ſe ad eas baptizandas accingunt? Num ſibi, quaſi teſtibus Chriſti vſque ad vltimum terræ, reſtare adhuc ante conſummationem ſeculi laborem hunc exiſtimant? Num negocium hoc ad ſe putant pertinere? Denique nónne hinc perſpicuum eſt, eos eſſe (quales Tertullianus dixit omnes Hæreticos) Noſtrorum euerſores, & non Ethnicorum conuerſores? Caluinum quidem ad captandam hanc gloriam miſiſſe quoſdam ſuorum comminiſtrorum in particulam quan-

Villegag. aduer. Richerum. dam dicti Orbis, in Franciam nempe Antarcticam, intelligo. Sed Proteſtantem quemuis quis audiuit vnquam de vllo Ethnico ibi ab eiſdem conuerſo gloriantem? Ipſi Thraſones Apologetici noſtri, qui de commiſto migmate ſuo, Euangelio ſcilicet Lutheri, Caluini, & cæterorum huius temporis Hæreſiarcharum omnium, quaſi vno, cum tamen ſit diuerſiſ-

Apologia Eccleſ. Anglicanæ. ſimum, illud in Apologia Eccleſiæ ſuæ Anglicanæ arrogantiſſimè & ſimul (niſi fortè, vt Caïphas, quod non ſenſerunt, prophetauerint) mendaciſ-

ſimè di-

ſimè dicunt, Omnem iam propè terrarum Orbem aperire oculos ad aſpiciendam lucem, ſi quid habuiſſent de Caluiniſtis ſuis in Nouo Orbe gloriari, num id tacere potuiſſent? Contrà verò Noſtrorum ibi Religioſorum ſeu Monachorum ordinum S. Dominici, S. Franciſci, & Societatis Ieſu, prædicatio: nec ibi ſolùm, id eſt in Nouo Orbe Occidentali, verumetiam in multis locis Africæ, & plurimis locis Orientis ſiue Indiæ, vſque eò dum Luſitani per Meridiem in Orientem, & contrà Hiſpani in Occidentem remotiſſimè nauigantes, vtrique demum, circumito Orbe terræ, in extremitate concurrerint; quem etiam circumitum Nauis eorum vna (cui ob id Victoriæ nomen datum eſt) aliquando confecit: Noſtrorum igitur hominum in his omnibus locis prædicatio, quem fructum habuerit, & quotidie habeat, hoc palam & manifeſtè declarat, quòd hac ipſa ætate noſtra, paucis annis (quemadmodum in Hiſtorijs Eccleſiaſticarum rerum, & nouarum Nauigationum noſtri temporis videri poteſt) Deo mirabiliter adiuuante, atque (vt apparet) conſummationem Mundi per tam fælicem Euangelij ſui velocemque ſucceſſum accelerante; plurima ibi Regna, cognitione & fide Chriſti, ampliſſimaſque Prouincias, longiſſimè atque latiſſimè repleuerunt. ita vt de Prouincijs Regis Hiſpaniæ (Similia autem & de Prouincijs Regis Luſitaniæ referuntur) Surij Commentarius, alijs quoque multis Hiſtorijs conteſtantibus, ita ſcribat: Tot autem hominum millia in illo Nouo Orbe Carolino (ſic enim vocant) Chriſti fidem complexi ſunt, quantum eſſe poſſit in hoc Veteri Orbe noſtro: In ſolo Regno Mexicano [paulò autem antè dixerat, Octodecim Reges & prouincias totidem ſubiugatas ibi eſſe Carolo Quinto, & Religione Chriſtiana initiatas] iampridem fuere octoginta ſanctiſſima Monaſteria: & in dies plura fiunt. Et non multò pòſt repetens ab initio Conuerſionem eorum: Et quidem [inquit] anno Salutis 1524. venit in Ciuitatem Mexicanam [habet ea vnica Vrbs, vt paulò antè dixit, centum viginti millia ædium] frater Martinus Valentinus cum duodecim Monachis, tanquam Vicarius Papæ à Carolo Cæſare illuc cum authoritate eiuſdem Pontificis miſſus: eodemque anno prædicauit ille in Noui Orbis terra continente Euangelium Chriſti, & magnos illic progreſſus magnaque incrementa fides Chriſti accepit. &c. Baptizabantur illic multa hominum millia, &c. Inde verò paucis annis tot baptizabantur in ea Noui Orbis plaga, vt alij ſeptiès dena centena millia, alij quaterdeciès dena centena hominum millia in ſolo illo Mexicano regno baptizata retulerint. Magna etenim in eo Noui Orbis tractu eſt hominum copia,

Ioan.

Vide Moti. 45.

Surius ad An. Dom. 1558.

Apoſtoli Noui Orbis.

S adeo vt

„ adeò vt in Inſula Fani Diui Dominici quindeciès centena hominum
„ millia fuiſſe reperiantur, & quandoque in Proceſſione centum millia ho-
„ minum ſe Chriſtiano more cæciderint virgis. Et poſt pauca iterum : Et
„ certum eſt [inquit] omnes Indos & Noui Orbis Carolini incolas & ac-
„ colas, fieri quotidiè magis ac magis Chriſtianos. Et, In archiuis [inquit]
„ Caroli Cæſaris lectum eſt, vnum quendam Sacerdotem ſeptiès centena
„ hominum millia baptizaſſe: alium ter centum millia, alium centum millia:
„ alios plures, alios pauciores. In ſolo Mexico referunt multi ſumma fide
„ digniſſimi triginta fuiſſe [ſub Rege] dynaſtas, quorum quilibet habuerit
„ ſub ſe centum millia hominum, aut circiter; & tria millia Toparcharum,
„ qui & alios ſub ſe haberent, &c. Et, quod dictu horrendum eſt, mille
„ plerunque homines vno die in ciuitate Mexicana immolabantur.
„ Sed omnia Idola exturbata ſunt, Dæmonibus ſilentium indictum, ora-
„ cula & præſtigiæ conticeſcere iuſſæ ſunt, pluralitas vxorum in vnius
„ conſortium redacta, ſeptem illis Sacramenta & cæteri Romanæ Eccleſiæ
„ ritus reuerenter traditi ſunt, &c. Ex quibus omnibus facilè videmus,
quàm incomparabiliter plura acquiſiuerit & in dies acquirat in illis Terris
Eccleſia, quàm per Hæreticos in his noſtris terris Prouincijſque perdi-
derit: vt verè potuerit Caiphas dicere (quicquid interim ipſe ſenſerit)
Omnem iam propè terrarum Orbem aperire oculos ad aſpiciendam
lucem.

Quanti autem ad litem inter nos & Proteſtantes de Religione diri-
mendam ſit momenti hæc iſtorum Populorum ad Religionem noſtram
Catholicam à Paganiſmo Conuerſio, etſi ſapientes & ſalutis cupidos mo-
nere non eſt opus, tamen vt etiam tardiores intelligant; cogitent velim
& conſiderent, primùm quàm ſit inter Proteſtantes altum de hac re ſi-
lentium, ita vt Sleidanus, cum profiteretur Hiſtoriam ſcribere rerum in *Sleidanus Caluiniſta.*
Orbe geſtarum, maximeque pertinentium ad Religionem, & præſertim
ſub Carolo quinto, tamen de Nouo iſto Carolino Orbe, & Religione
ibi tam mirabiliter propagata verbum (quod obſeruari à doctis potuit)
nullum ſcripſerit. Vnde autem tam profundum hoc & tam perfidum ſi-
lentium, niſi quia conſcientia teſte vident, vulnus hinc lethale, adeoque
lethum ipſum infligi Religioni ſuæ? Quâ ipsâ ipſius rei conſcientiâ qui- *Pſeudoconcionatores in Anglia.*
dam etiam in Anglia Demagogi, etſi rem ipſam pro concione non ſilent,
tamen de Religionis quæ ibi propagatur genere ſceleratè diſſimulant, vel
potiùs diabolicè mentiuntur, vt ſimplicem popellum fallant dicentes,
Inſtare iamiam finem ſeculi, Euangelium enim (nam ſic loquuntur)
prædicari nunc apud Indos ipſos, & vltimos fines terræ. Quod Euan-

gelium,

gelium, obſecro te? Num Lutheri, aut Caluini, aut denique tuum? Cur diſſimulas? Cur mentiris? Cur populum decipis; ſicut Magiſter tuus transfigurat ſe in Angelum lucis, ita te & reliquos miniſtros eius transfigurans in miniſtros iuſtitiæ? Non enim ignoras, ſed ſcis, & tabeſcis conſcientiâ, quòd Catholici & Monachi ſint qui iſthìc prædicant, & Catholicum Euangelium quod diſſeminant & propagant. Quod quidem ſi tibi apud Indos Euangelium ſit Chriſti, ipſiſſimum de quo ille dixit, Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus Gentibus: & tunc veniet Conſummatio: quid fecit Roma, quæſo te, cur illic idem non ſit idem? Præcogita, moneo te, & exhorreſce, quod abſque pænitentia olim auditurus es, De ore tuo te iudico ſerue nequam. *2. Cor. 11.* *Matth. 24.* *Luc. 19.*

Conſiderent rurſus omnes (vt huius argumenti pondus magis adhuc perſpiciant) & ex temporum præteritorum memoriâ repetant, ſolenne hoc Domino noſtro Ieſu Chriſto eſſe; quibuſdam Gentibus à fide diſcedentibus, alias, & ſæpe multò plures (pro diuina ſua clementia, & in manifeſtam veritatis confirmationem) in earum locum ſubrogare. Itaque non ſolùm hoc tempore, paucis quibuſdam Latinorum Gentibus ex parte recedentibus, & ad Lutherum ac cæteros transfugientibus, tam multas per Orientem, Meridiem, & Occidentem Gentes in ipſam fidem ab iſtis deſertam vocat: verumetiam olim ſimiliter, multis Græcorum & aliorum gentibus varijs temporibus ad varias hæreſes & demum ad Turciſmum Mahometis ſe à fide & Eccleſia Chriſti transferentibus; varias ediuersò alias Gentes, & noſtras maximè Septentrionales, Anglos, Longobardos, Francos, Germanos, Bulgaros, Roſcos, Polonos, Hungaros, Danos, Sueuos, Pruſſos, Lithuanos, multaſque alias, nonnullas quoque ante has omnes, vocauit ad fidem: iſtam quaſi captans & obſeruans occaſionem implendi verbum ſuum, quo promiſit & prædixit, Euangelium ſuum ante finem ſeculi prædicatum iri in vniuerſo mundo, in teſtimonium omnibus Gentibus. Qua etiam ipſa occaſione vſus eſt ſecundum Scripturas (quarum ego aliquas ſuprà citaui) conuertendi Apoſtolos & Euangelium ſuum à Iudæis incredulis ad Gentes. Et quemadmodum illud Apoſtolorum factum peſſimè habuit Iudæos inuidos atque perfidos, ita & Hæreticos ſemper temporibus conſequentibus male habuerunt ſimiles labores eorum qui Apoſtolis in eodem opere ſucceſſerunt; ſicut & nunc ſimilia videntes Proteſtantes inuident ac tabeſcunt. Nihilominus vt Apoſtolis contra Iudæos, ita & eorum Succeſſoribus contra quoſlibet Hæreticos ſemper erant in promptu defenſiones è Scripturis. Vnde & contra Iudæos, & contra Hæreticos omnes argumentum & pro Chriſto, *Matth. 24.*

& pro fide Catholica habitum eſt ſemper maximum iſta Conuerſio Gentium: ita vt Chriſtus tum demum voluerit Hieruſalem & Iudæos tam dirum in modum (quem Ioſephus Iudæus & oculatus teſtis conſcripſit) per Romanos excindi, poſtquam per quadraginta à Paſſione ſua annos plurimis Gentibus audientibus & credentibus, Iudæi neque ſic pœnitentiam

Matth. 21. agere & credere voluerunt. Vnde etiam dixerat eiſdem ipſe: Venit ad vos
" Ioannes in via iuſtitiæ: & non credidiſtis ei. publicani autem & meretri-
" ces crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuiſtis poſtea,
" vt crederetis ei. Ex quo mox de eis ſequitur in Parabola: Malos malè per-
" det: [videlicet per Romanos, & poſtea magis in Iudicio.] & vineam ſuam
" locabit alijs Agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis. Quamobrem ſicut Iudæi Romanos, & ſicut Græci Turcas, & ſicut alij hæretici alia Dei flagella, ita & Germani cæteræque noſtræ nationes Proteſtantium apoſtatantes à fide quam tam multæ Gentes Ethnicorum his ipſis diebus amplectuntur, & videntes hoc oculis ſuis, neque ſic poſt tam longam Dei patientiam agentes pœnitentiam, & credentes, meritò expectare debent & ipſi in capita ſua Turcas vel alios aliquos Dei vindices; &

Ibidem. " maximè in futuro Lapidem illum qui de ſe Iudæis dixit, Super quem verò cecididerit, conteret eum. Omnino enim agunt illi nunc in Conuerſione Gentium, ſicut tunc Iudæi. de quibus, defendente ſe eis S. Paulo Ieroſolymis in catenis quibus eum ab eorum violentijs ereptum Tribunus

Act. 22. " alligauerat, & dicente, Factum eſt autem reuertenti mihi in Ieruſalem,
" & oranti in Templo, fieri me in ſtupore mentis, & videre Ieſum dicen-
" tem mihi, Feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem: quoniam non recipient
" teſtimonium tuum de me, &c. Et dixit ad me, Vade, quoniam ego in
" Nationes longè mittam te: [ſubiungit Lucas:] Audiebant autem eum vſ-
" que ad hoc verbum; & leuauerunt vocem ſuã, dicentes [Tribuno,] Tolle
" de terra huiuſmodi: non enim fas eſt eum viuere. [Sed ipſe Paulus nihilominus, miſſus poſtea à Tribuno ad Felicem Præſidem, & ab eo poſt biennium in vinculis relictus ſucceſſori eius Portio Feſto, demum coram Agrippa Rege hanc ſuam Gentibus prædicationem contra crudeliſſimos

Act. 26. " accuſatores Iudæos è Scripturis defendit: His qui ſunt Damaſci primùm,
" & Ieroſolymis, & in omnem regionem Iudææ, & Gentibus annuntiabam
" vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ
" opera facientes. Hac ex cauſa me Iudæi cùm eſſem in Templo, com-

Act. 21. " prehenſum tentabant interficere. Auxilio autem adiutus Dei, vſque in
" hodiernum diem ſto; teſtificans minori atque maiori, nihil extrà dicens
" quàm ea quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes, Si paſſibilis

Chriſtus,

Chriſtus, Si primus ex reſurrectione mortuorum, Lumen annuntiatu- “
rus eſt Populo & Gentibus. [Qui & alibi de eiſdem Iudæis ob eandem
eorum malitiam & inuidiam dicit:] Et Dominum occiderunt Ieſum, *1. Theſ. 2.*
& Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus “
hominibus aduerſantur, prohibentes nos Gentibus loqui vt ſalui fiant, “
vt impleant peccata ſua ſemper. [Sic Iudæi, parentes in hoc Proteſtan-
tium noſtrorum, qui & ipſi prohibent nos qui ſoli (vt ex hoc Motiuo
liquet) D. Paulo in hoc opere ſuccedimus, & idem Euangelium (ſicut
tum ex hoc, tum ex alijs ſingulis Motiuis huius Libri conſtat) prædi-
camus, loqui Gentibus vt ſaluentur: vt (præter alia multa) declarat
memorabile illud Martyrium 40. Sociorum Nominis Ieſu An. Dom. *Epiſtolarum*
1570. qui miſſi in iſtam copioſiſſimam Domini meſſem de qua loqui- *Indicarum vltima.*
mur, & in itinere incidentes in nauem Caluinianam, varia martyrio- *1572. Pa-*
rum genera pertulerunt, clamante Iacobo Soria maritimæ rei pro *riſiis. Surius ad*
Nauarræ Regina Præpoſito, & hortante ſuos, Interfice, interfice, quo- *An. Dom.*
niam ad praua dogmata diſſeminanda Braſiliam petunt. An igitur Euan- *1571. vbi & de aliis*
gelium Chriſti continet praua dogmata? Nam ſi non ſit Euangelium *Martyribus*
Chriſti quod ſeminamus, reſpondeant Caluiniſtæ huic Motiuo, & *12.*
oſtendant nobis alios Euangelij Chriſti inde ab Aſcenſione eius (ſe-
cundum Scripturas) vſque ad ſeculi conſummationem in omnibus
Ethnicorum gentibus ſeminatores. Tabeſcant igitur licèt inuidia & odio
cum Iudæis Proteſtantes, exultamus Catholici in Domino plurimùm
& gaudemus, audientes labores chariſſimos & fructus feliciſſimos Re-
ligioſiſſimorum fratrum & Patrum noſtrorum, operariorum Domini:
eodem in nobis nunc operante Spiritu, & in Maioribus noſtris Eccleſiæ
Primitiuæ, de quibus in exemplum noſtrì ſcriptum eſt: Pertranſi- *Act. 15.*
bant [Paulus & Barnabas] Phænicen & Samariam, narrantes Conuer- “
ſionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. “
Et rurſus: Et cum veniſſemus Ieroſolymam, libenter exceperunt nos *Act. 21.*
fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiſcum ad Iacobum, “
omneſque collecti ſunt Seniores. Quos cùm ſalutaſſet, narrabat per “
ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ipſius. “
At illi cum audiſſent, magnificabant Deum. [Et nos igitur ſimilia, “
& multo etiam maiora, in diebus noſtris audientes, ſimiliter ma-
gnificamus Deum, non ſolùm propter fidem Chriſti & ſalutem in
tam innumerabiles hominum, priùs Idololatrarum, nunc fratrum
noſtrorum, Myriadas dilatatam; verumetiam propter fidem & Re-
ligionem noſtram quam Deſertores blaſphemare non verentur,

 per hoc

per hoc ipſum diuinitus confirmatam ; idque eo ipſo argumento longè ſoliſſimo, quo Chriſtum ipſum contra Iudæos & Paganos, & eandem fidem noſtram (licèt in alijs eiuſdem Articulis) olim varijs temporibus contra alios Deſertores atque Hæreticos, confirmatam eſſe ſcimus. Hinc enim D. Paulum in breui congerie maximorum argumentorum, quibus
1. Tim. 3. oſtendit, manifeſtè ſeu ex confeſſo magnum eſſe Pietatis ſeu Religionis Chriſtianæ & Incarnationis Diuinæ myſterium, videmus inter cætera hoc vrgentem, quòd prædicatum eſt Gentibus ; &, creditum eſt in Mundo. Hinc etiam S. Chryſoſtomum quadringentis ferè annis poſtea legimus oſtendentem Iudæis Diuinitatem Chriſti, dum eos confidentiſſimè
Chryſoſt. cõ. his verbis appellat : Confer mihi iſta, ô Iudæe, &c. Quis impoſtor tot
Iud. Orat. 2. „ Eccleſias toto terrarũ Orbe parauit? quis ab extremis ad extrema mundi
„ cultum ſuum protulit? quis omnes ſubiectos habuit, &c? Quod ſi vides
„ illa clariſſimè eueniſſe, inque dies ſingulos augeſcere, neque Inferorum
Matth. 16. portas aduerſus Eccleſiam præualere, &c. cur quæſo te, [& cætera quæ ſuprà in ſecundo Motiuo plenius recitaui, vbi Eccleſiæ Inuincibilitatem explicaui ; hìc autem eiuſdem nudam Aedificationem ſeu Propagationem tracto. Ex hac igitur etiam, & non ex illa ſolùm, magnitudinem Chriſti probat Iudæis poſt D. Paulum Chryſoſtomus. Nec Iudæis ſolùm, ſed
Cõ. Gentil. quod Chriſtus ſit Deus. etiam Gentilibus hoc modo : Dicet vtique Gentilis, vnde manifeſtum eſt, quòd Chriſtus ſit Deus? [Reſpondet poſt pauca, id ei demonſtran-
„ dum eſſe hinc ;] quod Chriſtianorum genus plantauit Chriſtus. Neutiquam
„ enim contradicet [inquit] quòd omnes vndiquaque Eccleſias Orbis
„ Chriſtus fundarit. Hinc [igitur, inquit] faciemus demonſtrationem vir-
„ tutis Chriſti, & oſtendemus ipſum Deum. Etenim non eſt puri homi-
„ nis, Orbem terra marique tam breui comprehendere, &c. nec contradi-
„ cet, quòd quotidiè prædicatio increſcit, & floret : non hic ſolum, ſed &
„ apud Perſas, &c. Ad hæc, non ſimpliciter contigerunt hæc omnia, ſed
a Iſa. 52. multò antea prædicta ſunt, &c. nec ſolùm habemus, quòd [a] illi [prædica-
pſalm. 67. b pſal. 18. tores] mittendi erant, ſed etiam [b] quòd in totum Orbem peruenire de-
Pſalm. 2. beat prædicatio, &c. Et quòd prædicatio vbique increſcat, audi ; Poſtula
„ à me, & dabo tibi Gentes &c. & Terminos terræ, &c. Et, Implebitur
Iſa. 11. „ omnis terra, &c. Et facilitas obedientiæ docetur, Non docebit vnuſquiſ-
„ que proximum ſuum, &c. [Et hæc omnia loco ſupradicto pleniùs recitaui. Eant igitur Proteſtantes, ſi infirmum ſit pro veritate argumentum quod à Conuerſione Gentium ducitur, & pro Iudæis Paganiſque reſpondeant non inde probari Diuinitatem Chriſti, ſed Chriſtum (quod horreo dicens) eſſe mendacem, quia non impletur Conuerſio omnium Gentium,

quam

quam ille prædixit. Eſt'ne qui maiora à nobis fidei noſtræ Catholicæ Motiua deſideret? Nam quod D. Paulo cæteriſque Maioribus noſtris Chriſtus Deus dedit argumentum, quo probarent contra Iudæos & Ethnicos Diuinitatem eius, ipſum nobis dedit argumentum quo probemus contra Proteſtantes Catholicam fidem noſtram: quæ ſi non probetur, nec eodem Diuinitas Chriſti probatur. Sed probatur & hæc & illa per ipſum, ita vt neque Iudæi cum Ethnicis, neque Proteſtantes valeant refutare. Sicut & eodem argumento contra alios Hæreticos, diuinitus ſibi ob id conceſſo, olim Maiores noſtri ſimiliter vſi ſunt. Hinc enim B. Victor contra Arrianos in Africa, cùm narraſſet quomodo eorum Rex Vandalicus Genſericus Catholicos poſt tormenta varia relegaſſet, & Gentili Regi Maurorum nomine Capſur tradi curaſſet, vt apud eum inter Paganos exularent, hoc porrò adijcit: Videntes igitur Chriſti Diſcipuli [id eſt Catholici prædicti] multa apud Gentiles & illicita ſacrificiorum ſacrilegia, cœperunt prædicatione & conuerſatione ſua ad cognitionem Domini Dei noſtri Barbaros inuitare: Et tali modo ingentem multitudinem gentiliũ Barbarorum Chriſto Domino † lucrauerunt, vbi antea nulla fama Chriſtiani nominis fuerat diuulgata, &c. Mittunt legatos ad ciuitatem Romanam: Rogatur Epiſcopus, vt Presbyterum & Miniſtros credenti populo deſtinaret. Explet cum gaudio quod petebatur Pontifex, Dei conſtituitur Eccleſia, baptizatur multitudo maxima Barbarorum, & de lupis grex fœcundus multiplicatur agnorum. [Sic Catholici: ſed quid tum Arriani?] Hoc Genſerico relatione ſua nunciat Capſur. De qua re † ſurgens inuidia iubet famulos Dei ligatis pedibus poſt terga currentium quadrigarum, inter ſpinoſa loca ſyluarum pariter interire, &c. [Hinc etiam multò antè contra eoſdem Hæreticos Arrianos, cum narraſſet Ruffinus, infinitum numerum Barbarorum vlterioris Indiæ conuerſum ad fidem mirabiliter per Frumentium quem Athanaſius eò deſtinarat Epiſcopum; vt pondus adderet argumento, poſtea ſubiungit, Quæ nos ita geſta, non opinione vulgi, ſed ipſo AEdeſio Tyri Presbytero poſtmodum facto, qui Frumentij comes priùs fuerat, referente cognouimus. [Quod ipſum de Ruffini ſcientia; & Socrates eandem Hiſtoriam narrans, non prætermiſit vrgere. Sicut & in alia ſimili hiſtoria quæ poſt Athanaſij mortem contigit, facit. Lucius Arianæ partis Epiſcopus [inquit Ruffinus] continuò [poſt mortem Athanaſij, & ſucceſſionem Petri] aduolat [Alexandriam] tanquam lupus. Valens [autem] Imperator [Arianus, vt dicit Socrates] lege ſanciuerat, vt in eos tum qui Alexandriam, tum qui Aegyptum incolebant, perſecutio concitaretur.

Vict. de perſec. Vand. li. 1. fol. 8.

† lucrati ſunt,

† for. inuidia gens.

Ruff. li. 1. cap. 9. Soc. li. 1. cap. 15.

Soc. li. 1. cap. 15.

Soc. li. 4. cap. 19. Ruff. li. 2. cap. 3. 4.

Primò

» Primò igitur ingreſſu Lucij [inquit Ruffinus] tanta & tam turpia in virgines & Continentes Eccleſiæ geſta ſunt, quæ nec in perſecutionibus » Gentilium memorantur. Inde poſt fugas ciuium & exilia, poſt cædes & » tormenta, flammaſque quibus innumeros confecerat, ad Monaſteria furoris ſui arma conuertit. Tria millia ſimul (aut eo amplius) viros per » totam Eremum ſecreta & ſolitaria habitatione diſperſos, oppugnare pariter aggreditur, &c. Per idem tempus Patres Monachorum, &c. Macarius, & Iſidorus, aliuſque Macarius, atque Heraclides, & Pambus, Antonij diſcipuli, &c. habebantur, &c. Quæ præſens vidi loquor, & eorum » geſta refero, quorum in paſſionibus ſocius eſſe promerui. Deinde poſt quædam eorumdem narrata miracula: Sed in his omnibus [inquit] Lucius non erubuit, nec aliquid reuerentiæ virtutum mirabilibus detulit: » quin imò iubet Patres ipſos ablatos à grege ſuo, imò clàm raptos, in inſulam quandam AEgypti paludium deportari, in qua compererat neminem prorſus eſſe Chriſtianum, quò per hoc vel abſque ſolatijs, vel abſque » conſuetis actibus viuerent. In qua inſula [inquit Socrates, qui reliqua » narrat paulò breuius quam Ruffinus] erat Delubrum, & Sacerdos quem » omnes incolæ pro deo venerabantur. Cùm iſti ſancti viri in eam eſſent » ingreſſi, omnia dæmonia quæ ibi verſabantur, præ metu & terrore cœpere » exhorreſcere, &c. Sacerdotis filia à dæmonio ex improuiſo occupata, ſupra modum furere, reſque omnes diſturbare cœpit, neque eius rabies vlla » ratione comprimi ſedaríue potuit, ſed contra eos viros grauiter vociferata eſt ad hunc modum: Cur huc veniſtis ad nos abigendos? Itaque » ſancti illi, &c. dæmonem ex virgine eijciunt, eam patri tradunt ſanam » & valentem, Sacerdotem & omnes Inſulæ habitatores ad fidem Chriſtianam traducunt. Extemplò igitur commutatâ Religionis formâ, omnes » baptizati ſunt, & doctrinam Chriſtianam lubentibus animis didicerunt. Ex quibus infert Socrates quos nos quærimus, dicens: Qua re diuini » illi viri propter fidem Conſubſtantialis grauiter & acerbè exagitati, cùm » illi ipſi magis probati facti ſunt, tum alijs ſalutem dederunt, tum denique Fidem illam effecerunt multò firmiorem. [In quem finem vterque,

Ruf. li. 2. cap. 6. Ruffinus & Socrates, aliam quoque Hiſtoriam poſtea narrat, de Moſe *Soc. li. 5. cap. 29.* monacho à Saracenis Epiſcopo expetito, qui non à Lucio Ariano prædicto, ſed à Catholicis exulibus Epiſcopis voluit ordinari. Quo etiam ſpectant verba Dionyſij Alexandrini apud Euſebium longè his omnibus *Euſ. li. 7. Eccl. Hiſt. cap. 10.* antiquioris, quibus in Germanum ſuæ ætatis Epiſcopum, qui illius famam maledictis lædere tentaſſet, inuehitur, narrans quas eſſet ipſe cum ſuis paſſus ſub Valeriano Imp. perſecutiones ab AEmiliano præfecto:

Iuſſit [inquit] vt in pagum nomine Cephro, prope locum quendam «
deſertum ſitum, rectà abſcederemus, &c. Ad Cephro autem non exi- «
guus cœtus nobiſcum vnà migrauit, tum fratrum qui ab vrbe nos ſeque- «
bantur, tum aliorum qui ex reliqua AEgypto conuenerant. Atque ibi «
Deus quaſi ianuam ad verbum ſuum prædicandum nobis patefecit. Ac «
primùm, quanquam perſecutione eramus [à Paganis] diuexati, & lapi- «
dibus obruti: poſtea tamen non parua Gentium multitudo, idolis re- «
lictis, ad Deum colendum ſe conuertebat. nam tunc primùm verbum «
Dei, quod nunquam antea accepiſſent, per nos inter eos diſſeminatum «
fuit, &c. Hæc omnia (poſſent autem & alia multa ſimilia produci) in medium protuli, vt his exemplis videant omnes, ipſi quoque Proteſtantes, niſi malint cæci & reprobi eſſe, quàm validum ſit argumentum quod ex præſenti tam innumerabiliũ populorum in Nouo Orbe & alibi Conuerſione per Noſtros, dat nobis Deus his diebus noſtris contra modernos omnes Hæreticos: idem videlicet argumentum, quo ſimiliter Chriſtum ipſum, & fidem Catholicam olim ſæpiſſimè diuinitus confirmauit: omnibus per hoc palàm & apertè demonſtrans, quinam ſemper ſint, ſi recipere velint (reclamantibus licèt Hæreticis & contumelioſiſſimè blaſphemantibus) quos ipſe, poſt Apoſtolos ſuos, à Ieruſalem teſtes ſuos ad omnes Gentes vſque ad vltimum terræ miſit & mittit in mundum. *Act. 1.*

Iam licèt iſta ſatis ſuperque ſint, tamen vt adhuc etiam argumento ſeu Motiuo huic lucem & pondus addamus: Ecce, præter iſtas tam multas Gentes quæ à noſtris hodie conuertuntur, intra hos mille annos & aliæ quoque Gentes plurimæ atque ampliſſimæ ſunt conuerſæ; † Angli, Longobardi, Franci, Germani, Bulgari, Roſci, Bohemi, Poloni, Hungari, Dani, Sueui, Pruſſi, Liuones, Lithuani, & quædam aliæ. De his igitur rogo etiam, per quos conuerſæ ſint? per Proteſtantes, an per nos? Conſtat autem tam clarè, quòd per noſtram Catholicam Romanam Eccleſiam ſint & hæ conuerſæ; & quòd receperint ſingulæ omnem Doctrinam & Religionem noſtram, & ſingulas partes eiuſdem, tanquam corpus integrum & articulos ſingulos ipſius Euangelij Chriſti; & quòd quibus temporibus ſic eadem receperunt, ac nunquam antea, ob id ipſum vocatæ fuerunt Chriſtianæ, atque in cunctis Hiſtorijs notatæ ipſis ſe temporibus ad Chriſtum conuertiſſe: vt neque Proteſtantes iſta aut velint, aut valeant denegare. Nos igitur, & nos ſoli, non modò hoc tempore in Nouis Gentibus, verumetiam hos totos mille annos, idque in tam multis Gentibus longiſſimis & latiſſimis, Chriſtum diſſeminauimus, ipſorum quoque hoſtium confeſſione: eſtque adhuc quiſquam qui

† De Anglia vide Moti. 11.

Act. 1. videre non vult, qui ſint Chriſti teſtes in omnes Gentes, & vſque ad vltimum terræ?

Aſcendamus porrò adhuc ad Gentes illas, quæ ante hos mille annos, ipſis poſt Apoſtolorum mortem quingentis annis conuerſæ & baptizatæ ſunt: quo in numero ſunt Italia, Gallia, Hiſpania, Britannia noſtra, Hibernia, Africa, AEgyptus, Græcia, Macedonia, & Iudæa ipſa, Syria ſeu Aſſyria, aliæque Aſiaticæ Gentes plurimæ, cum cæteris omnibus quas vel ab Apoſtolis inchoatas alij poſtea conſummarunt, vel à nullo præparatas ipſi poſteri primitus conuerterunt. Itaque & de his rogo, vtrum per Proteſtantes, & ad Euangelium Proteſtantium conuerſæ ſint? Imò an non ſit euidentiſſimum, ad Euangelium noſtrum, & per Eccleſiam noſtram, has etiam, ſicut cæteras quas prædixi, fuiſſe conuerſas? Longum eſſet, per ſingulos articulos Fidei Religioniſque diſcurrere: Et ne
Moti. 11. exemplo eius generis planè deſim, faciam id (ſed in alio Motiuo) in vna Britannia noſtra: in qua ſigillatim inter ſe conferam Conuerſiones duorum Populorum, qui ibidem hodieque extant, Anglorum meorum qui mille circiter abhinc annis ad Religionem noſtram, ipſam quam hodie profitemur, ipſis Proteſtantibus negare non audentibus nec valentibus, conuerſi ſunt; & veterum Britonum qui quibuſdam antè ſeculis ſunt conuerſi. quos per Dei gratiam euidenter oſtendam, ad eandem prorſus Fidem quæ poſtea erat Anglorum, & hodie omnium Catholicorum eſt, fuiſſe conuerſos. Hoc ibi (exempli cauſa) faciam luculenter & diſtinctè; vt videant ex eo omnes, idem fuiſſe horum mille annorum, & priorum quingentorum, ac non aliud, Euangelium. Nunc autem id ipſum generalibus quibuſdam rationibus, iiſque ſolidiſſimis demonſtraſſe ſufficiet.

Primùm igitur (præter rationes in hoc Motiuo hactenus à me tractatas) ſi non fuerit idem Euangelium vtrorumque temporum, nominent nobis Prteſtantes, quia ſunt in Hiſtorijs verſatiſſimi, Romanum Pontificem, qui antiquum Euangelium demutarit: ita vt Deceſſores eius vnum Euangelium ad primas Gentes miſerit; ipſe autem cum Succeſſoribus ſuis ad Gentes poſteriores Euangelium aliud deſtinarit. Certum eſt, quòd Pontificem huiuſmodi nominare non poſſint. & oſten-
Moti. 45. dam ego inſuper in alio Motiuo, Romanos inde vſque à Petro & Paulo Euangelium idem hactenus cuſtodire. Secundò, ſi aſſerere audeant non fuiſſe idem ſemper Euangelium, ſed aliud hodie & his præterea mille annis, aliud cæteris quingentis annis: rogentur velim, vtrùm quæſtiones noſtras per Religionem Africæ quæ tunc conuerſa

fuit,

fuit, conſentient terminare? Religionem autem Africæ (vt nouerunt) ex Scriptis antiquiſſimorum Afrorum, vt Tertulliani, Cypriani, Auguſtini, & aliorum, quæ fuerit, intelligimus: Sed certum eſt, quòd nec illius Religionis exemplo ſtare conſentient. Nihil enim ibi inueniunt Proteſtanticum, ſed omnia noſtra, vſque ad ipſum Corporis Chriſti Sacrificium Propitiatorium pro viuis atque defunctis & in honore Sanctorum; quod ſi negare audeant, facillimum eſt probatu. Vnde rurſus perſpicuum eſt, ſicut poſteriorum, ita primarum illarum Gentium Conuerſores, non fuiſſe Proteſtantes, ſed noſtros. Tertiò, illorum etiam temporum atque Gentium Apoſtoli plerique, ita non fuerunt Proteſtantes, vt fuerint etiam Monachi, quo nihil poteſt Proteſtantibus magis eſſe contrarium: omnes autem fuerunt Sacerdotes & Epiſcopi, quorum tunc Ordines ſeu Sacerdotium oſtendam in alio Motiuo fuiſſe alios prorſus ab Ordinibus Proteſtantium, eamque rem tanti eſſe in Religione momenti, vt aliam penitus Religionem, aliam Legem, aliud Euangelium inſinuet ac importet. in alio item Motiuo oſtenſurus, ipſos etiam Monachos illorum temporum eiuſdem fuiſſe generis, cuius & hodie ſunt Noſtri. De Monachis autem tunc Gentium & Eccleſiarum Apoſtolis exempla ſunt à me pauloantè cōmemorata Monachorum AEgypti qui ab Arrianis pulſi Monaſterijs ſuis & in quandam Inſulam relegati, eandem ad Chriſtum à Dæmonibus conuerterunt: item Moyſi Monachi, Saracenorum Epiſcopi. Sanctus quoque Paulinus, Scriptor & Monachus & Epiſcopus eorumdem temporum, ita ad Victricium Morinorum Apoſtolum ſcribit: Nunc [per te] in terra Morinorum ſitu Orbis extrema, &c. venerabiles & Angelici Sanctorum chori Vrbes, Oppida, Inſulas, Syluas, Eccleſijs & Monaſterijs plebe numeroſis, pace conſona celebrant. Quod quanquam totius Galliæ Populis, & vbique Gentium Chriſtus operetur, &c: tamen in remotiſſimo Neruici littoris tractu, quem tenui antehac ſpiritu fides veritatis afflauerat, te potiſſimum in Vas Electionis excerpſit, [Et paulò pòſt de Apoſtolis & ſanctis Angelis dicit:] Quotidiano ſapienter pſallentium per frequentes Eccleſias & Monaſteria ſecreta concentu caſtiſſimis ouium tuarum & cordibus delectantur & vocibus. [Infinita hoc modo de Apoſtolatu Monachorum etiam per illa tempora citari poſſent. Vnicum adijciam verbum è Sozomeno deſcribènte fœliciſſimum rei noſtræ Chriſtianæ ſub ipſo Conſtantino Magno ſucceſſum: Gentiles [inquit, paſſim deiectis Conſtantini mandato Idolis] vel Signis, vel Somnijs, vel Epiſcoporum aut Monachorum congreſſu inducti, fidem Chriſtianam receperunt.

Vide loca Cypriani & Auguſt. infra Moti. 12. in l. K. K. & Moti. 22. num. 27.

Moti. 24.

Moti. 25.

Supra.

Paul. Epiſt. 2. ad Victr.

Pſalm. 46.

Soz. li. 2. cap. 4.

 Quar-

Quartò ipſas etiam Gentes nominatas à Prophetis in prædicenda vocatione Gentium, contemplemur (id quod nullus qui Scripturas recipit, poterit recuſare) & quæ narretur earum religio, inueſtigemus. Exempli
Iſa. 19. cauſa, Iſaias ita prophetauit: In die illa erit Iſraël tertius AEgyptio &
» Aſſyrio: benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus Exercituum,
» dicens: Benedictus populus meus AEgypti, & opus manuum mearum
Hier. » Aſſyrius. Hæreditas autem mea Iſraël. Ad quem ipſum locum S. Hiero-
» nymus: Hæ enim vel maximè Gentes [inquit] Monachorum florent
» examinibus, AEgyptus & Meſopotamia, & pari inter ſe pietate conten-
» dunt. Hæreditas autem Chriſti Iſraël eſt: hoc eſt, Natiuitatis, & Crucis,
» & Reſurrectionis, Aſcenſioniſque eius loca, ad quæ de toto Orbe con-
Auguſt. de Ciu. l. 8. c. 26. curritur. Et de AEgypto ſcribit etiam S. Auguſtinus, quod & illic Dæmones apud ſanctorum Martyrum Memorias [ſeu Reliquias] in multis
» locis torquebantur, & confitebantur, & de poſſeſſis corporibus homi-
» num eijciebantur. Quorum autem religionis ſint Monachi, Peregrinationes, Reliquiæ, & alia multa ſimilia quæ in Scriptoribus de illis Gentibus Lector diligens poterit obſeruare, admonitione non indiget.

Alia plurima huiuſmodi argumenta, quòd ad vnum & idem ſemper Euangelium conuerſæ ſint Gentes, prudentes & docti tum per ſe, tum huius Libri adiutorio è ſingulis penè Motiuis inuenire cogitando poterunt. Imperitiores per iſta quæ dixi, ſatis ſunt admoniti, & maximè per illud de Romanis Epiſcopis: quos (vt dixi) oſtendam alio loco nunquam Euangeliũ mutauiſſe: & per eos teſtantur Hiſtoria miſſos eſſe qui Gen-
a vide Moti: 28. tes ſingulas baptizarunt; vel certè per homines qui eorum [a] Communionis erant. Ita vt ſi qui alij aliquando quibuſdam conuertendis Genti-
b Aug. de Bap. cõ. Don li. 2. ca. 6. li. 1. c. 8. bus ſe miſcuerint, eæ Gentes ſemper exiſtimatæ ſint [b] corruptæ potiùs quàm conuerſæ: non autem vnquam ritè conuerſæ, priuſquam per Epiſcopos vel Romanos vel alios eorum Communionis fuiſſent reconciliatæ. Exemplum eſt de Gente Gothorum, quorum conuerſionem tribuat
De Gothis. a Soc. li. 4. ca 27. Soz. li. 6. ca. 37. b Soc. li. 2. ca. 32. Soz. ibidem. fortaſſe Arianis qui [a] Socratem & Sozomenum legit. Veruntamen & ipſi (ſi quis animaduertat) teſtantur eos [b] priùs fuiſſe Chriſtianos & Catholicos: poſtea autem cùm inteſtino bello inter ſe concertarent, vnam factionem, vt ſe Valentis Imp. Ariani amicitia roboraret, (deſerta Catholica fide) conſenſiſſe Arianiſmo; & his poſtea aliquos tum eiuſdem tum alterius factionis, relicto Gentiliſmo, ſe ex ignorantia & ſimpliciter adiunxiſſe. ita vt ex hoc ſimplici animo eorum notet Socrates, multos eorum fuiſſe Martyres, qui nimirum poſtea à Duce eorum Gentili pro fide Chriſti occiſi ſunt, nec tamen Arianos Imperij Romanorum, qui hanc

ignorantiam non habebant, ſed res & originem Arij bene ſciebant, Martyres vllo modo eſſe potuiſſe. Sic etiam Socrates & Sozomenus. Sed Theodoretus adhuc etiam meliùs, qui, vtpote Epiſcopus exiſtens, tanquam ſtudio volens ſcandalum amouere, ita narrat: Hoc loco quemadmodum Barbari peſtifera erroris Ariani pernicie infecti fuerint, arbitror operæprecium, his qui eius rei ignari ſunt, enucleatè explanare. Vbi Iſtro tranſmiſſo cum Valente pacis fœdera iunxerant, eodem momento Eudoxius ille infamia notatus [tunc Conſtantinopolitanus Epiſcopus Arianus] perſuadet Imperatori, vt Gothos, qui olim, cùm Diuinæ cognitionis luce primùm illuminati eſſent, doctrina Apoſtolica fuerant inſtituti, ad ſuam traducat Communionem. Nam opinionis coniunctione & conſenſu pacem firmiorem fore dixit. Qua approbata ſententia, Valens eorum Ducibus hanc de Doctrinæ conſenſione conditionem proponit. Qui reſponderunt, ſe nullo modo velle auitam Doctrinam deſerere. Eodem tempore Vlphilas eorum fuit Epiſcopus, cui facilè obſequebantur, eiuſque verba pro ratis legibus habebant. Quem cùm Eudoxius & verborum lenocinijs deleniuiſſet, & pecuniæ ineſcaſſet illecebris (tum primùm, [inquit Socrates] aſſentiebatur Nouæ & vltimæ formulæ fidei [Arianorū,] Conſtantinopoli tunc editæ: Nam ante illud tempus Theophili veſtigia, qui Epiſcopus Gotthorum erat, quique cum Concilio Nicæno intereſſet, ei ſubſcripſerat, ſedulò perſecutus, Fidem Nicææ[contra Arianos] ſtabilitam amplexatus eſt. [Sed eo corrupto, Eudoxius]) perfecit, [ait Theodoretus,] vt Barbaros illos ad Communionem Imperatoris amplectendam induceret. Adiecit præterea, quò faciliùs ei perſuaderet, contentionem illam ex ambitione ſolùm ortam, nullamque omnino Doctrinæ eſſe differentiam. Itaque ad hodiernum diem Gothi Patrem maiorem eſſe Filio dicunt illi quidem; ſed Filium Creaturam appellari, licèt cum his qui illud dicant communicent, [id eſt cum Arianis,] nequaquam ferre poſſunt. Quinetiam ab auita Doctrina non penitus deſtiterunt. Etenim Vlphilas, cùm eis Communionem Eudoxij & Valentis perſuadere conaretur, dixit nullam eſſe in Doctrina diſcrepantiam, ſed ex inani & leui contentione eam in Eccleſiam diſcordiam inuectam fuiſſe. [Et ſic decepit eos. Hæc de Gothis fuſius & diligentius annotaui, ne dicant Proteſtantes, Gentem aliquam ab Hæreticis fuiſſe conuerſam. quaſi etiam ſi ita fuiſſet, faueret quicquam Proteſtantibus. Nam ſi Ariani Gentem aliquam ab Ethniciſmo conuertiſſent, num inde effici exiſtimant Proteſtantes, ſeipſos qui ab Ethniciſmo nullam vnquam Gentem, nullum hominem conuerterunt, eſſe eos quos Chriſtus prædixit:

Theod. Eccl. Hiſt. li. 4. cap. 32.

Soc. li. 2. cap. 32.

dixit conuerſuros Omnes Gentes? Iam autē neque Ariani Gothos conuerterunt, vt vidimus: ſed & ipſi diu ante Valentis tempora Chriſtiani & Catholici fuerant, ab eadem Eccleſia & ad idem conuerſi Euangelium à qua & ad quod cæteræ Gentes. Quod non ita dico, quaſi fieri non poſſit, vt Hæretici Ethnicos aliquos interdū quaſi conuertant: ſed vt oſtendam, vtcunque Ariani de Gothis gloriabantur, tamen Proteſtantes nihil vnquam tale feciſſe: & propterea non eſſe ipſos, quos Chriſtus teſtes ſuos in omnes Gentes deſtinauit; ſed eſſe eos, vt Arianos & cæteros Hæreticos, ſolùm Chriſtianorū euerſores, non autem Gentiliū conuerſores. Contrà autem noſtram Eccleſiā eſſe, quæ omnes Gentes ab Ethniciſmo conuertat, ſicut tum quæ hodie in India & in Nouo Orbe geruntur, tum quæ his mille annis, tum quæ alijs adhuc quingentis annis vſque ad Apoſtolorū tempora in eodem genere geſta ſunt, teſtantur. Si quid autem vel apud Gothos, vel in alia quauis Gente geſtum ſit ab alijs quàm à Noſtris, Proteſtantes ipſi vident & concedunt, id eatenus falſum & prophanum fuiſſe, quatenus à noſtro erat diuerſum, vt (verbi gratia) Dogma Arianorum: idemque tum demum correctum & emendatum fuiſſe, quatenus reuocatum eſt ad id, quod, vt ſemper, ita & hodie, in Eccleſia noſtra cernitur, vt Dogma Conſubſtantialis. Ex quibus omnibus dico neceſſario effici, nos eſſe, & nos ſolos eſſe, quos Chriſtus ſecundum Scripturas, vt teſtes ſuos poſt Apoſtolos, miſit ad Gentes.

Reſtat iam ſolummodò tempus illud (ſi tamen reſtat. nam & de Syria, Iudæa, Africa, atque AEgypto non tacui) quo ipſi Apoſtoli Gentibus prædicarunt. An iam dicet aliquis, illo tempore vnum Euangeliū; ſtatim verò ſequentibus temporibus omnibus, vſque ad hunc diem, aliud Euangelium eſſe in Gentibus ſeminatū? Quod ſi non ſolùm abſurdum, verum etiam ridiculum ſit; quoniam & contra Scripturas eſt quæ dicunt apertè, Chriſtum ſemper habere in Gentibus teſtes ſuos, vt † oſtendi; & nec colorē probabilitatis habere poteſt, quòd Sol ille prædicationis Euangelicæ, qui tā multas Gentes illuminauit, ſubitò quaſi in meridie, apud eas omnes, ſimul atque vno tempore deficeret, & id præterea nullus illuminatorum animaduerteret: ergo cedant Proteſtantes veritati, nec velint in propriam damnationem oculos ſuos claudere, ſed aſpiciant lucem, & fateantur humiliter, noſtrum Euangelium eſſe, quod & Apoſtolorum fuit: ſe autem tranſlatos eſſe per Lutherum & Caluinum in aliud Euangelium. » quod tamen non eſt aliud, non eſt vtique Euangelium, ſed fuerunt Lutherus & Caluinus qui eos cùm priùs eſſent in pace & Vnitate nobiſcum, » conturbauerunt, & voluerunt conuertere Euangelium Chriſti. De

† Supra in C.

Gal. 1.

Euan-

Euangelio autē quod Apoſtoli in Gentibus prædicarunt, ſingula Motiua huius Libri argumenta ſuppeditant, quod Euangeliū noſtrū, & non Proteſtantiū fuerit. Hoc autem loco (alijs innumeris præter miſſis differentijs, quas Docti facilè animaduertunt) vnam tantùm differentiam inter Euangelium Apoſtolorū & Proteſtantiū breuiter annotabo: ſed eam in re eiuſmodi, quam videbunt omnes, etiam ipſi (vt ſpero) Caput eſſe Euangelij Christi. Quod (inquam) principaliſſimū fuit Donū Chriſti Aſcendentis, & propterea maximè deſiderabile credentibus, & ab ipſo vnà cū Euangelio ſuo omnibus, & quaſi Donum primariū, deſtinatum: id ipſum nos quidem & hodie, quemadmodū ſemper, cōmunicamus Gentibus quas conuertimus; ſed idem ipſum Proteſtantes concedunt ſe nec accepiſſe, nec cuiquam poſſe dare: Et adhuc ſperat aliquis, vt ab ipſis Euangeliū Chriſti ferat? Quod autem ſit Donum illud, & vtrùm ad omnes pertineat Chriſtianos, & vtrùm tam magnum tamque expetendum ſit, Scripturæ conſultæ reſpondebunt. Primùm igitur Ioannem Baptiſtam audiamus, vnde differentiam inter ſe & Chriſtum doceat. Exiſtimante autem populo, [inquit Lucas] & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus; reſpondit Ioannes, dicens omnibus, [ſecundum Marcum] Veniet fortior me poſt me: cuius non ſum dignus procumbens, ſoluere corrigiam calceamentorum eius. [Quid igitur ille Fortior plus faciet nobis, quàm tu?] Ego [inquit] baptizaui vos aqua: ille verò baptizabit vos Spiritu ſancto. [Rurſus poſt baptizationem, & quadrageſimale ieiunium Chriſti,] vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, &c. [inquit alius Euangeliſta.] Et teſtimonium perhibuit Ioannes dicens, Quia vidi Spiritum ſanctum deſcendentem quaſi colūbam de cœlo, [quando ſcilicet baptizabat Ieſum] & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eū, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritū deſcendentem & manentē ſuper eū, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi: & teſtimoniū perhibui, quia hic eſt Filius Dei. [Poſt hæc Ieſus ipſe] in Feſto Scenopegiæ, in nouiſſimo die magno Feſtiuitatis ſtabat, & clamabat, dicens, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. [Quid hic voluerit, ipſe Euangeliſta interpretatur, & dicit:] Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. nondum enim erat Spiritus datus: quia Ieſus nondum erat glorificatus. [Ecce, ſicut Ioannes omnes præparabat (venit enim in teſtimoniū, vt omnes crederent per illum) ita rurſus omnes credentes vocat Chriſtus ad hoc Donū capiendū. Vnde Proteſtantes non vocantes ad Donū, quomodo dicunt ſe ad Euangeliū Chriſti vocare?

De Sacramento Confirmationis. — *Luc. 3.* — *Mar. 1.* — *Ioan. 1.* — *Ioan. 7.* — *Ioan. 1.*

Sæpè.

Sæpè autem Chriſtus in ſe credentes ad huius Doni expectationem & deſiderium excitauit, & maximè Apoſtolos ſuos, illo potiſſimum tempore, quando poſt Cœnam nouiſſimam crebra & aperta mentione ſui diſceſsûs,
Ioan. 14. eos viderat nimium contriſtatos. Tunc igitur ait inter cætera: Et ego
„ rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum
„ in æternum, Spiritum veritatis, &c. [de quo ad eos duplex commodum, vnum externæ aſſiſtentiæ, alterum internæ ſanctificationis, rediturum
Ioan. 16. eſſe promittit:] apud vos manebit: &, in vobis erit. Rurſus in eodem lon-
„ giſſimo & diuiniſſimo Sermone, poſt multa: Quia hæc locutus ſum vobis
„ [de diſceſſu meo,] triſtitia impleuit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico
„ vobis: Expedit vobis vt ego vadam. ſi enim non abiero, Paraclêtus non
„ veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Donum hoc tam vtile nobis, & illi tunc præſentiæ ipſius Chriſti longiſſimè præferendum, ideoque ad omnes credentes in conſolationem abſentiæ Chriſti ſpectans, non habent Proteſtantes, vt mox videbimus. Quoniam igitur Chriſtus debuit priùs abire, & glorificari, quàm daretur Spiritus Sanctus: Maria Magdaléna mulier deuotiſſima, & tanti promiſſi cupidiſſima, iam eum Reſurrexiſſe videns, exiſtímat nunc adeſſe tempus: tenetque pedes ſibi
Ioan. 20. dilectiſſimos, flagittans promiſſum. Sed dicit ei Ieſus, Noli me tangere:
„ Nondum enim aſcendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos,
„ & dic eis, Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum
„ & Deum veſtrum. [ſignificans illam ſuam glorificatione͂ quæ præcedere deberet dationem Spiritus ſancti, Doni tam deſiderabilis, non in ſola Reſurrectione, ſed Aſcenſione etiam intelligendam eſſe. Itaque poſt quadraginta rurſus dies, iam Aſcenſurus, ipſo die, præcepit eis, (vt ſcribit
Act. 1. „ Lucas) ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Pa-
„ tris: quam audiſtis [inquit] per os meum: quia Ioannes quidem baptiza-
„ uit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies. [Demum igitur decimo poſt Aſcenſione͂ die, ipſo die Pentecoſtes,]
Act. 1. 2. erant omnes (ferè centum viginti nomina) pariter in cœnaculo: Et
„ factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehe-
„ mentis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. Et apparuerunt
„ illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: Et
„ repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: & cœperunt loqui varijs linguis prout
„ Spiritus ſanctus dabat eloqui illis: [Deo ſcilicet in illis initijs, per illud viſibile miraculum coniunctum conteſtante omnibus ſanctificationem Spiritûs inuiſibilem, qua interius replebantur, quam nimirum & ille toties promiſerat, & illi tantopere expectabant, vtpote ſitientes non Donum lin-

num linguarum, quod non meliorem faciebat habentem, vt patet tum per ſe tum ex D. Paulo ad Corinthios; ſed aquæ illius potum ſitientes, 1. Cor. 14.
ad quam Chriſtus inuitauerat omnes, dicens: Si quis Sitit, veniat ad Ioan. 7.
me, & bibat. Qui credit in me: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. „
Hoc enim dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum, [in- „
quit Euangeliſta. De qua aqua dixerat Samaritanæ ſimiliter:] Qui au- Ioan. 4.
tem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua „
quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã. Vt igi- „
tur inuiſibilis hæc donatio Spiritûs, & ineffabilis virtus Doni crederetur, viſibili miraculo ignis & linguarum initiò confirmauit: vt Chriſtiani in æternum, licèt miraculosè non loquamur linguis, tamen quin Spiritum ſanctum inuiſibiliter accipiamus, non dubitemus: ſcientes, miraculum illud tantùm ad principia pertinuiſſe, Spiritum autem ad credentes omnes pertinere. Id quod D. Petrus eodem die quo primùm dabatur Spiritus ſanctus, pro concione teſtificatus eſt. Nam cùm loquentes ſtatim illos centum viginti Chriſtianos Maiores noſtros omnibus linguis,
Iudæi irriderent dicentes, Quia muſto pleni ſunt iſti, Stans Petrus cum Act. 2.
vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis, Viri Iudæi, & qui „
habitatis Ieruſalem vniuerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite „
verba mea. Non enim, ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora „
diei tertia: ſed hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam Ioël, Et erit, in „
nouiſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo ſuper om- Ioël. 2.
nem carnem: &c. Et quidem ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas „
in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: &c. Et erit, „
omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Non enim Rom. 10.
eſt diſtinctio [inquit Paulus] Iudæi & Græci: nam idem Dominus om- „
nium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicumque in- „
uocauerit nomen Domini, ſaluus erit. [Sed an fortè ſalutem modò pro- „
mittunt Apoſtoli omnibus ex hoc Ioëlis loco; & non etiam Donum Spiritûs de quo agimus? At de ipſo Dono Spiritûs agit Petrus. Vnde in eâdem concione, demonſtrato Iudæis quòd Ieſus Nazarenus ab illis interemptus, reſurrexerit & aſcenderit; ab ipſo impletum quod Deus in
Ioële promiſit, his verbis teſtatur: Dextera igitur Dei exaltatus, & Pro- Act. 2.
miſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hunc quem vos videtis „
& auditis, &c. [Cùm igitur his & alijs auditis compuncti eſſent corde crucifixores, & dicerent ad Apoſtolos, Quid faciemus viri fratres? [Petrus primùm quid faciant, oſtendit,] Pœnitentiam [inquit] agite: & bapti- „
zetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem pec- „

„ catorum veſtrorum. [deinde, his factis, & Donum promittit:] & accipietis
„ Donum Spiritus ſancti. Idque vt confirmet, oſtendit Ioëlem ſignificare, quòd Donum ſeu promiſſum ad omnes omnino baptizatos pertinet. Vo-
„ bis enim [inquit] eſt repromiſſio, & filijs veſtris: & omnibus qui longè ſunt
„ [id eſt Gentilibus] quoſcunque aduocauerit Dominus Deus noſter. [Hoc igitur eſt Euangelium Chriſti, quod iſtam aquam, iſta flumina habet: & ſuccedunt Apoſtolis in Euangelio prædicando, qui hoc promittere, hoc donare omnibus quos baptizant, poſſunt. Qua igitur facie Proteſtantes ad ſe Sitientes vocant, cùm iſtam aquam ſe non habere concedant? Et quàm vana igitur ſpe Sitientes ipſi Euangelium & aquam Chriſti apud Proteſtantes quærunt? imò quàm certo & irreparabili damno ſuo Eccleſiam deſerunt, quæ aquam ipſam habet; & in qua ipſi eâdem ſunt potati, ſed fruſtrà, niſi maturè reuertantur? Quod autem Donum hoc commune (vt è Scripturis vidimus) omnibus baptizatis, licèt principio de cœlo daretur a Chriſto ipſo ſine miniſterio hominum, tamen deinceps detur per miniſtros Chriſti (ſicut in Eccleſia noſtra datur, & ſicut à Proteſtantibus non datur) idque vt diſtinctùm quiddam à Baptiſmo, & multò excellentius quàm Baptiſmus: ſequentia etiam Apoſtolorum Acta teſtantur. Oſtēdunt enim & miniſtros, & maiores miniſtros hìc quàm in Baptiſmo,
Act. 8. „ requiri. Nam Philippus nil aliud quàm Diaconus, prædicabat [poſthac &]
„ Samaritanis Chriſtum. [&] credentes baptizabat, viros ac mulieres. Sed
„ quoad Spiritum ſanctum ſequitur: Cum autem audiſſent Apoſtoli qui
„ erant in Ieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei: miſerunt ad
„ eos Petrum & Ioannem. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt ac-
„ ciperent Spiritum ſanctum. Non enim in quenquam illorum venerat,
„ ſed baptizati tantùm [Ecce, potuit'ne Lucas Aduentum Spiritûs & Baptiſmum planiùs ponere in vno genere, idque cum illius quadam excellentia? Nondum (inquit) in illos venerat Spiritus ſanctus, ſed baptizati tan-
„ tùm erant in nomine Domini Ieſu. Et propterea ſequitur continuò: Tunc
„ imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. [& hi nimirum viſibiliter, ſicut Iudæi priùs viſibiliter. vnde ſequitur ibi de Simone Mago, quem & ipſum Philippus inter alios Samaritanos baptizauerat,
„ Quum vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manûs Apoſtolo-
„ rum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, Date & mihi
„ hanc poteſtatem, vt cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum. Poſthac etiam ad Gentiles mirabiliter vocatur & mittitur Petrus: Et quia res grandis erat, multumque offenſura Iudæos Chriſtianos, nedum incredulos, multiplicantur viſiones atque miracula, ita vt

ſingu-

ſingulari atque extraordinario modo antè Baptiſmum, & non tantùm ſine miniſterio hominis, veniret ſuper eos Spiritus ſanctus, quo ſic haberet Petrus Diuinum argumentum ad eos mox baptizandos, & ad factũ ſuum poſtea contra æmulos defendendum. Sic igitur hæc Lucas narrat:
Adhuc loquente Petro verba hæc [ad Cornelium Centurionem & multos alios Gentiles qui in domo eius conuenerant] cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum. Et obſtupuerunt ex Circumciſione fideles [id eſt, Iudæi Chriſtiani] qui venerant cum Petro, quia & in Nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus, Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi [Gentiles] qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos [Iudæi?] Et iuſſit eos baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti. [Moxque reuerſus Ieroſolymam, ad eos qui dicebant ei,] Quare introiſti ad viros præputium habentes, &c? [ſe defendit exponens illius ordinem, & in fine dicens:] Cum autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio. Recordatus ſum autem verbi Domini, ſicut dicebat, Ioannes quidẽ baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis qui credidimus in Dominum Ieſum Chriſtum: ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum? [Idem iterum diu pòſt:] Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus teſtimoniũ perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos & illos. [Harum igitur rerum ordinem omnem qui attentè cõſiderat, videt perſpicuè, quòd ſicut Euangelium Chriſti ad omnes pertinet, ita & Donum hoc ad omnes pertineat: non dico quoad omnes externos effectus, ſed quoad internam ſanctificationem (quod præcipuum eſt) omnino ad omnes credentes. Ac idcirco, cùm Chriſtus Aſcenſurus dixiſſet, Eritis mihi teſtes in Ieruſalem & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ, implere incipiens poſtea hoc verbum, facit eos primùm in Ieruſalem & Iudæa teſtes Euangelij, & ſimul dat Iudæis Spiritum ſanctum: ſecundò facit eos teſtes Euangelij in Samaria, & ſimul dat Samaritanis Spiritum ſanctum: tertiò facit eos teſtes Euangelij ad Gentiles, & ſimul dat Gentilibus Spiritum ſanctum. & per ipſos Euangelij teſtes, non quidem omnes, ſed ſolos Apoſtolos, dat ı & diſtinguendo à baptiſmo quaſi donum longè præſtantius & Diuinius. Quod rurſus clariſſimè patet ex eo quod etiam D. Paulus fecit Epheſi, quod Lucas ita narrat:

Act. 10.
Act. 11.
Act. 15.
Act. 1.

Act. 19. „ Venit Epheſum, & inuénit quoſdam Diſcipulos: dixitque ad eos, Si
„ Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum, Sed
„ neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuimus. Ille verò ait, In quo ergo bap-
„ tizati eſtis? Qui dixerunt, In Ioannis baptiſmate. Dixit autem Paulus:
„ Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In eum qui
„ venturus eſt poſt ipſum vt crederent, hoc eſt, in Ieſum. His auditis,
„ baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu. Et cùm impoſuiſſet illis manus
„ Paulus, [alius autem erat, qui tum baptizauit eos] venit Spiritus ſan-
„ ctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. [Ex his Apoſto-
lorum geſtis, quibus euangelizabant omnibus, & Spiritum ſanctum communicabant omnibus, Iudæis, Samaritanis, atque Gentilibus, & ex verbis eorum expreſſis, quibus dixerunt (conteſtantibus Ioële, Ioanne, & ipſo Chriſto) Donum eſſe omnibus quoſcunque aduocauerit Dominus: manifeſtiſſimum eſt, quòd Proteſtantes qui Donum non conferunt, nec Chriſti annunciant Euangelium: ſed noſtra eſt Eccleſia, & noſtra ſola, quæ Gentibus omnibus & Euangelium & Donum communicat. Nunquid [enim, vt dicit Auguſtinus] modò quibus imponitur manus, vt accipiant Spiritum ſanctum, hoc expectatur, vt linguis lo-

Aug. l. in Epiſt. Ioan. tract. 6.

„ quantur? Aut quando impoſuimus manum iſtis infantibus, attendit
„ vnuſquiſque veſtrûm vtrum linguis loquerentur? & cùm videret eos
„ linguis non loqui, ita peruerſo corde aliquis veſtrûm fuit, vt diceret,
„ Non acceperunt iſti Spiritum ſanctum; Nam ſi accepiſſent, linguis lo-
„ querentur, quemadmodum tunc factum eſt? [Nam vt dixit Apoſtolus,]

1. Cor. 14. Linguæ in ſignum erant non fidelibus, ſed infidelibus. [In noſtra igitur Eccleſia, & tempore Auguſtini, & ſemper vſque in hunc diem fit per manus Epiſcoporum inuiſibiliter poſt baptiſmum, quod tempore Apoſtolorum, vt in æternum crederetur, etiam miraculo commendatum eſt. Cui miniſterio impoſitionis manuum ad dandum Spiritum ſanctum cùm Proteſtantes ſponte ſua renunciant, nullum etiam inter miniſtros diſcrimen ponentes, ſed omnes æquales eſſe dicentes, nec miniſteria vel Sacramenta vlla gratiam vllam conferre, nedum alia alijs maiorem, prædicantes, palàm per hoc fatentur, ſe ab Apoſtolorum Euangelio prorſus alienos eſſe. Quod licèt & per alios plurimos articulos potuerim demonſtrare, elegi tamen hunc ex omnibus, vtpote complementum in quo Baptiſmi, & perfectio Chriſtiani cernitur, tanto cùm diſcrimine Sacramentorum, quanta eſt inter infantem & virum differentia. Nam poſt & per Baptiſmum ſumus ſicut modò geniti infantes; accipientes autem per manus Epiſcoporum Spiritum ſanctum, ex infantibus ſecundum

animam in viros Chriſtianos euadimus.

Quibus diligenter conſideratis, nec Catholici Impoſitionem manuum Epiſcopalium vel contemnent vel negligent, & Proteſtantes (niſi damnari à Chriſto malint) vſurpationi Euangelij (cuius etiam ſumma & capite ſe carere vident) renunciabunt; & agnoſcent omnes, Euangelium noſtrum eſſe, quod ſicut hodie, & his mille annis, & alijs rurſus quingentis annis, ita ab ipſis etiam Apoſtolis Gentibus annunciatum eſt: atque propterea de noſtra Eccleſia eſſe omnes Seruos illos in Parabola, tum qui ad Nuptias Filij Regis bis vocarunt inuitatos; id eſt, Duodecim Apoſtolos, & Septuaginta Diſcipulos, qui varijs temporibus vocarunt Iudæos quos prius Moyſes inuitauerat & Prophetæ: tum qui, (erant autem ijdem) prædictis terrena bona Nuptijs & voluptates ſuas præferentibus, iuſſi ſunt exire in plateis & vicos Ciuitatis; & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introducere. [id eſt, Reliquias Iudæorum, quæ recepto Euangelio ſaluæ factæ ſunt, Principibus eorum interim contemnentibus, & Seruos Regis occidentibus: vſque eò dum] Rex iratus, miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos; & Ciuitatem illorum ſuccendit, [id eſt, Hieruſalem per Romanos. tum qui denique (quoniam adhuc Locus erat, nondum ſcilicet impletâ illâ Scripturâ, Benedicentur in Semine tuo Omnes gentes) iuſſi ſunt non iam in Ciuitatem, ſed in vias & ſepes exire, [id eſt, ad Gentes,] & quoſcunque inuenirent, vocare ad Nuptias, [etiam] compellentes intrare, vt impleretur Domus. [Omnes (inquam) hi Serui de Eccleſia noſtra ſunt; vt quæ ſola ſemper viſibilis ſit & fuerit. Nam Proteſtantes ipſi concedunt (quia tam apertum eſt vt negare non poſſint) ſe non ſemper fuiſſe viſibiles. Serui autem Regis qui Iudæos & Gentes vocant ad Nuptias, viſibiles ſunt, vt ex ipſo officio vocandi conſtat. vnde & primi vocantes erant viſibiles, vt Scripturæ quoque teſtantur. Nunquam autem ante finem mundi ceſſant vocare: Semper ergo ſimiliter viſibiles ſunt. Niſi fortè Proteſtantes proferre nobis poſſint Scripturam aliquam, quòd etiam qui miſſi ſunt in Exitus viarum, id eſt ad Gentes, mille & ampliùs annis vocationem intermittunt, & quòd poſt multa demum ſecula Lutherus & Caluinus à nemine miſſi currerent, & vocationem tam diu intermiſſam renouarent. Sed parcant, moneo, labori. Non enim inuenient Scripturam Scripturæ contrarium: plurimæ autem Scripturæ maniſeſtè teſtantur, quòd vocatio Gentium nunquam intermittitur, idque (præter tam multas à me ſuprà allegatas) in hac ipſa Parabola. Nam egreſſi " [inquit] Serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, "

Matth. 22. Luc. 14.

Rom. 11.

Geneſ. 22.

malos & bonos : Et quid ? an etiam adhuc locus eſt, vt poſt mille annos (quia interim fortaſſe nulli erant homines in mundo, quod Rex vel mitteret, vel vocaret) Lutherus aut Caluinus neſcio quis veniat, ac ſe à Rege miſſum dicat? Sed Scriptura eorum retundit audaciam; dicens de Seruis primitus miſſis in vias, quòd congregauerunt omnes quos inuenerunt. & ne dicas quòd etſi homines quidem ſemper, non tamen niſi ſexcentis annis bonos inuenerunt, & propterea mille annis congregare ceſſarunt, dicit expreſsè, congregauerunt omnes, malos & bonos. Et vt omne os obſtrueret, ſubiunxit ſtatim apertè vbi ceſſet congregatio, & dixit: Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentibus. & adhuc apertiùs: Intrauit autem Rex vt videret diſcumbentes: [veniens nimirum ad Iudicium; vnde ſubdit, quòd] videns ibi hominē [qui intrauerat,] non veſtitum veſte nuptiali [congregauerant enim Serui omnes, malos & bonos] dixit Miniſtris, Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd nunquam intermittunt Serui, donec impleta Eccleſia Chriſtus Iudex aduenerit. ſicut & D. Paulus expreſsè & diſertè teſtatur, dicens, quòd Aſcendens Chriſtus dedit hominibus [inter
Epheſ. 4.
„ alia dona] Paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum in opus
„ miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: [idque,] donec occurra-
„ mus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum,
„ in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. [ac ſi breuiùs dixiſſet, donec impleatur Eccleſia. prædixit enim, quòd Eccleſia eſt corpus ipſius, ple-
Epheſ. 1.
„ nitudo eius.

Deſinant ergo tandem aliquando Proteſtantes Chriſtianas Gentes conturbare, & nobiſcum potiùs ſaluti Gentium (quæ & Chriſti ipſius gloria eſt) congratulentur. Norunt, quis ſit ille Filius ſenior, qui au-
Luc. 15.
„ diens Fratris reditum, & Patris gaudium, indignatus eſt, & noluit introire. Proteſtantes autem introierant ſemel; ſed iterum exierunt. Quòd ſi autem placet eis non redire intrò, ſed permanere cum inuidis Iudæis foris, nos interim (ſecundum Prophetas & Scripturas cæteras, vt &
„ ipſi legunt) intus habemus Stolam primam, & annulum, & calcea-
„ menta, & vitulum ſaginatum, & Patrem, & Seruos, & ſymphoniam &
„ chorum. Nam iam inde à baptizatione Cornelij ſemper vſque in hunc diem redeunte ad Patrem de longinqua regione Filio iuniore prodigo (in quo fuimus & nos) videmus equidem & agnoſcimus, meritò gratulandum eſſe, & quòd epulari oporteat & gaudere, quia Frater hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt.

Quod

Quod enim etiam ferreum cor non frangat illud (qualia etiam multa in Conuerſione ſingularum Gentium aliarum legimus & audimus, & multo ſine dubio plura quàm legimus vel audimus, ſimilia facta ſunt, & fiunt.) Veruntamen vel vnum illud cuius etiam Proteſtantis cor ſaxeum non emolliat, quod inter Epiſtolas Indicas habetur ex Literis Sebaſtia- «
ni Ferdinandi ad Præpoſitum Generalem Societatis Ieſu datis Goa men- «
ſe Nouemb. 1569. qui vnum inter cæteros referens baptiſmum ſeptua- *Acoſta fol.*
ginta & octo animarum, ita ſcribit: Ad eum baptiſmum ingens con- *232. a.* «
curſus eſt factus partim incolarum, partim etiam Luſitanorum qui ad «
eam ædem [Sanctorum Philippi & Iacobi Eccleſia eſt, parochia Chri- «
ſtianorum etiam tum octingentorum quinquaginta] religionis cauſa «
peregrè aduenerant. In ea turba Neophytus repertus eſt in tanta alio- «
rum gratulatione ſolus effusè plorans. res non ſine admiratione conti- «
nuò defertur ad Patrem [Societatis]; is accedit ad hominem: quærit cur «
in publica lætitia vnus ipſe lugeat. Tum ille: Quid ni (inquit) fundam «
præ gaudio lachrymas, cùm videam ritè coli Communem omnium Do- «
minum eo ipſo in loco, vbi paucis antè diebus eundem per ſummam im- «
pietatem neglectum & iniuria affectum aſpexi toties, cùm honores eius «
numini debiti, Saxo cuidam hîc poſito tribuerentur, nomine Manga- «
naio! Sed de his ſatis.

MOTIVVM DECIMVM.

Sicut Chriſti ipſius & Apoſtolorum, ita & noſtrum in Gentibus Euangelium (quod & propterea idem eſt) innumeris Miraculis confirmatum eſſe, & quotidie confirmari.

SVFFICIVNT quidem per ſe abundè clariſſima Scripturarum teſtimonia, quibus Euangelium quod inde ab Apoſtolorũ tempore prædicamus in Gentibus, copioſiſſimè & ſolidiſſimè confirmaui. Nec enim niſi per prædicationem noſtram implentur prædictiones Sacræ de Vocatione omnium Gentium, & per eam implentur manifeſtiſſimè, vt oſtendi. Veruntamen vt ad Scripturas illas aliud adhuc (idque etiam ſecundũ Scripturas ipſas) pro Euãgelij noſtri veritate pondus adiungam, hoc inſuper quantum ſit conſiderent omnes, quòd præter illas prædictiones habet præterea diuinitus idem Euangelium noſtrum

(vt & Scripturæ habiturum prædixerunt) ab innumerabilibus certiſſimis maximiſque Miraculis confirmationem. Neque vt hoc demonſtrem, opus eſt longo apud prudentes ſermone. ſed vnicum hoc duntaxat cogitent, vnde ſit, quòd Proteſtantes diſputent contra argumentum quod ducitur à Miraculis, & nos compellant ad defenſionem eiuſdem. Quare enim hoc illi nobis faciunt potiùs quàm nos illis? Nónne hinc facilè animaduertunt prudentes, à qua parte ſtent Miracula? Vnde etiam eſt, quòd illi hodie in terris dominij ſui (ſicut in Anglia maximè ſcimus) ſtudent admodum opprimendis celandiſque Miraculis, varijs eos ſupplicijs terrentes, qui ea auſi fuerint reuelare? Si enim non ſunt vera Miracula, & ſi non pro Religione noſtra, quæ inter eos, vbi & quando Deus vult, ſæpiſſimè fiunt, quare clauduntur terroribus Catholicorum ora? cur non ipſi potiùs eadem diuulgant; & vel quaſi vera, pro ſe facere demonſtrant, vel quaſi falſa apud populum in noſtrũ contemptum odiumque traducunt? Si quando autem aliqua ſua velut miracula diuulgarunt, vt puellas dæmoniacas à Miniſtris ſuis Lano & Foxo ſanatas, id ſemper fuit eiuſmodi, vt cauſam noſtram nulla re magis potuerint adiuuare? Nam vt ea per libellos diuulgando, ſe declararunt multùm ſitire iſtam per miracula confirmationem pſeudoëuangelij ſui, ita dum paulò pòſt coacti ſunt eoſdem libellos reuocare, & contrarium publicè confiteri, rurſus demonſtrarunt, ſe quæ tantopere ſitiunt Miracula non habere. Sed de Miraculis noſtris, & præſtigijs Hæreticorum in Anglia (de quibus etiam D. Alani Copi doctiſſimi non tacuere Dialogi) deque cæteris rebus ibi circa Religionem geſtis, prodibit aliquando (vti ſpero) Eccleſiaſtica Hiſtoria vtiliſſima, Deo in commodum totius Eccleſiæ Scriptorem aliquem excitante.

Miracula in Anglia.

Cop. Dial. 6. cap. 29. ad 40.

Ego autem, licèt vnica hæc (quam attuli) obſeruatiuncula poſſet ſufficere, tamen vt accuratiùs quod hic inſtitui de noſtra Conuerſione Gẽtium & Euangelio quod in eis prædicamus Miraculis cõfirmato, quanta in re copioſiſſima potero breuitate perficiam: primùm omnium conſiderari velim, quòd hæc ipſa ratio eſt qua Chriſtus & ſuam & Apoſtolorum ſuorum prædicationem cenſuit confirmandam. Quam enim aliam ob cauſam ſcripta ſunt in Euangelijs Miracula Chriſti, & in Actis Miracula Apoſtolorum, niſi vt inde probaretur, veriſſimum eſſe quod docuerint? Maximè autem patet hoc de Chriſto quidem in Euangelio ſecundum Ioannem: qui cùm Euangelium ſuum nouiſſimus omnium, idque aduerſus Iudæos & Hæreticos quoſdam ex profeſſo ſcriberet, non ſolùm narrare hiſtoricè voluit miracula Chriſti, quemadmodum cæteri, verùm

Euangelium Ioannis.

verùm etiam argumentando tractare, & ad certum ſcopum concluſio-
nemque dirigere. ex quo factum etiam eſt, vt pauciſſima, vixque ſex aut
ſeptem, in Euangelio toto conſcripſerit, ac in fine idcirco admonuerit
dicens: Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per *Ioan. 21.*
ſingula [vt ipſe pauca illa per ſingula, ideoque prolixè ſcripſerat] nec ip-
ſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt, libros. Et
paulò antè: Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulo- *Ioan. 20.*
rum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in Libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt,
vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei, & vt credentes, vitam
habeatis in nomine eius. [Quoniam igitur ad hunc ſcopum omnia refert,
propterea (inquam) de ſingulis accuratè diſſerit: de prima ipſa mirabili
conuerſione Aquæ in vinum diligenter admonens, & dicens: Hoc fecit *Ioan. 2.*
initium Signorum Ieſus in Cana Galilææ: & manifeſtauit gloriam ſuam
[vnde etiam ſuprà dixerat, Verbum caro factum eſt, & habitauit in no- *Ioan. 1.*
bis, & vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à Patre, nimirum
ex manifeſtatione tantorum Miraculorum] & crediderunt in eum diſ-
cipuli eius. Rurſus de ſanato Filio Reguli qui iam incipiebat mori, admo-
net vigilanter: Hoc iterum ſecundum Signum fecit Ieſus, cùm veniſſet *Ioan. 4.*
à Iudæa in Galilæam. [monens etiam, quòd ante ſanationem Regulo ipſi
dixerit: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis: [tam difficiles erant
Galilæi ad credendum. Fuerat autem inter hæc duo ſigna in Iudæa, de
quo ita ſcribit: Cùm eſſet Ieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi cre- *Ioan. 2.*
diderunt in nomine eius, videntes Signa eius quę faciebat. [ita vt Nico-
demus etiam Phariſæus, Princeps Iudæorum, venerit ad eum nocte, &
dixerit: Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. nemo enim poteſt hæc *Ioan. 3.*
Signa facere quæ tu facis [quæ tamen Signa Euangeliſta omnia præter-
miſit] niſi fuerit Deus cum eo. Quorſum iſta ſic commemorat, niſi quia
Miracula faciunt doctorem fide dignũ? Vnde & introducit Chriſtũ ipſum
poſt ſanationem Lãguidi ad probaticã, qui triginta & octo annos habuit in
infirmitate ſua, ſic Iudæis dicentem: Ego autem habeo teſtimoniũ maius *Ioan. 5.*
Ioanne. qui tamẽ erat homo miſſus à Deo in teſtimoniũ, vt omnes crede- *Ioan. 1.*
rent per illum. [Quodnã igitur eſt maius iſtud teſtimoniũ?] Opera enim
quæ dedit Pater, vt perficiã ea: ipſa opera quæ ego facio, teſtimoniũ perhi-
bẽt de me, quia Pater miſit me. Similiter poſt ſanationẽ Cæci nati (de quo
dixerat Diſcipulis, quòd natus eſt cæcus, vt manifeſtẽtur opera Dei in illo) *Ioan. 9.*
Iudæis rogãtibus, Si tu es Chriſtus, dic nobis palã, reſpõdet dicẽs: Loquor *Ioan. 10.*
vobis, & nõ creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſti-
moniũ perhibẽt de me, &c. Si nõ facio opera Patris mei, nolite credere mi-

„ Si autem facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite: vt co-
„ gnoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre, &c. [Et
„ ſubijcit Euangeliſta, quòd] multi venerunt ad eum, & dicebant, Quia
„ Ioannes quidem ſignum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit
„ Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum. Poſt hæc
Ioan. 11. quàm accuratè tractat miraculum Reſuſcitationis Lazari! Imprimis quòd
„ ipſe adhuc trans Ioannem dixerit Diſcipulis: Infirmitas hæc non eſt ad
„ mortem, ſed pro gloria Dei; vt glorificetur Filius Dei per eam, &c. &
„ gaudeo propter vos vt credatis, quoniam non eram ibi, &c. Deinde, quòd
veniens inuênit eum quatuor dies iam in monumento habentem; [&
„ propterea etiam] fœtentem. [Tum quod quidam ex Iudæis, lachrymante
„ eo, carpentes miraculum prius dixerint:] Non poterat hic qui aperuit
„ oculos cæci, facere vt hic non moreretur? [Tum quòd Marthæ hæſitan-
„ ti dixerit:] Nónne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?
„ [mox etiam Deo Patri ſuo inter cætera:] ſed propter populum qui cir-
„ cumſtat dixi: vt credant quia tu me miſiſti. [Poſt quæ omnia miraculum
„ ipſum ſubiungit, cum maximo in ſingulis verbis pondere:] voce [inquit]
„ magna clamauit, Lazare veni foras: Et ſtatim prodijt qui fuerat mor-
„ tuus, ligatus manus & pedes inſtitis; & facies illius ſudario erat ligata.
„ [Iam & quæ ſecuta ſunt, addit: primò, quod] Multi ergo ex Iudæis qui
„ venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Ieſus: credide-
„ runt in eum. [Deinde, quòd] Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi
„ concilium, & dicebant, Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?
Ioan. 12. „ Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum. [Tum poſtea inculcat,
dicens de Domino Ieſu ante ſex dies Paſchæ redeunte Bethaniam, quòd
„ locus erat,] vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus. [& quòd
„ ibi in cœna] Lazarus vnus erat ex diſcumbentibus cum eo. [& quòd multi
„ ex Iudæis eòdem venerunt, non propter Ieſum tantùm; ſed vt Laza-
„ rum viderent, quem ſuſcitauit à mortuis. [adijciens porrò hoc:] Cogi-
„ tauerunt autem Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent: quia
„ multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum. De plebe
nihilominus eum die craſtino cum ramis palmarum & omni ſolemnita-
„ te in Hieruſalém proſequente, ſic refert: Teſtimonium ergo perhibebat
„ turba quæ erat cum eo quando Lazarum vocauit è monumento, & ſuſ-
„ citauit eum à mortuis: Propterea & obuiam venit ei turba; quia audie-
runt eum feciſſe hoc ſignum. Tandem verò vt videamus apertè, meri-
tiſſimò credendum eſſe Miraculis, recolligit omnia, cum ſtupore dicens:
„ Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum: vt
ſermo

ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, &c. [Ex quo loco etiam Chriſtum *Iſa.* 53.
ipſum qua nocte tradebatur exaggeraſſe eorũ ſcelus apud diſcipulos ſuos,
narrat:] Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non *Ioan.* 15.
haberent. nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Nam
& viderunt, & oderunt, &c. Ex quibus omnibus manifeſtiſſimum eſt,
neque accuſari poſſe eos qui Miraculis credunt, neque excuſari poſſe eos
qui Miraculis non credunt. Vnde & grauiſſimè exprobrauit Ciuitatibus,
in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pœniten- *Matth.* 11.
tiam. Quod quidem quomodo ad cauſam inter nos & Proteſtantes fi-
niendam valeat, expectet pauliſper Lector patiens, & videbit apertiùs.
Nunc verò interim videamus & de Diſcipulis: quomodo ſcilicet Chri-
ſtus non ſuam modò, ſed & illorum prædicationem propter Miracula
credi voluit.

Ob hanc igitur cauſam ad Iudæos ante paſſionẽ ſuam mittens Duo-
decim Apoſtolos, dedit illis poteſtatem [inquit Matthæus] ſpirituum im- *Matth.* 10.
mundorum vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem
infirmitatem. Et miſit illos [inquit Lucas] prædicare Regnum Dei: & *Luc.* 9.
ſanare infirmos. Et exeuntes [inquit Marcus] prædicabant vt pœniten- *Mar.* 6.
tiam agerent: & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos
ægros, & ſanabant. [continuóque addit:] Et audiuit rex Hærodes (mani-
feſtum enim factum eſt nomen eius) & dicebat, Quia Ioannes Baptiſta
reſurrexit à mortuis: & propterea virtutes operantur in illo. Adeò ni-
mirum euidens argumentum erat Diuinæ poteſtatis in Chriſto, quòd
non ſolùm ipſe operabatur Miracula, ſed & alijs hanc virtutem dedit.
Vnde & ipſe aliâs, cùm Diſcipulis ſuis dixiſſet, Non creditis quia ego in *Ioan.* 14.
Patre, & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite: [mox in
maiorem confirmationem ſubiecit:] Amen, amen dico vobis, qui cre-
dit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & his maiora faciet. [quem
locum tractat Chryſoſtomus diſertiſſimè pro Deitate Chriſti in Libro qui
inſcribitur De Vita Babylæ, contra Gentiles, quòd Chriſtus ſit Deus.] *Chryſoſt.*
Multi [inquit] olim alij Magiſtri [inter Gentiles] extitêre, qui & diſci- *tom.* 5.
pulos habuerunt, & miracula item oſtentarunt, quemadmodum iactitan-
tes gloriantur Gentiles. Veruntamen illorum nemo vnquam eiuſmodi
orationem vſurpare, ac ne animo quidem verſare ſuſtinuit, &c. Nam
tale quiddam profiteri, idque re ipſa præſtare, ad Diuinam illam virtutem
ſolam ſpectat, &c. Chriſtus igitur, vt ſe Iudæis Deum demonſtraret, hoc
Duodecim Apoſtolis ſuis & dixit & præſtitit. Non ſolùm autem illis,
ſed & poſtea alijs Septuaginta duobus, quos ſimiliter ad Iudæos ante

 Paſſio-

Luc. 10. „ Paſſionem ſuam miſit. Curate [inquit] infirmos qui in quacunque ciui-
„ tate ſunt, & dicite illis, Appropinquauit in vos Regnum Dei. [Et paulò
„ pòſt:] Reuerſi ſunt autem Septuaginta duo cum gaudio, dicentes, Domi-
„ ne, etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis, Ecce
„ dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper
„ omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc
„ nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur: &c. [Hæc (inquam) ante
Paſſionem fecit, & propter ſolos Iudæos.

Poſt Reſurrectionem autem mittens ad omnes Gentes, poſtquam
Matth. 28. dixiſſet vndecim diſcipulis, ſecundum Matthæum, Data eſt mihi omnis
Mar. 16. poteſtas in cælo & in terra: [& ſecundum Marcum addidiſſet,] Euntes
„ ergo in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui
„ crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, con-
„ demnabitur: [mox promiſit Miracula ad confirmandum, dicens:] Signa
„ autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eij-
„ cient, Linguis loquentur nouis, Serpentes tollent, Et ſi mortiferum quid
„ biberint, non eis nocebit, Super ægros manus imponent, & bene habe-
„ bunt. Et mox concludit idem Euangelium, & dicit: Illi autem profecti
„ prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante
„ ſequentibus ſignis. [Quæ eadem apud Ioannem etiam ante Paſſionē pro-
Ioan. 15. miſerat, dicens: Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis
„ à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhi-
„ bebit de me: & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.
Act. 1. [Idemque apud Lucam, ipſo die & hora Aſcenſionis: Accipietis virtu-
„ tem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſa-
lem, &c. [Propterea que accepto poſt decem dies Spiritu ſancto, & per
eum non ſolùm interna ſancta virtute atque robore, ad ſingulos perti-
nente, verumetiam viſibili miraculo variarum Linguarum, ad commu-
nem Eccleſiæ vtilitatem: reſpondet Petrus, & Apoſtoli non multò pòſt,
Act. 5. „ in concilio Iudæorum, maxima cum fiducia dicens: Deus Patrum no-
„ ſtrorum ſuſcitauit Ieſum quem vos interemiſtis, &c. & exaltauit dextera
„ ſua, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum. & nos
„ teſtes ſumus horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus om-
nibus obedientibus ſibi. [Ipſoque die Aduentûs Spiritûs ſancti idem ſan-
ctus Apoſtolus cū reliquis, ex Miraculis Chriſti ſic inuehitur in Iudæos,
Act. 2. „ vt eos ad pœnitentiam commoueret: Ieſum Nazarenum, virum appro-
„ batum à Deo in vobis, virtutibus & prodigijs & ſignis, quæ fecit Deus
„ per illum in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis: hunc &c. interemiſtis.

quem

quem Deus ſuſcitauit, &c. cuius omnes nos teſtes ſumus. ſumque miraculum etiam recens Spiritûs ſancti & Linguarum vrget, quod quidam illorum irridentes muſto tribuebant. Dextera igitur Dei exaltatus [inquit] & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis. [& confidentiſſimè poſt pauca ex his concludit: Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dominũ eum & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum, quẽ vos crucifixiſtis. [quo ſermone refert Lucas conuerſas eſſe die illa animas circiter tria millia. Eodem Motiuo inter alia vtitur idem poſtea ad Cornelium cæteraſque illas primitias Gentilium:
Ieſum à Nazareth vnxit Deus Spiritu ſancto & virtute, qui pertranſijt *Act.* 10.
benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Ieruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, &c. [Statimque Lucas:] Adhuc [inquit] loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbũ. Et mirantibus inde Iudæis fidelibus qui cum eo venerant, quòd & in Nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt (Audiebant enim illos loquentes linguis) reſpondit Petus, Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos? Et iuſſit eos Baptizari &c. [Quod quidem factum ſuum & paulò pòſt defendit Ieroſolymis per ipſum miraculum, diſceptantibus aduerſus illum Chriſtianis Iudæis, & dicentibus, Quare introiſti ad viros præputium habentes, *Act.* 11.
&c? [Petrus igitur exponens illis ordinem, in fine dicit: Cum autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio. Recordatus ſum autem verbi Domini, ſicut dicebat, Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis qui credidimus in Dominum Ieſum Chriſtum: ego quis eram qui poſſem prohibere Deum? [Multoque pòſt tempore, cùm quidam de Hæreſi Phariſæorum dicerent Chriſtianis Gentilibus, Quia niſi circuncidamini ſecundum morem Moyſi, non po- *Act.* 15.
teſtis ſaluari: [iterum Petrus allegat hoc idem miraculũ, vt oſtendat, Gentiles per Chriſtum ſolum ſine Moyſe ſaluari: Vos ſcitis [inquit in Concilio Hieroſolymitano] quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri neque nos portare potuimus?

" Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum
" & illi. [Continuóque Paulus & Barnabas ſimiliter:] Tacuit autem omnis
" multitudo [inquit Lucas] & audiebant Barnabam & Paulum narrantes
" quanta Deus feciſſet ſigna & prodigia in Gentibus per eos. Sic igitur Apoſtoli & Chriſtum tum Iudæis tum Gentibus, & fidem Chriſtianorum tum Iudæorum tum Gentilium, ex Miraculis commendarunt. Nec dum verò ipſorum Apoſtolorum Miracula commemoraui: quæ ſcilicet Lucas & per ipſos facta narrat, veritatem Doctrinæ eorum indè confirmans.

De his itaque multa Lucas memorabilia refert, tum in genere, tum in ſpecie, ſicut de Chriſto Euangeliſtæ ſimiliter. In genere quidem, his
Act. 2. " verbis: Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia &
" ſigna per Apoſtolos in Ieruſalem fiebant, & metus erat magnus in vni-
Act. 4. " uerſis. [Rurſus:] Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium
Act. 5. " Reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini. [Rurſus:] Per manus autem Apo-
" ſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. &c.

Act. 3. In ſpecie verò: primùm quòd Petrus cum Ioanne ſanauit claudum à matris vtero, quis non animaduertit quomodo tum à Petro tum à Luca
" inculcatur? Reſpice in nos, [inquit Petrus. Et mox:] In nomine Ieſu
" Chriſti ſurge, & ambula. &c. & protinus &c. exiliens ſtetit, & ambu-
" labat, &c. exiliens, & laudans Deum. Et vidit omnis populus eum, &c.
" Cognoſcebant autem illum, quòd ipſe erat &c. Deinde Petrus in Sermone ad populum, vehementer eis ex hoc commendans fidem Chriſti:
" fides [inquit] quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in con-
Act. 4. " ſpectu omnium veſtrûm. &c. [ita vt multi crederent, & fieret numerus
" virorum quinque millia. Cumque propter hoc conijcerentur in carcerem à Principibus illa nocte, die craſtino rogantibus eiſdem in concilio,
" vt terrerent Apoſtolos,] In qua virtute aut in quo nomine feciſtis hoc
" vos? [reſpondit Petrus conſtantiſſimè,] Si nos hodie dijudicamur in be-
" nefacto hominis infirmi, in quo iſte ſaluus factus eſt: notum ſit omni-
" bus vobis & omni plebi Iſraël, quia in nomine Ieſu Chriſti Nazareni,
" quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat
" coram vobis ſanus. &c. poſt quæ Lucas ſubijcit: Videntes autem Petri
" conſtantiam & Ioannis, comperto quòd homines eſſent ſine literis &
" idiotæ, &c: hominem quoque videntes ſtantem cum eis qui curatus fue-
" rat, nihil poterant contradicere. [Et quòd illis excluſis, mox inuicem
" dixerint,] Quid faciemus hominibus iſtis? quoniam notum ſignum fa-
" ctum eſt per eos etc. manifeſtum eſt, et non poſſumus negare. Sed ne

amplius

ampliùs diuulgetur in populum, comminemur eis etc. Et etc. dimiſe-
runt eos [inquit Lucas:] non inuenientes quomodo punirent eos, prop-
ter populum: quia omnes clarificabant Deum in eo quod factum fuerat.
Annorum enim erat ampliùs homo quadraginta, in quo factum fuerat
ſignum iſtud ſanitatis. etc. [in homine ſcilicet tot iam annos claudo, inde
vſque ab vtero matris ſuæ. Poſt iſta refert iterum de Petro longè ad-
huc mirabiliora: Magis autem augebatur [inquit] credentium in Do- Act. 5.
mino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas eijcerent infir-
mos, et ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra
illius obumbraret quęquam illorum. Concurrebat autem et multitudo
vicinarum ciuitatum Ieruſalem, afferentes ægros et vexatos à ſpiritibus
immundis. qui curabantur omnes. [Poſthæc de eodem narrat, quomo-
do Lyddæ ſanauerit AEneam paralyticum, ab annis octo iacentem in Act. 9.
grabato. Et viderunt eum [inquit] omnes qui habitabant Lyddæ, et
Sarónæ: qui conuerſi ſunt ad Dominum. [De eodem rurſus, quomodo
apud Ioppen ſuſcitauerit Tabithan à mortuis. Et, notum factum eſt
[inquit] per vniuerſam Ioppen: et crediderunt multi in Domino.

Iam et de Stephano Diacono et protomartyre: faciebat [inquit] Act. 6.
prodigia et ſigna magna in populo. Item de Philippo Diacono in ciui-
tate Samariæ, predicante illis Chriſtum: Intendebant [inquit] turbæ Act. 8.
his quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter audientes, et videntes ſigna
quæ faciebat. Multi enim eorum qui habebant ſpiritus immundos, cla-
mantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici, et claudi curati
ſunt. [Cuius opera ibi tam mirabilia fuiſſe narrat, vt de ipſo Simone,] qui
ante fuerat in ciuitate magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe
aliquem magnum: cui auſcultabant omnes à minimo vſque ad maxi-
mum, dicentes, Hic eſt virtus Dei quæ vocatur magna. Attendebant
autem eum, propter quod multo tempore magicis ſuis artibus demen-
taſſet eos: porro adijcit, dicens: Tunc [cæteris ſcilicet credentibus Phi-
lippo, et baptizatis,] Simon et ipſe credidit: et cùm baptizatus eſſet ad-
hærebat Philippo. Videns etiam ſigna et virtutes maximas fieri, ſtupens
admirabatur. Denique quoad D. Paulum: quantis primum miracu- Act. 9.
lis eum de perſecutore conuerſum in Apoſtolum narrat Lucas! quanta
deinde feciſſe ipſum refert! vt in Excæcatione Elymæ magi, qui quære- Act. 13.
bat auertere Proconſulem Sergium Paulum à fide. [Vbi Lucas:] Tunc
[ait] Proconſul cùm vidiſſet factum, credidit, admirans ſuper doctrina
Domini. [vt in Sanatione claudi (apud Lyſtram) ab vtero matris ſuæ, Act. 14.
qui nunquam ambulauerat. Sed dicente Paulo magna voce,] Surge ſuper

pedes

„ pedes tuos rectus, exiliuit, & ambulabat. ita vt turbæ cùm vidiſſent quod „ fecerat Paulus, leuarint vocem ſuam Lycaonicè dicentes, Dij ſimiles „ facti hominibus, deſcenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam, Iouem: Paulum verò, Mercurium. [Vixque contineri poterant, quin immolarent eis. Iconij etiam multo tempore demorati fuerant, vt ait Lucas, fiducialiter agentes in Domino teſtimoniũ perhibente verbo gratiæ ſuæ, *Act. 19.* dante ſigna & prodigia fieri per manus eorum. Epheſi quoque per bien„ nium virtutes non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam „ ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria vel ſemicinctia: & *Act. 28.* recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur. Poſtremò „ in inſula Melita viperam quæ inuaſit manum eius, excutiens in ignem, „ nihil mali paſſus eſt. & patrem Publij Principis inſulæ à febribus & dyſen„ teria ſanauit. Quo facto, & omnes qui in inſula habebant infirmitates, „ accedebant & curabantur. Prolixus fio, dum de pauciſſimis quæ ſcripſit Lucas, pauca commemoro.

Sic igitur Chriſtus prædicationem ſuam, ſic prædicationem Apoſtolorum ſuorum (quæ eadem prorſus fuit) miraculis confirmauit. Conferantur iam iſta ad nos & ad Proteſtantes, & quorum prædicationem ſimiliter confirmet Chriſtus, inquiratur. Non enim de ipſo confirmationis genere, maximeque poſt tam multa tamque aperta Scripturarum teſtimonia, dubitare quiſquam poteſt. Quorum itaque prædicationem ſic confirmet Chriſtus (vt quædam dicam generaliter, priuſquàm ad ſpecialiora deſcendam) niſi vtique eorum quos poſt Apoſtolos ad prædicandum mittit? qui ſumus nos, & non Proteſtantes, vt in ſuperiori Motiuo clariſſimè & multifariàm demonſtraui. Quorum rurſus, niſi eorum qui authoritatem miraculorum defendere compelluntur? qui rurſum ſumus nos, vt in principio Motiui huius admonui, magis ideo laborantes, vt miracula vindicemus à calumnijs Proteſtantium, quàm vt nos habere miracula, eaque innumerabilia, doceamus. Quorum rurſus, niſi eorum (id quod hoc loco diligenter conſiderandum eſt) qui *Contra Ecclesiam inuiſibilem.* Eccleſiam viſibilem defendunt ſemper eſſe ſuperſtitem? qui rurſum ſumus nos, vt omnes ſciunt, Proteſtantibus interim, ne manifeſtum eis imponat ſilentium perpetuitas Eccleſiæ in Scripturis teſtatiſſima, coactis contra Scripturas & contra ſenſum communem & contra id quod oculis noſtris videmus, fingere Eccleſiam neſcio quam neque quot ſeculis inuiſibilem, quæ demum authore Luthero, qui etiam erat ex noſtris monachis, (id eſt ſcilicet Proteſtans inuiſibilis) è tenebris illis tam diuturnis emerſerit. Sed ad iſtius figmenti nebulam diſſipandam non alia opus eſt

ratione,

ratione, niſi vt ipſa quæ dixi Chriſti & Apoſtolorum miracula prudenter & ſedulò contemplemur. Inueniemus enim planiſſimè, tam multa & tam mira ab eis facta eſſe inter initia, ob hanc ipſam cauſam, vt prima ſic iacerentur ſolidiſſimè & in æternum Eccleſiæ fundamenta, hominumque multitudo congregaretur ad fidem, quam cunctis deinde ſæculis omnes poſteri intuentes, ab ea conſilium ſalutis acciperent. Quod quidem ſapientes facilè animaduertunt per ſe ita eſſe: Veruntamen ſi etiam tardioribus idem clariſſimè demonſtrauero, negare nemo poterit, quin controuerſia quæ nunc inter nos & Proteſtantes eſt, vel quæ etiam vnquam fuit aut erit cum quibuſcumque hæreticis, ipſis Chriſti & Apoſtolorum miraculis terminetur. quatenus nimirum neque Proteſtantes neque vlli alij hæretici Eccleſiam ſemper viſibiliter permanentem ſibi vel poſſint vel audeant vendicare. Hoc igitur quomodo demonſtramus? quòd (inquam) miracula illa tunc facta ſunt ad Eccleſiam huiuſmodi in æternum ſtabiliendam.

Id quidem ante nos (ne laboremus) viri ſapientiſſimi & antiquiſſimi apertiſſimè demonſtrarent, & hoc in Libris ſuis, quos aduerſus Paganos pro fide Chriſti conſcripſerunt: vt hic rurſus (ſicut ſæpe aliàs) videamus, & videntes deteſtemur Proteſtantes Paganis contra Chriſtum & Chriſtianos cooperantes. Ecce enim: quod dixit Ioannes de Signis Chriſti, Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei, *Ioan. 20.*
& vt credentes, vitam habeatis in nomine eius: [hoc ego ſequens, refero Pagano, vel cuipiam noſtri temporis & nominis Atheo vel Achriſto, miracula Chriſti & Apoſtolorum, ſicut ſuprà commemoraui fuſiùs: & ex illis hortor vt conſulat ſaluti ſuæ, credens Ieſum filium Mariæ eſſe Chriſtum Filium Dei Saluatorem mundi. Quid ille ad hæc? Negabit ſine dubio illa miracula quia, non credit Scripturis, & dicet eſſe figmenta: idque hoc argumento, quia talia non videt à nobis etiam modò fieri. Quid hic Chriſtianus faciet? aut olim quid fecerunt? S. Auguſtinus vir admirabilis, in illo exquiſitiſſimo contra Paganos Opere ſuo De Ciuitate Dei, quid fecerit, vt illis Chriſti Reſurrectionem & Aſcenſionem perſuaderet, videamus. Mundus [inquit] propterea numero *Auguſt. de Ciu. Dei li. 22. ca. 5.*
exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorũ hominum [id eſt, Duodecim Apoſtolis] credidit: quia in tam contemptilibus teſtibus multò mirabiliùs Diuinitas ſe ipſa perſuaſit. Eloquia namque perſuadentium quæ dicebat, mira fuerunt facta non verba. Qui enim Chriſtum in carne reſurrexiſſe, & cum illa in cælum aſcendiſſe non viderant, id ſe vidiſſe narrantibus non loquentibus tantùm, ſed etiam mirifica facientibus ſigna, credebant.

Ibique refert illis miracula Apoſtolorum, quæ ſuprà retuli, de Linguis, de Claudo, de Sudarijs, de Vmbra, de Mortuis. Et tandem contra hæc
Cap. 8. „ obijcientes inducit Paganos his verbis: Cur, inquiunt, nunc illa Miracula quæ prædicatis facta eſſe, non fiunt? Et duobus modis reſpondet: ambobus autem non minùs Proteſtantium, quàm Paganorum refellitur incredulitas. Primùm enim dicit, illis miraculis fundatam eſſe Eccleſiam, cui in æternum etiam ſine miraculis credant & Pagani. Secundò dicit, etiam tum fieri miracula, quanquam non æquè potuerint omnibus innoteſcere: miracula (inquam) quæ diſertè contra Proteſtantes pro Religione noſtra faciunt.

„ Quoad primum ſic ait: Poſſem quidem dicere, neceſſaria fuiſſe „ priùs quàm crederet mundus, ad hoc, vt crederet mundus. [Sed nunc,] „ Quiſquis adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnum eſt ipſe prodi- „ gium, qui mundo credente non credit. [in quam ſententiam plura quo-
Moti. 34. que ſuperiùs dixerat: & plura ego dicturus ſum infrà, in Motiuo de Authoritate Eccleſiæ. Interim verò huius loci ſunt & illa quæ hanc in partem etiam contra Manichæos hæreticos parum meliores Paganis, diſpu-
Aug. l. de vtil. cred. cap. 14. tat in Libro quem ob id vocauit de Vtilitate credendi. Ipſum [inquit] „ Chriſtum videmus, &c, nihil priùs, neque fortius, quam credi ſibi, vo- „ luiſſe. &c. Quid enim aliud agunt tanta & tam multa Miracula, ipſo „ etiam dicente illa fieri non ob aliud, niſi vt ſibi crederetur? &c. Ergo ille „ afferens medicinam quæ corruptiſſimos mores ſanatura eſſet, Miraculis „ conciliauit authoritatem: authoritate meruit fidem: fide contraxit mul- „ titudinem: multitudine obtinuit vetuſtatem: vetuſtate roborauit Reli- „ gionem [illa eſt Medicina nimirum quam attulit] quam non ſolùm Hæ- „ reticorum ineptiſſima nouitas fraudibus agens, ſed nec Gentium qui- „ dem veternoſus error violenter aduerſans, aliqua ex parte conuelleret. Etiámne vident Proteſtantes & cæteri infideles, quorſum Miracula Chriſti tendebant? Num vident tandem, Eccleſiam & Religionem cui omnes ſe ſanandos tradant, illis in æternum ſtabilitam eſſe? Quod ſi ita eſt, quid obſecro opus erat nobis Luthero ſeu Caluino ſeu neſcio quo alio Eccleſiæ ac Religionis quaſi plurimis ſeculis collapſæ inſtaurarator? Aut ſi hoc ita eſſe negant, reſpondeant hìc iterum pro Paganis & Manichæis: reſiſtant Auguſtino, reſiſtant euidentiæ rerum quam ille ſequitur, vt hoc de Miraculis Chriſti ad ſtabiliendam Eccleſiæ perennis authoritatem ſpectantibus dicat. Vel ſapiant potiùs, & conſiderent, quàm
Cap. 15. „ euidenter iſta rurſus in ſequentibus ille deducat. Sapiens enim, quan- „ tum [inquit] datum eſt, imitatur Deum: Homini autem ſtulto ad imitandum

tandum ſalubriter, nihil eſt homine Sapiente propinquius : quem quoniam intelligere ratione non facile eſt, oportebat quædam Miracula ipſis oculis admoueri ; quibus [oculis] vtuntur ſtulti multo quàm mente commodiùs: vt commotorum authoritate hominum priùs vita moreſque purgarentur, & ita rationi accipiendæ habiles fierent. Igitur &c, quid potuit indulgentius, &c. fieri, quàm vt ipſa &c. Sapientia &c, ſuſcipere hominem dignaretur ? qui non modò illa faceret, quibus ad ſequendum Deum inuitaremur ; ſed etiam illa pateretur, quibus à ſequendo Deo deterrebamur, &c. Hæc eſt (crede) ſaluberrima authoritas. Et poſt pauca: Authoritas autem dupliciter nos mouet: partim Miraculis, partim ſequentium multitudine: &c. Talia [miracula ſcilicet gratioſa] facta ſunt in illo tempore, quo Deus in Verbo-Homine, quantum ſat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leproſi ; inceſſus claudis, cæcis viſus, ſurdis auditus eſt redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conuerſam, ſaturata quinque millia quinque panibus, tranſita pedibus maria, mortuos reſurgentes viderunt. &c. ſic in ſe tunc animas errantes mortalium, Diuina commouebat authoritas. [Ibique eandem quam priùs, obiectionem inducit, dicens : Cur (inquit) iſta modo non fiunt ? [Et reſpondet vt priùs, de quo ſcilicet nunc agimus, facta eſſe miracula in initio ad Eccleſiæ deinceps authoritatem ſtabiliendam. Facta ſunt igitur illa opportuniſſimè, vt his Multitudine credentium congregata atque propagata, in ipſos mores vtilis conuerteretur authoritas. [vt nimirum Authoritas quæ primùm mouebat nos Miraculis, deinceps ſemper moueret nos Multitudine credentium, quæ eſt Eccleſia : ita vt non amplius requireremus Miracula, ſed mores Eccleſiæ ſemel fundatæ Miraculis ſalubriter ſequeremur. Vnde eſt & S. Gregorij elegantiſſima ſimilitudo: Nunquid nam [inquit] fratres mei, quia iſta ſigna [de quibus Chriſtus ait, Signa autem eos qui credituri ſunt, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejjcient, &c.] non facitis, minimè creditis? Et reſpondet vt Auguſtinus ſuprà : Sed hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Vt enim ad fidem creſceret Multitudo credentium, Miraculis fuerat nutrienda : quia & nos cùm arbuſta plantanus, tam diu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra iam coaluiſſe videamus ; & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit. Sic igitur ex Miraculis Chriſti & Apoſtolorum neceſſariò deducitur contra Proteſtantes Eccleſia noſtra, quia declarant illa Miracula arbuſtum cuius radices irrigabant, deinceps, ceſſante illorum irrigatione, perpetuò creſcere, & nos authoritate ſua iam ſine miraculis commouere. ex quo (inquam) Eccleſia

Cap. 16.
Matth. 11.
Ioan. 2.
Matth. 14.
Ioan. 11.
Greg. P. Hom. 29. in Euang.
Mar. 16.

noſtra (vt omnes vident) neceſſariò deducitur. Sed Auguſtinus etiam expreſſè oſtendit, ſe ibi de Eccleſia noſtra agere. Nam cùm ex Miraculis primitiuis Eccleſiam deduxiſſet, cuius iam moribus & authoritate ducamur, ſubiecit ſtatim mores Eccleſiæ noſtræ, vt circa ieiunia, circa cœlibatum, circa paupertatem, &c: per eoſdem mores populi noſtri magnoperè conſultum eſſe rebus humanis oſtendens. & adhuc expreſſiùs, dum ita infert: Cum igitur tantum auxilium Dei [ex prædictis Miraculis] tantum profectum fructumque [ex populorum Eccleſiæ moribus] videamus: dubitabimus [inquit] nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica Sede per Succeſſiones Epiſcoporum, fruſtrà Hæreticis circumlatrantibus, & partim Plebis ipſius iudicio, partim Conciliorũ grauitate, partim etiam Miraculorum maieſtate damnatis, culmen Authoritatis obtinuit? Cui nolle † primitias dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ. &c. Theophylactus ſimiliter, ſuper illud, Chriſtus factus eſt in caput Anguli [id eſt, Eccleſiæ:] & eſt admirabilis [angulus ſcilicet, ſic enim legit] in oculis noſtris. Eccleſia [inquit] eſt mirabilis in noſtris fidelium oculis. Ab infidelibus enim Miracula calumniam patiuntur. Mirabilis eſt igitur Eccleſia, quaſi ex Miraculis conſtituta, Domino cooperante Apoſtolis, & ſermonem confirmante per ſequentia ſigna. [Omnia igitur Miracula Chriſti & Apoſtolorum hac generali ratione faciunt contra Proteſtantes, & contra omnes Hæreticos, & pro Eccleſia noſtra. Quædam tamẽ etiam ſpecialiter. Et alia quidem paulò pòſt attingam: Huius autẽ loci eſt vnum in Actis, quod non ſolùm generaliter, verum etiam ſpecialiter (inquam) demonſtrat, Eccleſiã viſibilem eſſe perpetuã: vt quæ eiuſmodi ſit vt omnia contra eam quorũcumque conamina ſint inania, illam opprimere non valentia, ſed maiorem potius illi adferentia gloriã & ſplendorem. Hoc enim diuinitus declaratũ eſt Miraculo Terræmotus, quando primi Chriſtiani Maiores noſtri, occaſione primi contra Eccleſiam moliminis, propter minas quibus Iudæorum Principes Petro & Ioanni comminati ſunt, ne vltrà loquerentur in nomine Ieſu vlli hominum: inter cætera (in quibus è pſalmo dicebant, populi meditati ſunt inania) ſic orabant: Et nunc Domine reſpice in minas eorũ, & da Seruis tuis cum omni fiducia loqui verbũ tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad ſanitates & ſigna & prodigia fieri per nomen ſancti Filij tui Ieſu. Et cùm oraſſent [inquit Lucas] motus eſt locus in quo erant congregati: [in ſignum ſcilicet Orationis exauditæ. Hæc igitur contra Hæreticos dicta ſint ex prima Auguſtini reſponſione ad illam infideliũ quæſtionem, Cur & nunc Miracula non fiant?

Auguſt. de vtil. cred. cap. 17.

† al. primas partes.

Theoph. in Mat. 12.

Mar. 16.

Act. 4.

Pſalm. 2.

Iam quoad

Iam quoad ſecundam eius reſponſionem : & illa non minùs, quia multo etiam magis percellit Proteſtantes, quemadmodum & Paganos. Continet enim multa in ſpeciali Miracula, quæ & ſuo tempore facta ſunt, eaque Religionem noſtrã (quam hodie blaſphemant Proteſtantes, quamque in hoc Motiuo contra eos ex Miraculis ego defendo) euidentiſſimè confirmantia. vſqueadeò vt cum talia, id eſt Religionis noſtræ Miracula, valeant contra Paganos (vt mox videbitur) ad aſſerenda Chriſti & Apoſtolorum miracula quæ illi non credunt, ex hoc perſpicuum ſit, Proteſtantes dum religioni noſtræ eiuſque Miraculis ſe opponũt, itidem Chriſto, & Apoſtolis, eorumque Miraculis ſe opponere, & perfidiſſimè ſe Paganis adiungere: ſed fruſtrà tamen, quia vtrique diuina Miraculorum maieſtate vincuntur. Sed hîc primò commemorandum eſt, quid S. Auguſtinus occaſione primæ illius reſponſionis (de qua dixi) in Retractatione Libri De vtilitate credendi admoneat. Cùm Miracula † commemoraſſem quæ Dominus Ieſus fecit cùm hîc eſſet in carne, adiunxi dicens: Cur, inquietis, iſta modò non fiunt? atque reſpondi, quia non mouerent, niſi mira eſſent: ſi autem ſolita eſſent, mira non eſſent. Et tum ſubiungit Retractationem ſeu interpretationem, & in ea ſecundam (quam aggredimur) Reſponſionem. Hoc autem dixi [inquit] quia non tanta, nec omnia modò; non quia nulla fiunt etiam modò. Vnde De Ciuitate Dei plenius multa loquitur; & Miracula ipſa commemorat. Ac primùm quidem generaliùs: Nam etiam nunc [inquit] fiunt Miracula in eius nomine, ſiue per † Sacramenta eius, ſiue per Orationes, vel Memorias [id eſt Reliquias, vt ibi patet] Sanctorum eius. cauſam autem cur non æquè nota ſint, ac illa Chriſti & Apoſtolorum Miracula, reddit hanc: Canon quippe Sacrarum Literarum quem diffamatum eſſe oportebat, illa facit vbique recitari, & memoriæ cunctorum inhærere populorum: Hæc autem vbicumque fiunt, ibi ſciuntur, vix à tota ipſa ciuitate vel quocũque commanentium loco. Nam plerunque etiam ibi pauciſſimi ſciunt, ignorantibus cæteris; maximè ſi magna ſit ciuitas: & quando alibi alijſque narrantur, non tanta ea commendat authoritas, vt ſine difficultate, vel dubitatione credantur, quamuis Chriſtianis fidelibus à fidelibus indicentur.

Aug. 1. Retract. 14.
† De vtil. cre ca. 16.
De Ciu. li. 22. ca. 8.
† Tria per quæ fiunt Miracula in Eccleſia.

Deinde verò ſpecialiter poſt hæc, multa ſibi ipſi nota & comperta (exemplorum cauſâ) connumerat. quæ omnia quia verbis eius referre perlongum eſſet, breuiter perſtringam, quatenus huc ſpectant, & quantum inſtituto noſtro ſufficiat. Per Signum Crucis, ſignante (vt in viſione iuſſerat Deus) fœmina recens baptizata, ſanatum refert cancrum in mammilla mulieris: Aqua Baptiſmi ſanatos duos, Podagricum & Paralyticum:

Tom. 1. Concil. concilio Mileuit. cap. 12. Per Oblationem Sacrificij Corporis Chriſti in domo quadam (quam & ipſe alibi Miſſam vocat) fugatos inde Dæmones qui eam affligebant: Per terram Sanctam, de Hieroſolymis allatam, cubiculum à Dæmonum afflictione cuſtoditum, & ſanatum Paralyticum: Per Viginti Martyres, ad quos orabat Pauper quidam in loco Reliquiarum eorum, donatum ei mirabiliter Piſcem maximum, cum annulo aureo in ventriculo: Per Reliquias Sanctorum Geruaſij & Protaſij, Mediolani (vbi reuelatæ ſunt S. Ambroſio epiſcopo) illuminatum cæcum; & alibi per eaſdem conditas in Altari, liberatum Dæmoniacum, & oculum ei reſtitutum, & ſanatos multos alios. Per Reliquias S. Stephani Protomartyris, hîc cæcam illuminatam; illic fiſtulam Epiſcopo ſanatam; alibi Presbyterum calculo liberatum, & eundem poſtea à mortuis ſuſcitatum, infidelem adductum mirabiliter ad baptiſmum & cælo denique donatum, & tres podagricos curatos; alibi, ex læſione graui mortuum puerum reuixiſſe illæſum, & Sanctimonialem quoque à morte reſuſcitatam; alibi, puellam, itemque puerum ſuſcitatum ſimiliter; alibi, alium adhuc puerum ſuſcitatum; alibi, languidam mirè ſanatam; alibi, duos à diuturno & horribili tremore curatos; apud Hipponem ipſam (vbi epiſcopus erat Auguſtinus) ſeptuaginta miracula (præter alia quæ non ſunt numerata) biennio per huius Martyris reliquias facta eſſe. ita vt dicat ibi tandem Auguſtinus: Si
» enim Miracula Sanitatum (vt alia taceam) modò velim ſcribere, quæ
» per hunc Martyrem, id eſt, glorioſiſſimum Stephanum, facta ſunt in
» colonia Calamenſi, & in noſtra, plurimi conficiendi ſunt libri. [Quanto igitur plures adhuc eſſent libri, ſi omnia colligerentur, non ſolum S. Stephani, ſed & aliorum Sanctorum omnium, & Sacramentorum, & reliquorum ad Religionem noſtram pertinentium: eaque ſiue tempore Auguſtini, ſiue antè, ſiue pòſt in hunc vſque diem facta: nec ſolum Hippone, & Calamæ, vel in tota Africa, ſed etiam in Italia, Gallia, Anglia, & in toto terrarum orbe patrata. Haud dubiè quod dixit S. Ioannes de
Ioan. 21. Miraculis Chriſti, multo magis de his liceat dicere, quòd ſi ſcribantur
» per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi
» ſunt, libros. Veruntamen prodibit fortaſſe aliquando iuuante Deo aliquid in hoc genere, quod ſanandæ huius ſeculi infidelitati, non ſolùm Proteſtantium, ſed & reliquorum Deo & Chriſto incredulorum, con-
Liber de Miraculis. ducere queat plurimum: collecturo nimirum per Dei gratiam quodam familiari meo pleraque miracula ex probatis authoribus, & ſic digeſturo, vt & genera rerum, ſicut Suſcitationes mortuorum, Illuminationes cæcorum, cum alijs huiuſmodi, ſuis capitulis ordinentur; & quæ in Africa,

quæ

quæ in Italia, quæ alibi; & quæ ante Chriſtum, quæ ſub Chriſto, quæ in prima poſt centuria, quæ in ſecunda, & deinceps; item quæ per S. Stephanum, quæ per S. Petrum, quæ per S. Franciſcum, quæ per reliquos ſanctos; item quæ per Baptiſmum, quæ per Miſſam, quæ per Signum crucis, quæ per Reliquias has & has, illas & illas, quæ per reliqua Religionis noſtræ ſint facta, ordinibus pulcherrimis conſpiciantur: ſic vbique collatis inter ſe miraculis Chriſti & Eccleſiæ, vt & hæc ab illis exempla antiquitus in omni genere, & illa ab his nouam quotidie, viſibilem ſemper, & continuam quandam confirmationem habere cernantur. Ex quibus omnibus clariſſimè apparebit, noſtram Eccleſiam eſſe, in qua impletur illud quod de ea Chriſtus glorioſiſſimè prædixit: Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & his maiora faciet. Quod quidem ex illo Libro clariùs conſtabit: ſed & interim ex hoc noſtro Motiuo claret abundè, vt iam contra Proteſtantes, verbis Auguſtini contra Paganos qui quærebant, Cur iſta miracula nunc non fiant? meritò poſſim ſecundam eius reſponſionem concludere: Fiunt ergo etiam nunc multa miracula: eodem Deo faciente per quos vult, & quemadmodum vult; qui & illa quæ legimus (in Scriptura ſacra) fecit: ſed iſta non ſimiliter innoteſcunt, &c. *Ioan. 14.*

Et hoc moneo omnes diligentiſſimè conſiderare: quòd (inquam) non ſolùm Miracula, eaque infinita, habeamus contra Proteſtantes, verùm etiam quòd eadem noſtra Miracula ſint, quæ ipſa Chriſti & Apoſtolorum miracula olim ſcripta, iam contra Gentiles & cæteros illa negantes exemplo ſuo ſemper & aſſiduè tueantur. Vnde vt Auguſtinus, ſic etiam Chryſoſtomus ex eiſdem argumentum ſuum contra Gentiles pro Chriſti deitate corroborat. Eſt autem operæpretium & iucundum videre ordinem. Dominus [inquit] noſter Ieſus Chriſtus dixit Diſcipulis: Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & his maiora faciet. [Et infrà:] Quòd ſi quis fortè mecum contendat, vbinam Chriſti oraculum hoc finem ſuum ſortitum ſit: accepto in manus Libro eo cui Acta Apoſtolorum nomen eſt (continet autem is non acta ipſa omnia, neque omnium, ſed vnius tantùm, & alterius, & ea quidem numeratu facilia,) [id eſt pauciſſima] videbit, hinc ægrotos in lectulis decumbentes, Vmbras autem Beatorum illorum ſolo ſtatim corporum attactu ipſis ſanitatem reſtituere: hinc furioſos permultos nullo prorſus alio quàm tactarum Pauli veſtium remedio euaſiſſe, vt à dæmone quo exagitabantur, liberarentur. [Et rurſus inferiùs hæc antiqua per noua Reliquiarum miracula probat, ſic dicens:] Atque quòd *Chryſoſt. cō. Gentiles de S. Babyla, quod Chriſtus ſit Deus.* *Act. 5.* *Act. 19.*

veteran

„ vetera ea quæ nos auditu accepimus, non minore fide digna ſint, quàm
„ quæ præſentia ſunt, & quæ ipſi videmus: id certè omnes fateantur, niſi
„ ſi qui fortè ſtupidi, ac delirantes fuerint: Verùm vt victoriam etiam vel
„ ex ſuperioribus facultatibus [intelligit vmbram Petri, & Sudaria Pauli,
„ quæ dixit] reportemus, volo & memoriæ noſtræ nouum quoddam atque
„ inopinatum facinus proferre. [Et ſubijcit Miracula diuina Reliquiarum S. Babylæ, quæ primùm oraculo Apollinis Daphnæi ſilentium impoſuerunt, & demum Idôlum atque Templum per ignem cælitus deſtruxerunt. de quibus alio loco plura mihi dicenda ſunt.] Nunc igitur ex his quæ diximus; quibus non potiùs libet eſſe in tenebris & in hoc ſeculo & in futuro, vident apertiſſimè, quod nobiſcum contra Proteſtantes ſtent tum in genere Chriſti & Apoſtolorum Miracula, tum in ſpecie alia infinita. nec vllum ſubterfugiendi locum habent, quia (vt oſtendi) hinc Miracula, & Chriſtum per Miracula, Scripturæ nobis & res ipſa cõmendat; illinc rurſus Miracula noſtra talia ſunt, vt Miraculis Scripturarum teſtimonium contra Gentiles ipſa perhibeant.

Act. 16.

Sed licèt hæc ſatis ſuperque ſufficiant, placet tamen Auguſtinum & Chryſoſtomum imitari, vt ſicut illi de ſuo tempore fecerunt; & ſicut alij Chriſtiani Maiores noſtri ſimiliter de ſuis quique temporibus facere potuerunt, adeoque fecerunt, vt prædictus Liber aliquando Deo aſpirante docebit: ita ego noſtri temporis vnum ſaltem (ſunt enim infinita, & in Hiſtorijs huius ætatis occurrunt plurima) Miraculum magnum, à nemine adhuc Latinis literis cõmendatum, ſed mihi ipſi & plurimis alijs Anglis exulibus, Flandris verò innumeris longè notiſſimum, in honorem Dei & Religionis Catholicæ referam quàm breuiſſimè.

Miraculum Bruxellis in fœmina Anglica.

Margarita Ieſophi Anglica venit Bruxellas celeberrimam Belgij ciuitatem, anno Domini 1569. ipſa tunc hæretica, & annos nata quaſi viginti octo. Venit autem, vt quæreret iuuenem nomine Ioannem Maſtenum Bruxellenſem, qui eam, præcedente inter ipſos duos contractu matrimonij, reliquerat Londini in Anglia de ſe grauidam. Porrò inuenit eum Bruxellis alij mulieri interea copulatum, & priora ſponſalia pernegantem. Ipſa denique apud duas ſorores viduas vetulas, quæ, vt erant religioſiſſimæ, peregrinam, ignotam, inopem, grauidam domumcula ſua ſuſceperant, in magna paupertate cum maxima difficultate & vitæ periculo tandem peperit. Relictus autem eſt ex tam difficili partu in dextro latere ſpecus profundus, quaſi coſtarum aliquæ incidiſſent, cute tamen integra: nerui etiam dextri femoris ſic contracti ſunt, vt ad terram dimidio pede non pertingeret. ita vt tribus menſibus decumberet neceſ-

neceſſariò; deinde verò ægrè conſurgens, altera tibia & baculo innixa, tribus annis & quatuor menſibus laborioſè & deformiter claudicaret. Quod ita erat notabile, vt cum mox Ioannem prædictum in iudicium de contractu & læſione vocaret, ille contrà exciperet, eam ante notitiam ſuam, à natiuitate vſque claudam fuiſſe: illa ibi indignante, & Deum plurimùm obteſtante, vt qualẽ eam ille viderat, talem etiam videat. Denique à duobus chirurgiæ peritiſſimis deſperata eſt. Ipſa interim veram religionem à deuotis hoſpitibus & catholica ciuitate edocta, biennio ante quàm ſanata eſt, ſpem firmam quòd ſanaretur, à Deo concepit. Sunt autem Bruxellis in Eccleſia magna S. Gudilæ tres Sacræ hoſtiæ (vocant Sacramentum Miraculi) ab anno Dom. 1369, quando à Iudæis impiè ſunt confoſſæ, ſanguinolentæ. Earum hiſtoriam longum eſt hìc narrare: veritatem autem eiuſdem declarat euidentiſſimè tũ aſſiduus ad eas concurſus populi, tum annua earum quæ religioſiſſimè in Dominica ſequente Feſtum S. Margaretæ, celebrantur, ſolemnitas; tum hoc ipſum quod per eas Margaritæ noſtræ ſignum contigit ſanitatis. Itaque anno Dom. 1573, ab initio maximè Quadrageſimæ quæ dictam Solemnitatem anteceſſit, cùm aſſiduis ieiunijs, crebris vigilijs, frequenti vſu confeſſionis & communionis, & alijs multis pietatis exercitijs Diuinam opem ſedulò implorasſet; indeque tantam à Deo ſpem obtinendi voti accepiſſet, vt auſa ſæpè ſit familiaribus affirmare, quòd ſequens Sacramenti & Miraculi Solemnitas eam ſanam ſibi & integram reſtitueret: tandem ipſa die ſolemni confeſſa & cõmunicata, in Miſſa Solemnitatis coram Altari genibus inter alios plurimos prouoluta, mox à principio Miſſæ talem in toto corpore horrorem tremoremque ſenſit, eas membrorũ omnium extenſiones atque conuulſiones, ſequente ſudore frigidiſſimo magna copia, & memoria atque ſenſibus paulatim inde deficientibus, vt penè ſibi perſuaderet, horã iſtam eſſe mortis ſuæ. Verumtamen propter reuerentiam loci & cœtûs ſuſtinens parumper vt potuit, & in manus Dei cuncta commendans; poſt Epiſtolam lectam, meliuſculè & mente & corpore cœpit habere. Ad Euangelium verò adiutorio baculi ſui, cum cæteris de more ſurrexit. cogitat verò ſtatim apud ſe, quòd adiutorio illo non eguerit, quodque iam vtroque pede ſtet, breuiore tibia non minus terram tangente quàm altera. Poſt Euangelium iterum tacita & admirabunda congeniculatur, vſque ad finem Sacri & benedictionem Epiſcopi. Tum verò ad Aquam benedictam omnibus (vt ibi poſt Sacra mos eſt) concurrentibus, & ipſa concurrit, & baculi quidem ſui præ nimia feſtinatione prorſus oblita. Mox recordata ſui, in eo quod ſibi acciderat obſtupeſcit, & parum abeſt quin etiam admirans vociferetur.

Miraculoſæ Hoſtiæ Bruxellis.

Denique cum maximo gaudio & tacita magnificatione Dei, ante Proceſſionem egreditur de Eccleſia vel currit potiùs: mirantibus quòd erecta incederet ſine baculo familiaribus quibus fortè occurrit in tanta multitudine; quòd ſibi hoc feciſſet Sacramentum Miraculi, gratulabunda deprædicans. Quod dum illa ſic pauciſſimis quaſi ſecretum quiddam indicaret, ita mox increuit fama, per illos maximè qui circa illam in Miſſa congeniculantes omnia obſeruarant, vt ſtatim baculũ in ipſo loco ſublatum, & presbytero cuſtodi Hiſtoriarum mirabilium traditum, ab illo ſuſpenderetur ad tabernaculum Sacramenti. Nec mora, in pulpitis etiam diuulgatur, & ad notitiam aliarum quoque perducitur ciuitatum. Sponſus verò eius (quem dixi) fœdifragus paulo pòſt rixatus cum alio iuuene, ab eo grauiſſimum vulnus accipit, de quo intra paucos dies moritur: ipſa interim ab illo vſque tempore pedibus tam valente, vt volanti, vel certè currenti, quàm incedenti ſimilior videatur.

Poſſem hoc loco varia huius temporis miracula quæ in conuerſione Indorum, AEthiópum, & Noui Orbis fiunt, vſque ad ſuſcitationem mortuorum, & incorruptionem Reliquiarum defunctorum Sanctorum (vt de † Patre Franciſco Xauerio Societate Ieſu celeberrimè notum eſt) vtiliter enarrare. Sed prolixitatis vitandæ cauſa, ad Acoſtam, Oſorium, Surium, & cæteros Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ modernos Scriptores remitto Lectorem. In illis multa huiuſmodi inueniet Miracula: ſicut & in aliarum antehac gentium conuerſione alia in alijs Scriptoribus ſimilia: quod ego de Gente mea in Mòtiuo proximo fuſiùs perſequar. Nunc autem tantùm moneo veritatis ſtudioſos, vt quomodo D. Petrus ſuam conuerſionem Gentium per allegationem Miraculorum confirmauerit, è ſuperioribus recordentur: atque inde & à nobis Gentes rite conuerti, ex iſtis faciant Miraculis ſimile argumentum: nec ſolùm autem ex his Miraculis quæ in prima ſingularum gentium conuerſione fiunt à noſtris earundem Apoſtolis, verum etiam quæ à Sanctis noſtris, vt à S. Bernardo, S. Dominico, S. Franciſco, S. Thoma Cantuarienſi, S. Thoma Aquinate, Pio quinto Papa ſanctiſſimæ memoriæ & alijs innumerabilibus, ſiue in vita, ſiue poſt mortem, itemque à rebus ad Religionem noſtram pertinentibus, ſemper in omni ætate, & in omni gente facta mirabiliter memorantur.

† *Acoſta ſol. 12. 79. 96. Surius an. 1565. Nauar. in Manuali, cap. 24. num. 10.*

Acti 11. 15.

Vnam autem hic de S. Bernardo hiſtoriam præterire nullo modo poſſum: quippe quæ eiuſmodi eſt, vt (ſi nihil adhuc dixiſſem de Miraculis) ad euincẽdam noſtram contra Proteſtantes cauſam ſola ſufficeret. Nam continet admirabilem confirmationẽ non ſolùm vnius aut alteriùs,

ſed om-

ſed omnium ferè dogmatum Eccleſiæ Catholicæ, quæ hodie Proteſtantes deſerenda ſibi perfidè cenſuerunt. Erant enim tempore S. Bernardi Hæretici Henriciani, ſic dicti ab Henrico quodam, qui ex monacho factus eſt Apoſtata. Hi autem Sacras Imagines fregerunt: Templa Dei omnipotentis euerterunt: Realem Corporis Chriſti in venerabili Sacramento præſentiam, & Tranſſubſtantiationem panis in idem, Sacrificium item Miſſæ, Orationem pro Defunctis, Inuocationem Sanctorum, multoſque alios articulos fidei cum Proteſtantibus communiter denegarunt. Regnabant autem multum in partibus Toloſæ in Gallia. Quamobrem ſæpe rogatus S. Bernardus, & tandem eò adductus, qui contra eoſdem pro fide Catholica prædicaret, id planè fecit cum tantorum oſtenſione Signorum, vt inde manifeſtiſſimum ſit, & illos tunc & nunc Proteſtantes, ipſi Deo, & non hominibus repugnare. non minùs vtique quàm Ieroboam illum, ad quem iam tum incipientem Schiſma & Apoſtaſiam in Iſraël ſeu in Decem tribus inducere, venit (vt ſcriptum eſt) in Bethel Vir Dei de Iuda in ſermone Domini, Ieroboam ſtante ſuper altare [quod contra vnicum Dei Altare erexerat] & thus iaciente. Et exclamauit contra altare in ſermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus, Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes Excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet. Deditque in illa die [quia id quod prædixit, non niſi poſt trecentos annos futurum erat] Signum, dicens, Hoc erit ſignum quòd locutus eſt Dominus, Ecce altare ſcindetur, & effundetur cinis qui in eo eſt. Et ſequitur: Cumque audiſſet Rex [Ieroboam] ſermonem Hominis Dei quem inclamauerat contra altare in Beth-el, extendit manum ſuam de altari, dicens, Apprehendite eum. Et 1 exaruit manus eius quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad ſe. 2 Altare quoque ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari, iuxta Signum quod prædixerat Vir Dei in ſermone Domini. Et ſequitur adhuc: Et ait Rex ad Virum Dei, Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reſtituatur manus mea mihi. Orauitque Vir Dei faciem Domini, & 3 reuerſa eſt manus Regis ad eum, & facta eſt ſicut priùs fuerat. [Aliud quoque adhuc Signum ſequitur in corpore & aſino ipſius Viri Dei. Nam poſtquam deceptus ab alio quaſi Propheta, mandato Dei inobediens, manducauerat inter Schiſmaticos, abijt, [inquit,] & inuênit eum Leo in via, & occîdit, & erat cadauer eius proiectum in itinere: Aſinus autem ſtabat iuxta illum, & Leo ſtabat iuxta cadauer, &c. 4 non comedit Leo de cadauere, nec læſit aſinum. [Iam

Pet. Clun. in Opere ſuo cō. illos. Bern. in Cant. ſer. 66.

3. Reg. 13.

4. Reg. 23.

ne quis putet, Proteſtantium pertinaciam eſſe argumentum quòd nos contra ipſos miracula non habemus: ſicut monuit de Iudæis S. Ioannes,

Ioan. 12. Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis [Dominus Ieſus] non credebāt

Iſai. 53. & 6. in eum: vt ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine quis credidit, &c. [ita & in iſtius Ieroboami hiſtoria ſequitur: Poſt verba hæc [poſt tot ſcilicet & tanta miracula] non eſt reuerſus Ieroboam de via ſua peſſima: ſed econtrario fecit de nouiſſimis populi ſacerdotes Excelſorum: quicunque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos Excelſorū. Et propter hanc cauſam peccauit domus Ieroboam, & euerſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ. [Sed & quintum ibi contra eum ſubiungitur mi-

3. Reg. 14. raculū de Ahia Propheta, qui licet vxor Ieroboam habitum cōmutauerat ne cognoſceretur, iā etiam præ ſenectute cæcus, tamen ex reuelatione Domini introëunti dixit, Ingredere vxor Ieroboam: quare aliam te eſſe ſimulas? & poſt nonnulla: Cūque illa [reuerſa] ingrederetur limen domus [ſuæ,] puer [de quo quæſitum venerat ad Ahiam] mortuus eſt, [vt futurum ille prædixerat. Simile omnino huic eſt, quod in hiſtoria S. Bernardi contra Proteſtantes habemus. Teſtis autem & ſcriptor eiuſdem eſt Godfridus Monachus, qui non ſolùm tum vixit, verùm etiam diſcipulus ipſius Bernardi fuit. Is igitur inter alia multa illius ſtupenda opera, hoc

De vita S. Bern. li. 3. cap. 5. quod quærimus, his verbis narrat: Eſt locus [inquit] in regione eadem [Toloſana] Sarlatum nomen eſt illi: vbi Sermone cōpleto plurimos ad benedicendum Panes, ſicut vbique fiebat, Dei famulo offerebant. Quos ille eleuata manu & ſigno Crucis edito in Dei nomine benedicens: In hoc, inquit, ſcietis vera eſſe, quæ à nobis, falſa quæ ab Hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri, guſtatis panibus iſtis, adepti fuerint ſoſpitatem. & ſequitur: Timens autem venerabilis Epiſcopus Carnotenſium magnus ille Gaufridus (ſiquidem præſens erat, & proximus Viro Dei) Si bona, inquit, fide ſumpſerint, ſanabuntur. Cui Pater ſanctus de Domini virtute nihil hæſitans: Non hoc ego dixerim, ait, ſed verè qui guſtauerint, ſanabuntur: vt proinde veros nos, & veraces Dei miniſtros eſſe cognoſcant.

Innumera miracula per Panem benedictū. & iterum ſequitur: Tam ingens multitudo languentium, guſtato eodem pane, conualuit, vt per totam Prouinciam verbum hoc diuulgaretur; & Vir ſanctus per vicina loca regrediens, ob concurſus intolerabiles declinauerit, & timuerit illo ire. [Et non Godfridus ſolùm, ſed ipſe etiam Bernardus vir ſanctiſſimus teſtis eſt, in Epiſtola poſtea ad eoſ-

Bern. Epiſt. 241. dem Toloſanos de eodem ita ſcribens: Gratias agimus Deo, quia non fuit ocioſus aduentus noſter ad vos: & mora quidem breuis apud vos, ſed non infructuoſa. Veritate nimirum per nos manifeſtata non ſolùm

in ſer-

in ſermone, ſed etiam in virtute, deprehenſi ſunt Lupi, qui venientes ad vos in veſtimentis ouium deuorabant plebem veſtram ſicut eſcam panis, ſicut oues occiſionis: deprehenſæ ſunt Vulpes quæ demoliebantur pretioſiſſimam vineam Domini Ciuitatem veſtram. In quibus verbis ſuis imitatur S. Paulum Doctorem Gentium in fide & veritate, Doctor & ipſe eiuſdem veritatis, ad Theſſalonicenſes ita ſcribentem: Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed in virtute, &c. Et ſimiliter ad Corinthios, de eorum Pſeudoapoſtolis: Veniam autem ad vos citò, ſi Dominus voluerit: & cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem, &c.

Matth. 7. Pſalm. 1? Pſalm. 43. Cant. 2. 1. Tim. 2. 1 Theſ. 2. 1. Cor. 12.

Eadem potentiſſima virtute, & non ſermone ſolùm, etiam alij Catholici Maiores noſtri, Hæreticos ſuorum temporum confutarunt. Quanta enim propterea à Scriptoribus Eccleſiaſticis contra Arianos miracula referuntur! eaque etiam Monachorum, qualis & Bernardus fuit: vt videant omnes, eadem quibus tunc & Ariani conuicti ſunt, Miracula, contra Proteſtantes etiam militare. Admirabile eſt quod in hoc genere de S. Baſilio Magno, eodemque Monacho (vt † alio loco docebo) refert Socrates. Eum Valens Imperator Arianus Antiochium ad ſe adduci iubet. [Vbi cum Præſidi pro tribunali ſedenti, & ſciſcitanti,] quid cauſæ eſſet, cur Imperatoris de Religione opinionem non amplexaretur? [& multa minanti, conſtantiſſimè fidem catholicam confeſſus eſſet:] ad diem illum integrum tenebatur in cuſtodia. Non diu pòſt [inquit Socrates] filius Valentis, nomine Galates, qui tenera admodum ætate fuit, fortè adeò grauiter ægrotare cœpit, vt medici de eius vita penitus deſperarent. Cuius mater Dominica Imperatrix, retulit ad Imperatorem, ſe per quietem ab horrendis viſis valde diuexatam fuiſſe: puerumque propter contumeliam, quam Baſilius Epiſcopus fuiſſet ab eo perpeſſus, morbo affligi. Quæ Imperator animo diligenter complectens, accerſit Baſilium: & quò illius faceret periculum, ſic illum alloquitur: Si vera ſunt tua de fide dogmata, precare vt filius meus non moriatur. Tum Baſilius: Si, inquit, credes, ô Imperator, quemadmodum ego, & efficies vt Eccleſia ad concordiam reducatur, viuet puer. Cui cùm Imperator minimè conſentiret: Idcirco, inquit Baſilius, de puero fiat voluntas Dei. Baſilium, cùm hæc dixiſſet, dimitti iubet. Puer ſtatim pòſt exit è vita.

Vide Moti. 11. I. † Moti. 25. num. 18. Soc. li. 4. cap. 21.

Admirabiliora ſunt quæ eodem tempore à Monachis AEgypti facta ſunt, quos Lucius Arianus Pſeudoëpiſcopus Alexandrinus poſt mortem S. Athanaſij, datis ſibi à Valente militibus, grauiter exagitauit.

Soz. li. 6. cap. 20. Multi [inquit Sozomenus] & diuini viri id temporis Monaſterijs illius
„ regionis præerant, & omnes opinionem Arij deteſtabantur. Quorum
„ teſtimonijs etiam populus obſecutus, eandem quam illi Doctrinam am-
„ plexatus eſt, qui de Dogmatis Religionis diſſerere aut inaniter garrire
„ neque voluit; neque nouit: ſed veritatem credidit penes illos eſſe, qui
„ virtutem factis declarabant: quales tum ex Monachis Aegyptijs facilè
„ principes fuiſſe accepimus duos Macarios, Pambo, & Heraclidem, &
„ reliquos Antonij diſcipulos. Horum igitur Monachorum varia refert
Ruff. Eccl. Hiſt. li. 2. cap. 4. contra Arianos Miracula Ruffinus (Quæ præſens, [inquit,] vid loquor,
& eorum geſta refero, quorum in paſſione ſocius eſſe promerui.) & ex
Soc li. 4. cap 19. Theod. li. 4. ca. 19. 20. Soz. li. 6. cap. 20. eo Socrates, Theodoretus, atque Sozomenus. Dum orantes, [inquit
Ruffinus] expectarent interfectores ſuos, delatus eſt ad eos homo olim
membris omnibus, & præcipuè pedibus aridus. Sed cùm ab eis in nomi-
ne Domini oleo fuiſſet perunctus, ſtatim confirmatæ ſunt plantæ eius.
Sicut Act. 3. Et dicentibus eis, In nomine Ieſu Chriſti, quem Lucius perſequitur,
„ ſurge, & ſta in pedibus tuis, & redi in domum tuam: & continuò exur-
„ gens, & exiliens, benedicebat Deum, oſtendens quia verè erat in eis
„ Deus. Aliud deinde refert de cæco illuminato per lutum quod ſibi ple-
nus fide fecerat ex parte Parietis vbi cubare ſolebat Macarius, & ex aqua
putei de quo ſolebat bibere. Tertium item de Leæna cæcos catulos ad
eundem afferente, & pro eorum illuminatione paulò pòſt pelles ouium
lanatas plurimas muneris loco reddente. Denique ſingulorum mirabi-
„ lium geſta proſequi, breuitatis propoſitum non permittere. Sed in his
„ omnibus Lucius [inquit] non erubuit, nec aliquid reuerentiæ virtutum
„ mirabilibus detulit: [quin imò in exilium trudit Patres: vbi etiam mira-
„ culorum perpetratione inſulam totam Paganorum mox conuertunt ad
„ Chriſtum. Quibus rebus [inquit Theodoretus] in vrbe Alexandria pa-
„ làm cognitis, omnes pariter cœperunt Lucium conuitijs lacerare, atque
„ adeò dicere, iram Dei ipſos oppreſſuram, niſi diuinus ſanctorum illorum
„ cœtus dimiſſus eſſet. Vnde veritus Lucius [inquit Ruffinus, & ex eo
„ Sozomenus] ne fortè etiam ſuorum in eum odia iuſta conſurgerent, qui
Act. 5. „ apertè iam bellum non hominibus, ſed Deo indiceret, occultè eos reuo-
„ cari, & in Eremum remitti iubet. Similia his ſunt, quæ & de aliorum
duorum Monachorum Miraculis contra eoſdem Hæreticos Arianos in-
Theod. li. 4. cap. 25. culcat Theodoretus. Ariani [inquit] magnum illum virum [Iulianum
„ Eremitam] ſuæ ſectæ fauere conſtanter affirmarunt. [Vnde ille rogatu
„ Catholicorum, relinquere ſolitudinem, & Antiochiam venire coactus
„ eſt, & ſequitur: Huius quidem Miracula, quæ tum abeundo, tum reuer-
tendo,

tendo, tum denique in ampliſſima illa vrbe edidit, ſunt à nobis in Hiſto- "
ria noſtra, quæ Philotheos dicitur, literarum monumentis mandata. "
[Tum & de altero ait: Idem ipſum iampridem temporibus Conſtantij, "
ab Antonio Magno Alexandriæ factum eſt. Nam relicta ſolitudine, to- "
tam illam circuibat vrbem, quò omnes doceret, tum Athanaſium præ- "
conem veritatis, tum Arianos veritatis hoſtes eſſe. [Quod quidem & hunc non ſolùm ſermone, ſed & miraculis ibi feciſſe, teſtatur ipſe Athanaſius in Vita eius. Victor etiam Vticenſis multò pòſt ob eandem cauſam contra Arianos ſui temporis in Africa Miracula Catholicorum multa commemorat. Illos autem Catholicos fuiſſe religionis nôſtræ in Motiuo viceſimo demonſtrabo: ſed & nunc ex Miraculorum relatione clarebit. Vrget igitur contra Arianos, quod Epiſcopum Carthaginis & clericos fractis nauibus impoſitos Diuina bonitas Neapolim proſpera nauigatione perduxit: quòd alij quinque Catholici ſerui ab Ariano domino ſæpè & crudeliter laniati, a Chriſto ſic identidem ſanarentur, vt nulla plagarum veſtigia viderentur; vni etiam eorum vinculis ingentium lignorum quibus extendebatur, ſe ſponte ſoluentibus; ipſos quoque perſecutores eorum Deo varijs mortibus & correptione dæmonum vindicante; denique in loco ſylueſtri vbi diſcerpti ſunt, non deſinit [inquit] vſque in hodiernum diem Ieſus Chriſtus Dominus noſter ingentia mirabilia operari; & nominatim, cæcam quandam mulierem ibi illuminatam fuiſſe. Quòd etiam Proculus, qui de pallis altaris Catholici (prò nefas) camiſias ſibi & femoralia faciebat, fruſtatim ſibi comedens linguam, in breui turpiſſima conſumptus eſt morte. Quòd chordæ quibus torquebant tibias Armogaſtis; & nerui quibus frontem in qua Chriſtus vexillum ſuæ fixerat crucis arabant; & chordæ etiam fortiores cannabinæ, illo nihil aliud niſi Chriſti nomen inuocanteq;, omnia vaneſcebant: cuius etiam occiſi corpori condendo Deus ſarcophagum ſplendidiſſimi marmoris (qualem fortè nullus omnino habuit regum) ſub arbore præparatum, diuinitus reuelauit. Quod manus arida confeſſoris, orantibus cæteris, incolumis reſtituta eſt. Quòd in ſolitudine exulantibus Catholicis, vbi venenatorum animalium atque ſcorpionum ingens erat multitudo, quæ ſolo flatu etiam procul poſitis veneni virus infundat, nec vni eorum nocuiſſe conſtaret. Quòd cæcus nomine Felix in diem Epiphaniorum miſſus per viſiones ad Eugenium Epiſcopum Catholicum Carthaginenſem, quâ horâ Fontem benediceret ad baptiſmum, illo orante, & vexillo Crucis conſignante oculos eius, ſtatim viſum, Domino reddente, recepit. & mox procedit ad altare cum Epiſcopo (ſicut

Vict. de perſ. Vand. li. 1.
Moti. 20. num. 7. 8. 9. 10.
fol. 3. b.
fol. 7. b.
fol. 8. b.
fol. 9 a.
Lib. 2. fol. 13. b.
fol. 19. a.
fol. 21. a.

moris

„ moris eſt) ſuæ ſalutis oblationem Domino redditurus. ſtatim nuntius
„ pergit ad Tyrannum : rapitur Felix, inquiritur ab eo quid factum ſit, qua-
„ literque receperit lumen. Dicit illi ex ordine totum : dicuntque Ariano-
Sicut Ioan. 9. rum Epiſcopi, Hoc Eugenius per maleficia fecit. Et quia oppreſſi con-
„ fuſione non poterant nubilare, eò quòd Felix vniuerſæ ciuitati mani-
Ioan. 12. „ feſtus eſſet & notus, volebant eum (ſi fas eſſet) necare : quomodo Iudæi
lib. 3. fol. 41. a ſuſcitatum Lazarum cupiebant occidere. Quòd matronam catholicam
„ ſuſpenſam, vulſis humeris, depoſuerunt prorſus exanimem : quæ poſtea
„ retulit, quandam ſibi Virginem aſtitiſſe, atque tetigiſſe membra ſingula,
fol. 42. a. & ilico fuiſſe ſanatam. Quod alijs duobus linguas & manus dextras radi-
De his & Euagrius lib. 4. cap. 14. ex Procopio. Greg. Dial. 3. ca. 32. Marcel. in Chron. l. 2. C. de off. praef. Africae. Vict. lib. 3. fol. 54. a. citus abſciderunt : qui tamen ita loquuti ſunt, & loquuntur (inquit: nam vnus eorum ſubdiaconus Reparatus Conſtantinopoli in palatio Zenonis Imperatoris habetur) quomodo antea loquebantur. Denique quòd Liberatus abbas & ſex monachi eius iterum atque iterum extinxerunt impetum ignis ; & cum nihilominus à furioſo tyranno remorum vectibus, comminutis cerebris, necarentur, venerabilia corpora in mare proiecta, ilico (quod contra naturam eſt æquoris) eâdem horâ illæſa pelagus littori reddere maturauit, nec auſum fuit (vt moris eſt) triduana dilatione in profundo retinere, ne præcepto Dominico minimè paruiſſet.
„ Ad quod miraculi genus, & ipſe tyrannus, licèt impœnitens, vt fertur ex-
„ pauit, &c. Humatæ ſunt igitur cum hymnis ſolennibus Lipſanæ [id eſt
„ Reliquiæ] beatæ ſanctorum in Monaſterio Biguæ.

Sicut autem hi contra Arianos, ita contra Donatiſtas ſimiliter vrget miracula Optatus, quæ illis Sacra Catholicorum violantibus diuinitus
Op. lib. 2. fol. 23. a. contigerunt. Et quod vobis leue videtur, facinus [inquit] immane commiſſum eſt : vt omnia ſacroſancta ſuprà memorati veſtri Epiſcopi
„ violarent, iuſſerunt Euchariſtiam canibus fundi, non ſine ſigno Diuini
„ iudicij. Nam ijdem canes accenſi rabie, ipſos dominos ſuos, quaſi latro-
„ nes, ſancti Corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos
fol. 25. b. laniauerunt. Nam vt & paulò pòſt de eodem facinore dicit, quid ini-
„ quius, quàm altaria frangere ? euchariſtiam animalibus proijcere ? Aliud
„ etiam miraculum mox ſubijcit ſuperiori : Ampullam quoque Chriſmatis
„ per feneſtram, vt frangerent, iactauerunt. Et cùm caſum adiuuaret abie-
„ ctio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam ſpiritali ſubuectio-
„ ne deduceret : proiecta caſum ſentire non potuit : Deo muniente, illæſa
„ inter ſaxa conſedit.

Duo hæc demonstrata. Itaque in iſtis omnibus duo hæc iam copioſiſſimè & clariſſimè demonſtrata ſunt. Primò, quòd aduerſus Paganos, Iudæos, Hæreticos, pro

Chriſto

Chriſto & fide Chriſtianorum, tum Deus oſtendit Miracula, tum Scriptores & Sacri & Eccleſiaſtici eadem quaſi argumenta à Deo donati, ideoque inexpugnabilia vſurparunt. Secundò, quòd noſtram item fidem contra Proteſtantes Deus & nouis hac ætate miraculis & antiquis omni ætate, adeoque ipſis contra Arianos & Donatiſtas miraculis, imò & ipſis omnibus Chriſti atque Apoſtolorum miraculis confirmauit. Ex quibus ſequitur neceſſariò, quòd ſicut Iudæi, Pagani, & veteres Hæretici: ita Proteſtantes non hominibus, ſed Deo reſiſtant. Quod vt ſemel nobiſcum videant, & ſanentur, det illis Deus oculos ad videndum: ne amplius ſint participes Iudæorum, quorum peccatum eo quòd nec Miraculis credere voluerunt, Sermo Diuinus vehementer exagerat: Quoniam (inquit) in alijs linguis & labijs alijs loquar populo huic: & nec ſic exaudient me, dicit Dominus. *1. Cor. 14. ex Iſa 28.*

Hîc tamen ne quis ſimplicior fortè fallatur, ſciendum eſt, quòd miracula oſtendentur interdū etiam à ſeductoribus. Quod non quidē propter Proteſtantes admonendū duxi, quippe quos non ignoro nequidem prætendiſſe aliquid vnquā in hoc genere, cuius & ſeipſos non paulò pòſt puduerit: ſed quia generali iſta Proteſtantiū non tam Hæreſi quàm Apoſtaſia præeunte, Antichriſti acceleratur fortaſſis aduentus. De illo igitur hic erat præmonendi locus, quia de eo dicit Apoſtolus, cuius eſt aduentus ſecundū operationē Satanæ, in omni virtute, & ſignis & prodigijs mendacibus. Sed hoc (vt ait) ſecundū operationem Satanæ, non ſecundū operationem Dei. Deum enim qui veritas eſt, & qui ſeipſum negare non poteſt, impoſſibile eſt mentiri. Quia igitur ſolus Deus eſt, qui vera miracula operatur, impoſſibile eſt, vt vel Antichriſti vel quorūlibet ſeductorum ſint vera miracula: ideoque nunquā alia ſunt, quàm quæ poteſt Satanas operari. Ac ſcio quidē Proteſtantes hoc de Miraculis noſtris dicere, ne repugnare ſe Deo fateantur; quòd nimirum non ſint vera miracula, ſecundū operationem Dei, ſed ſigna mendacia, ſecundum operationem Satanæ. Quam horribilem blaſphemiam licèt eorū quæ iam dixi de miraculis lectione ſtudioſus veritatis & ſalutis quilibet deteſtabitur, tamen plura inde adhuc dicam, vt videant & ipſi & omnes clariſſimè, quàm ſint inexcuſabiles. *2. Theſ. 2.* *Miracula Seductorum.*

Primum igitur recordetur Lector, quòd quæ commemoraui miracula noſtra, ea ex authoribus probatiſſimis & receptiſſimis, ab ijs qui aut fecerint, aut viderint, aut compererint, & qui ſpirituum diſcretionem habuerint, repetiui, vt à S. Bernardo, S. Optato, S. Auguſtino, S. Ambroſio, S. Victore, Ruffino, Theodoreto, Socrate, Sozomeno: in promptu habens & à cæteris pleriſque ſimilia multa repetere.

Secundò recordetur Lector ipſa Miraculorum genera : beſtiarum, ignium, Dæmonum vim refractam ; cæcos illuminatos, mortuos ſuſcitatos. & conferat cum Scripturis, vbi narrant quomodo inimici calumniati ſint miracula Chriſti, & quid credentes ediuerſo dixerint. Cæcum na-
Ioan. 9. tum iam ſanatum dixiſſe Iudæis imperterritè. A ſeculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à Deo, non poterat fa-
Ioan. 10. cere quicquam. Alios dicentibus, Dæmonium habet & inſanit, quid eum auditis? reſpondiſſe, Nunquid dæmonium poteſt cæcorum oculos
Ioan. 12. aperire? Turbam obuiam ei veniſſe cum palmis, & acclamaſſe ei Oſanna, Benedictus, quia audierunt eum feciſſe Hoc ſignum, ab ijs ſcilicet qui teſtimonium perhibebant & erant cum eo quando Lazarum vocauit è Monumento, & ſuſcitauit eum, inquit Euangeliſta, à mortuis. Diſci-
Luc. 8. pulos etiam miratos ad inuicem in principio dixiſſe timentes : Quis, putas, hic eſt, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei? Hinc & ipſe
Ioan. 12. Euangeliſta Ioannes dicit de Iudæis : Cùm autem tanta ſigna feciſſet
Ioan. 15. corám eis, non credebant in eum. Et Chriſtus ipſe de ijſdem : Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Idemque ijſdem : Si
Ioan. 10. non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio : & ſi mihi non vultis credere, operibus credite. Vnde & de Ioanne Baptiſta narra-
Matth. 11. tur, quòd cùm audiſſet in vinculis Opera Chriſti (diſcipulis eius nun-
Luc. 7. tiantibus ei de omnibus, & inuidentibus) vocauit duos eorum, & miſit ad Ieſum, dicens, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Cùm
» autem veniſſent ad eum viri, &c, in ipſa hora, multos curauit à languo-
» ribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donauit viſum. Et
» reſpondens dixit illis, Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis:
» Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt,
» mortui reſurgunt. Denique eadem ſunt genera Miraculorum Eccleſiæ, vt ſatis ex his quæ ſuprà dixi, & pleniùs ex Hiſtorijs patet. Quod igitur
Ioan. 5. ille, cui dicebant Iudæi, Sabbathum eſt, non licèt tibi tollere grabatum
» tuum, reſpondit dicens, Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit, Tolle graba-
» tum tuum & ambula; Iudæis propterea perſequentibus Ieſum : hoc & nos Proteſtantibus reſpondemus, quod admirabiles viri Serui Chriſti, qui in nobis infinita eiuſdem generis miracula operati ſunt, dixerint nobis, Sic agite, ſic credite : licet propterea Proteſtantes eos in nobis ſic agentibus & ſic credentibus perſequantur, quemadmodum & in ipſis vellent,
Euſ. Hiſt. Eccl. li. 5. cap. 7. ſi in poteſtate ſua haberent eos. Et per hoc ipſum reſpondit olim Irenæus (citante etiam Euſebio) præſtigijs Hæreticorum ; nempe Simonis Magi, Menan-

Menandri, Marci Magi, Saturnini, Carpocratis, Montani, & ſi qui alij ſeductores, vt etiam poſtea Donatiſtæ, quaſi miracula venditabant. Super hæc arguuntur [inquit] qui ſunt à Simone & Carpocrate, & ſi qui [*Iren. con. Hær. li. 2. cap. 57.*] alij virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque in veritate, neque quam vtilitatem præſtantes his qui credunt eis, in eo quòd ſeducant. Nec enim cæcis poſſunt donare viſum ; neque ſurdis auditum ; neque omnes dæmones effugare, præter eos qui ab ipſis immittuntur, ſi tamen & hoc faciunt, &c: tantum abſunt ab eo, vt Mortuum excitent : quemadmodum Dominus excitauit: & Apoſtoli per orationem : & in Fraternitate [id eſt, Vnitate] ſæpiſſimè propter aliquid neceſſarium ea quæ eſt in quoquo loco Eccleſia vniuerſa poſtulante per ieiunium & ſupplicationem multam, reuerſus eſt ſpiritus mortuus, & donatus eſt homo orationibus ſanctorum, &c. Quandoquidem igitur apud eos quidem error & ſeductio & magica phantaſia in ſpeculatu hominum impiè fiat, in Eccleſia autem miſeratio, & miſericordia, & fraternitas [ſeu vnitas] & veritas ad opitulationem hominum, ſine mercede & gratis impertiatur, &c: verè arguuntur præcurſores Draconis eius, qui huiuſmodi phantaſia [id eſt, [*Apoc. 12.*] magica illuſione] abſcedere faciet in cauda tertiam partem ſtellarum, & deijciet eos in terram : quos ſimiliter atque illum deuitare oportet ; & quanto maiore phantaſmate operari dicuntur, tanto magis obſeruare eos, quaſi maiorem nequitiæ ſpiritum perceperint, &c. Idem lib. 5. ad illud Apocalypſeos de beſtia, quæ fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret [*Apoc. 13.*] de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum, ſeducens habitantes in terra propter ſigna quæ data ſunt illi facere, ita notat : Hoc ne quis eum Diuina virtute putet ſigna facere , ſed magica operatione. Et non eſt mirandum, ſi dæmonijs & Apoſtaticis ſpiritibus miniſtrantibus ei, per eos faciat ſigna in quibus ſeducat, &c. Vnde & Firmilianus cùm narraſſet [*Apud Cyp. epiſt. 75. num 5.*] de Muliere quadam pſeudoprophetiſſa quæ ita principalium dæmoniorum impetu ferebatur, vt per longum tempus ſollicitaret & deciperet fraternitatem, ac mirabilia quædam & portentoſa perficiens, & facere ſe terram moueri polliceretur: ſubnotauit dicẽs: Non quod dæmoni tanta eſſet poteſtas, vt terram mouere, aut elementum concutere niſu valeret, ſed quòd nonnũquam ſpiritus nequam præſciens & intelligens terræmotum futurum, id ſe facturum eſſe ſimularet, quod futurum videret, &c.

Ex hoc iam ſecundum genera diſcrimine verorum miraculorum & falſorum, & tertiò notabit Lector, quòd quia ſeductores non alia ſigna faciunt, quàm quæ in poteſtate Satanæ ſiue per ſuam, ſiue per rerum ipſarum naturam ſunt, propterea omnis talium vtpote vanorum & inuti-

lium gloria tandem euaneſcit; veris interim miraculis perdurantibus, ita vt ſepe noſtros thaumaturgos ipſi etiam ſeductores præ ſe glorificent.
Act. 8. Propter hoc enim annotauit Lucas de Simone Mago (cui auſcultauerant Samaritani omnes à minimo vſque ad maximum; quia multo tempore magicis ſuis artibus dementaſſet eos) quòd videns ſigna & virtutes maximas Philippi Diaconi, ſtupens admirabatur: ita vt & ipſe crediderit, ac baptizatus fuerit: licèt poſtea relapſus, factus ſit Pater omnium Hæreſeôn. Propter hoc etiam ſcriptum eſt de Magis Pharaonis in ipſo primo ſigno,
Exod. 7. 8. quòd deuorauit virga Aaron virgas eorum. qui etiam licèt per incantationes Aegyptiacas ſanguinem ac ranas & ipſi fecerint, non poterant tamen plagas ipſas ſanguinis & ranarum a Moyſe & Aaron inductas auferre: ſed coactus eſt Rex pro auferendis ranis Moyſi & Aaron ſupplicare. ipſique Magi ſecundum tertiam plagam Ciniphes educere non potuerunt, ſed compulſi veritate Pharaoni dixerunt, Digitus Dei eſt hic, ita vt dicat de
2. Tim. 3. eis Apoſtolus, quòd inſipientia eorum manifeſta fuit omnibus; quemadmodum & omnium fore qui reſiſtunt veritati. Propter quod & Irenæus
Iren. l. 2. cap. 58. de Hæreticis ſui temporis dicit: phantaſmata oſtendentes ſtatim ceſſantia, & ne quidem ſtillicidio temporis perſeuerantia, non Ieſu Domino noſtro,
b Vide Clem. Recog. lib. 3. ſed [b] Simoni Mago ſimiles oſtenduntur. De Catholicis autem, quos vocat veros Diſcipulos Chriſti, ait, quòd gratiam in nomine illius perficiunt ad beneficium reliquorum hominum, quemadmodum vnuſquiſque accepit donum ab eo. Alij enim [inquit] dæmones excludunt, firmiſſimè & verè, vt etiam ſæpiſſimè credant ipſi qui emundati ſunt à nequiſſimis ſpiritibus, & ſint in Eccleſia. [vt & hoc anno Valencenis, hîc in proximo, mulieres quædam hæreticæ, quæ immundos ſpiritibus habuerant: nunc autem à catholicis emundatæ, in Eccleſia ſunt.] Alij autem præſcientiam habent futurorum, & viſiones & dictiones propheticas. Alij autem, laborantes aliqua infirmitate per manus impoſitionem curant, & ſanos reſtituunt. Iam etiam, quemadmodum diximus, & mortui reſurrexerunt, & perſeuerauerunt nobiſcum multis annis. [quemadmodum & ſex illi quos ſuprà dixit Auguſtinus per Reliquias S. Stephani ſuſcitatos.] Et quid autem? [inquit Irenæus] Non eſt numerum dicere gratiarum, quas per vniuerſum mundum Eccleſia à Deo accipiens, in nomine Chriſti Ieſu Crucifixi ſub Pontio Pilato, per ſingulos dies in opitulationem Gentium perficit, &c. Hinc denique Chryſoſtomus contra Gentiles dicit de
Chryſoſt. de vita Babyl. 832. num. 5. ipſorum Magis: Quámnam enim ob cauſam Zoroaſtem illum, itemque Zamolxim ne de nomine quidem multi, imò verò nulli niſi admodum pauci norunt? Et reſpondet: quoniam figmenta erant quæ de illis circunferuntur

feruntur omnia, &c. Sic etiam Hæreticorum tum qui olim fuerunt, tum qui nunc ſunt, nugæ euaneſcunt. Miracula autem Eccleſiæ, vt quæ S. Bernardus fecit, quæ Reliquiæ S. Stephani, & Claudæ de qua dixi ſanitas perſeuerat. adeò vt ſanctorũ quorundam Regum noſtrorum, quemadmodũ S. Ludouici in Gallia, & S. Edouardi in Anglia, etiam Succeſſores, qualeſcunque tandem ſint, miras quaſdam ſanitates operari non ceſſent. quod vtinam Reges conſiderarent ſeriò. Denique non vllam patiuntur calumniam miracula Eccleſiæ corporis, quam eandem non etiam Miracula Chriſti capitis paſſa ſunt: Nec vlla eſt hórum apologia ſeu defenſio, quæ eadem non & Eccleſiaſticorum ſit. Vnde (quòd digniſſimũ conſideratione eſt) ſcrutentur licet Proteſtantes exceptiones omnes quas exceperunt Maiores noſtri contra falſa miracula quorũlibet ſeductorum, & diſcrimina omnia quid inter eadem & inter Chriſti miracula obſeruarunt: nihil tamen inuenient quo Miracula Eccleſiæ onerẽt, niſi ſolo verbo ſuo, ſicut Iudæis miracula Chriſti ſine vlla cauſa blaſphemare placebat.

Igitur & quartò obſeruandum eſt, quòd ſeductorum ſigna vt inutilia & vana, ita ſemper pauca quoque ſunt. Proptereaque narrat Euangeliſta Ioannes, poſt ſanatum in Sabbatho Languidum illum, quibuſdam Ieroſolymitanis ratiocinantibus contra Dominum Ieſum, alios tamen multos de turba credidiſſe in eum, & dixiſſe: Chriſtus cùm venerit (ſecundum illos ratiocinatores,) nunquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit? Propterea & ipſe Ioannes in fine Euangelij dicit: Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundũ capere poſſe Libros. Propterea & de Apoſtolis Chriſti Lucas refert, quòd Multa prodigia & ſigna per eos fiebant in Ieruſalem, & in plebe. Similiter autem & de noſtrorũ Miraculorum multitudine admonuit ſuprà D. Auguſtinus dicens de Reliquijs S. Stephani: Si enim Miracula Sanitatum (vt alia taceã) modò velim ſcribere, quæ per hunc Martyrem facta ſunt in colonia Calamenſi [vbi Epiſcopus erat Poſſidius qui ſcripſit vitam S. Auguſtini] & in « noſtra, plurimi conficiendi ſunt libri. Neque igitur in Eccleſiæ Miraculis « ſuſpicionem vllam ſeductionis multitudo eorum eſſe ſinit: præſertim cùm ſicut Moyſes & Aaron, citò deficientibus Ianne & Mãbre, perſeuerauerũt vltrà multiplicantes prodigia & ſigna mirifica: ita Eccleſia incõparabiliter multò magis, deficiẽtibus interim omnibus Hæreticis cũ præſtigijs ſuis, iam longiſſima plurimorũ ſeculorũ ſucceſſione perdurãs, partim per Sacramẽta ſua, partim per orationes ſuas, partim per innumeros Sanctos ſuos, ſiue in vita, ſiue poſt mortẽ, adeò infinita ſigna iã fecerit (teſtibus Hiſtorijs omnibus) vt ea non magis numerare ſit, quàm ſtellas cæli, vel arenas maris.

Ioan. 7.

Ioan. 21.

Act. 2. 5.

Auguſt. de Ciu. 22. cap. 8.

Quintò notandum eſt, ipsâ quoque ſacrâ Scripturâ quædam pro nobis contra Proteſtantes Miracula ſpecialiter conſignata eſſe. Quod enim de Sanctis & eorum Reliquijs adſtruxi ſuprà ex Auguſtino referente miracula S. Stephani: nónne idipſum & de quarto Libro Regum adſtruitur, vbi de miraculo Reliquiarum S. Eliſei Prophetæ ſimilis eſt narratio? Cadauer [inquit] cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo, & ſtetit „ ſuper pedes ſuos. Et de Libro Eccleſiaſtici ſimiliter de eodem dicentis? mortuum prophetauit corpus eius. in vita ſua fecit monſtra, & in morte „ mirabilia operatus eſt. Miraculoſus etiam interitus Core & ſociorum ducentorum quinguaginta (vbi & virga Aaron florens atque fructificans) & Ozæ diu poſtea, qui cùm eſſent Leuitæ duntaxat, vſurpabant illi quidem ſeditioſè & ſchiſmaticè, hic autem temerè, Sacerdotium; Lepra item Oziæ Regis ſimul cum Terræmotu, ob ſimilem officij ſacerdotalis de vana religione vſurpationem: Miraculoſus etiam interitus Baltaſar Regis Babyloniæ profanantis vaſa ſacra Templi: Miraculoſa etiam percuſſio Heliodori, qui direpturus erat theſauros Templi: nónne Proteſtantium coarguunt ſacrilegia (tantoque * magis, quanto Eccleſia ſanctior eſſe debet quàm vmbratica Synagoga) apud quos non ſolum apoſtatici ſacerdotes vſurpant Epiſcopalia, verumetiam Reges & alij laici tum Sacerdotalia, tum ipſa quoque Pontificalia; vaſorum autem ſacrorum, & bonorum Eccleſiæ direptio, id eſt ſacrilega auaritia, religio vera putatur? Miraculoſi item interitus Ananiæ & Saphiræ, nónne oſtendunt, idem eſſe mentiri Eccleſiæ & mentiri Spiritui ſancto, ideoque Lutherum & cæteros iſtos Monachos votifragos Hæreſiarchas, non hominibus, ſed Deo mentitos eſſe? Ipſe etiam Chriſtus quando per ſanationem Paralytici probauit ſuam poteſtatem in terra dimittendi peccata, dicens Phariſæis, Vt „ autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi „ peccata: tunc ait Paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in do„ mum tuam. & ſurrexit, & abijt in domum ſuam: ſi non per hoc intendit probare, quòd per miniſtros etiam ſuos dimittit peccata, idque non ſolùm declaratiuè, ſed planè quo modo ipſe tum Paralytico dimiſit, di„ cens, Remittuntur tibi peccata tua; & quo modo Phariſæi cogitabant „ in cordibus ſuis, dicentes, Quid hic ſic loquitur? Blaſphemat. Quis „ poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? & ſi non hoc voluit, cùm dixit & probauit, ſe habere poteſtatem in terra iſtam, cur, obſecro Euangeliſta Matthæus refert, quòd videntes miraculum turbæ glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus? qui (inquam) non vt Phariſæi cogitabant, & eorum filij Proteſtantes, ſibi poteſtatem illam omnino

4. Reg. 13. | Eccleſ. 48. | Num. 16. 17. | 1. Par. 13. | 2. Par. 26. | Zach. 14. | Dan. 5. | 2. Mac. 3. | * Vide Iren. l. 4. c. 43. Cyp. ep. 76. | Num. 3. | Auguſt. Opt. li. 1. fol. 9. | Act. 5. | Matth. 9. | Mar. 2.

omnino retinuit, ſed eam communicauit Chriſto homini & miniſtris eius, ideoq́ue in plurali numero hominibus? Vnde & Cyprianus multa ſuo tempore miracula refert, contra lapſos qui Domini corpus inuadunt ante expiata delicta, ante exomologéſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis: dicens, Quàm multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur: quàm multi vſque ad inſaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur? & paulò antè narrat miraculum, per quod ſacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt, idq́ue in paruula quæ ad eloquendum alienum circa ſe crimen necdum habuit ætatem. & aliud deinde in quadam ætate prouecta, per quod impunitum [inquit] diu non fuit nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen; quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit vltorem. & alia item duo eôdem ſpectantia. Illud autem miraculum in Paruula cui idolothyta dederant, & facinus commiſſum loqui & iudicare non potuit, quando eam ſacrificante ipſo Cypriano mater intulit; factum refert per poteſtatem Domini & maieſtatem in Euchariſtia. nam infudit ei Diaconus de ſacramento calicis. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit; tanta eſt poteſtas Domini, tanta maieſtas. Nónne eandem ſacroſanctæ Euchariſtiæ maieſtatem etiam Scriptura teſtatur; idq́ue per ipſam omnipotentiam Chriſti, quæ miraculorum omnium operatrix eſt? cœpi enim miracula pro nobis è Scripturá referre. Chriſtus (inquam) ſe Deum omnipotentem prædicauit, vt fidem eius quod in Euchariſtia reliquit, diſcipulis inſinuaret. nimirum credere eos debere, quòd dabit carnem ſuam ad manducandum, & quòd manducantes ex eâdem viuent in æternum; hoc eos credere debere, quia ipſe qui hæc verba loquitur, Deus eſt omnipotens, æqualis Patri, de cælo deſcendens, ideoq́ue non ſunt verba carnis infirmæ, ſed verba Spiritus & vitæ. Propterea enim poſt miraculum quinque panum & duorum piſcium, quibus ſaturauit quinque millia virorum, exceptis paruulis & mulieribus, & remanſerunt fragmentorum duodecim cophini, cùm ſequenti die transfretarent ad eum turbæ, non quia vidiſſent ſigna, id eſt non credentes in eum, ſicut debuiſſent propter illa ſigna, ſed quia panibus ſaturati ſunt; cumq́ue illo tum volente mentes eorum ad altiora ſuſtollere, ideoq́ue hortante vt credant in eum quem miſit Pater Deus, illi nihilominùs ventri dediti panes adhuc quærerent, dicentes, Quod ergo tu facis ſignum, vt videámus, & credamus tibi? quid operaris?

Cyp. de Lap. nu. 7. 10.

Omnipotentia Chriſti ad Euchariſtiam.

Ioan. 6.

Patres

„ Patres noſtri manducauerunt manna, [nimirum Panem de cælo: totus deinde ſermo eſt de præſtantia panis ſui & Patris præ Manna, idque ex argumento Deitatis ſuæ. Non enim Manna fuiſſe Panem de cælo, ſed Panem de cælo deſcendentem eſſe qui dat vitam mundo, & hunc eſſe Panem Dei, non hominis: ſe autem deſcendiſſe à Patre de cælo, & propterea eſſe panem vitæ. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet,
„ Ego ſum panis qui de cælo deſcendi: & dicebant, Nónne hic eſt filius
„ Ioſeph, cuius nos nouimus patrem & matrem? quomodo ergo dicit hic,
„ Quia de cælo deſcendi? [ſic videlicet ratiocinantes, quòd non erat Deus ſeu Filius Dei, quia nouerunt eum eſſe hominem. At ille magis aſſeuerat,
„ Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: & panis quem ego dabo, caro
„ mea eſt pro mundi vita. Illis igitur rurſum dicentibus in fideliter, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? ipſe Dei-
„ tatem ſuam inculcat, dicens, Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium
„ hominis aſcendentem vbi erat priùs? [an tum non videbitis, quòd in cælo eram priùs, & quòd de cælo deſcendi, tanquam Deus & Spiritus, & non (vt vos putatis) nudus ac infirmus homo? Nam caro quidē non prodeſt quicquam, id eſt, infirmitas ſeu nudus homo non poteſt viuificare mundum: ſed tamen Spiritus, id eſt Deitas, viuificat. Dei autem ſunt verba, verba mea; & propterea non ſunt dura, abſurda, impoſſibilia, ſed perficiunt quod promittunt. Hoc eſt enim quod dicit, Verba quæ ego locutus ſum vobis [de reſurgendo & viuendo in æternum per manducationem carnis meæ] ſpiritus & vita ſunt: non ſunt verba carnis (vt vos putatis) quæ nihil tale poteſt, quæ non prodeſt quicquam, ſed ſunt verba Dei qui eſt Spiritus viuificans. Itaque multis diſcipulorum eius poſt
„ iſta omnia diſcedentibus ab eo, dixit ipſe ad Duodecim, Nunquid & vos
„ vultis abire? Reſpondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus?
„ verba vitæ eternæ habes. & nos credimus, & cognouimus quia tu es Chri-
„ ſtus filius Dei. In hoc igitur tota continebatur cauſa: illis propterea non concedentibus eum habere verba vitæ æternæ, quia non credebant filium Dei; his autem quia id credebant, ſtatim agnoſcentibus quòd in verbis eius nihil erat impoſſibile, atque ideo (quia ipſe id dixit) vitam æternam fore per manducationem carnis eius, quæ per manducationem Mannæ non erat. Itaque quid iam à nobis quiſquam pro fide noſtra circa contentum & circa effectum Euchariſtiæ deſideret miracula (quæ tamen in Hiſtorijs ſunt innumera) cùm videat Chriſtum tam operosè iacientem fundamentum eiuſdem fidei noſtræ in omnipotenti Diuinitate ſua, à qua vna cuncta exiſtunt miracula? Vnde & D. Paulus cum videret

Corin-

Corinthios indignè communicantes, repetiuit eis quid eſſet, nimirum Corpus & Sanguis Chriſti, ipſo Chriſto ſic dicente qua nocte tradebatur: & idcirco indignè manducantes, reos eſſe corporis & ſanguinis Domini;& damnationem ſibi parare, quia non dijudicant corpus Domini. Et miraculorum mox admonet (qualium & Cyprianus ſuprà) Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi: Domino ſic per morbos & mortes varias corripiente & iudicante eos, quia ſemetipſos non dijudicarent neque probarent, ſed, vt Lapſi tempore Cypriani, corpus Domini inuaderent ante purgatam conſcientiam confeſſione criminis & miniſterio Sacerdotis. Alia adhuc multa Miracula poſſent è Scriptura ipſa pro nobis contra Hæreticos allegari. Sed quia propoſitam prætergredior breuitatem,illud ſolùm recordetur Lector, quod eſt palmariũ, de Eccleſia viſibili ſemper durante,vt ſuprà ſpeciatim quidem Miraculo Terræmotûs in Actis, generatim verò omnibus tum Chriſti tum Apoſtolorum Miraculis clariſſimè & copioſiſſimè demonſtraui.

1. Cor. 11. Vide Aug. Epiſt. 118. cap. 3. Act. 4.

Sextò igitur & vltimò obſeruetur quòd noſtra Miracula fiunt in Vnitate Eccleſiæ quam Chriſti in æternum conſtituere Miracula (nunquam enim exiuimus de Eccleſia poſt nouatores, ſicut ex pleriſque libri huius Motiuis conſtat) & propterea pleniſſima ſunt omni ſecuritate. Si qui autem extra Eccleſiã conſtituti viſi ſunt aliquando aut videbuntur vnquam quaſi Miraculis ſua dicta firmare, nemo fallatur, nemo erret: aut Magica aut naturalia opera, ſæpe etiam mera mendacia ſunt, Miracula non ſunt. Atque inde eſt, quòd Chriſtus dixit, Nolite exire, cum prædixiſſet ſurrecturos pſeudoprophetas qui darent ſigna & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos. Vnde & cauſam,cur electi ſeduci non poſſunt, dat S. Ioannes,quia non exeunt. nam de exeuntibus dicit: Ex nobis exierunt: ſed non erant ex nobis, id eſt ex electis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique in Eccleſia nobiſcum. Quod & Moyſes multò antè præmonuit, vt elegantiſſimè tractat Vincentius Lirinenſis. Audiamus [inquit] ſanctum Moſen, & ipſe nos doceat, Cur docti viri, & qui propter ſcientiæ gratiam ab Apoſtolo etiam Prophetæ nuncupantur, proferre interdum [à Deo] permittantur Noua dogmata, quæ Vetus Teſtamentum allegorico ſermone deos alienos appellare conſueuit, eò quòd ſcilicet ita ab Hæreticis ipſorum opiniones, ſicut à Gentilibus Dij ſui obſeruentur. Scribit ergo in Deuteronomio beatus Moſes: Si ſurrexerit, inquit, in medio tui Propheta, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat, id eſt, Magiſter in Eccleſia conſtitutus, quem diſcipuli vel auditores ſui ex aliqua reuelatione docere arbitrentur: Quid deinde?

Vide Moti. 3. Matth. 24. Mar. 13. 1. Io. 2. Deut. 13. Vin. Lir. cõ. Hæreſ. cap. 15. 1. Cor. 14.

" Et prædixerit, inquit, ſignum atque portentum, & euenerit quod locu-
" tus eſt: Magnus profectò neſcio quis ſignificatur Magiſter, & tantæ ſcien-
" tiæ qui ſectatoribus proprijs non ſolùm quæ humana ſunt noſſe, verum
" etiam quæ ſupra hominem ſunt prænoſcere poſſe videatur: quales ferè
" diſcipuli ſui iactitant fuiſſe Valentinum, Donatum, Photinum, Apolli-
" narem, ceteroſque eiuſmodi. Quid poſtea? Et dixerit, inquit, tibi,
" Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis. Qui
" ſunt Dij alieni, niſi errores extranei, quos ignoras, id eſt, noui & inau-
" diti? & ſeruiamus eis, id eſt, credamus eis, ſequamur eos. Quid ad extre-
Luc. 17. mum? (Sicut Chriſtus, nolite ire, neque ſectemini, ita Moſes) Non au-
" dies, inquit, verba Prophetæ illius, aut Somniatoris. Et quare, oro te, à
" Deo non prohibetur doceri, quod à Deo prohibetur audiri? Quia, inquit,
" tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum,
" an non, in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra, ſicut & Paulus di-
1. Cor. 11. cit, Oportet & hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.
1. Io. 2. & Ioannes, quòd quidam exeunt, vt manifeſti ſint quoniam non ſunt
" omnes ex nobis. Quicquid igitur talium ſectatores quaſi de prodigijs iacti-
tent, tamen qui Deum diligunt, non circunferentur omni vento doctri-
næ, ſed in antiqua fide & in Vnitate Eccleſiæ permanebunt, & quæcun-
que tales poſt exitum fecerint, miracula non putabunt. Non alij enim
admirabuntur vt miracula, niſi qui Eccleſiam non intrant, vel intrantes
non permanent. Qua ex cauſa Apoſtolus cùm dixiſſet, quòd aduentus
2. Theſ. 2. Antichriſti erit ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſi-
" gnis & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, addidit
" quibus ſeductio illa continget, dicens, ijs qui pereunt, eò quòd charita-
" tem veritatis non receperunt vt ſalui fierent. Ideo mittet illis Deus [per-
mittendo ſcilicet tunc in Antichriſto, quod nunc pro clementia ſua erga
inſtabiles non permittit in Proteſtantibus] operationem erroris, vt cre-
" dant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed
conſenſerunt iniquitati. Et hoc tunc Iudæis euenturum Chriſtus præ-
Ioan. 5. dixit illis, quia ipſum non receperunt: Ego [inquit] veni in nomine
" Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum ac-
cipietis. Veniet igitur Antichriſtus in nomine ſuo, vel (vt Paulus dicit
idem) in operatione Satanæ, non autem in nomine ſeu operatione Dei,
Apoc. 13. ideoque nec in veris miraculis: Sed vt ait Ioannes de Beſtia, Vidi vnum
" de Capitibus ſuis [id eſt, Antichriſtum] quaſi occiſum in mortem, [ſci-
" licet propter ſimulationem:] & plaga mortis eius curata eſt. Et admirata
" eſt vniuerſa terra poſt Beſtiam: & adorauerunt &c. Qui autem Eccle-
ſiam

ſiam diligent, nihil tum admirabuntur, ſed omnia ſimulata & prodigia mendacia eſſe non dubitabunt, quanquam id ipſi ſtatim oſtendere vel non poterunt, vel non audebunt.

Inſignia ſunt quæ Auguſtinus hanc in partem contra Donatiſtas dicit, qui (vt modò dixit Vincentius Lirinenſis) magna quædam de Donato ſuo, & quibuſdam alijs mendaciter iactitabant. Nemo [inquit Auguſtinus] vobis fabulas vendat: & Pontius fecit miraculum; & Donatus orauit, & reſpondit ei Deus de cælo. Sic Donatiſtæ dicebant, ſed quid Auguſtinus? Veris quidem verorum Sanctorum Miraculis ita non diffidit, neque diſcredit, vt per ea non dubitet contra Paganos Chriſtum ipſum ſolidè & audacter adſtruere: ſicut in Motiuo 16. oſtendam. Sed quoad falſa Hæreticorum miracula ita dicit: Primò aut falluntur [per dæmonum portenta,] aut fallunt [per figmenta ſua.] Poſtremò fac illum montes transferre; charitatem autem [inquit Paulus] non habeam, nihil ſum. Videamus vtrùm habuerit charitatem: Crederem, ſi non diuiſiſſet Vnitatem. Nam & contra iſtos (vt ſic loquar) Mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens, In nouiſſimis temporibus exurgent Pſeudoprophetæ, facientes ſigna & portenta, vt in errorem inducant (ſi fieri poteſt) etiam electos: Ecce prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit, quia & miraculis decipi non debemus. Quomodo autem id fiat, ſubiungit dicens, Teneamus ergo Vnitatem, fratres mei. Præter vnitatem & qui facit miracula, nihil eſt, &c. Melius eſt eſſe digitum [non facientem miracula] & eſſe in corpore, quàm eſſe oculum [facientem miracula] & euelli de corpore. Proinde, fratres mei, nemo vos fallat, nemo vos ſeducat. amate pacem Chriſti. Multò autem pleniùs hinc loquitur in Libro De Vnitate Eccleſiæ, nullo modo patiens vt Donatiſtæ cauſam Eccleſiæ à planiſſimis Scripturis auocent, & ad incerta, imò falſa Miracula conferant. ſed primùm omnium mandat diſcuti Scripturas pro Eccleſia: quod & nos propterea ex illo ſtatim in Motiuo primo fecimus, ſicut etiam propter Proteſtantes qui Scripturis, quas & ſolas admittunt, acquieſcere præ ſe ferunt. Ibi igitur Eccleſia nobis meritò vendicata è Scripturis, hîc volui ex ijſdem Scripturis etiam Miracula vendicare. Quod quàm ſolidè fecerim, animaduertit Lector. Quoniamque exceptio vna contra falſos venditores miraculorum eſt, ſi non ſint in Eccleſia, inde iam cœpi agere, oſtendens illam exceptionem contra noſtra miracula afferri non poſſe, ſed contra preſtigias Antichriſti & quorumcumque ſeductorum meritò & cautè obſeruandam eſſe. Quiſquis ergo [inquit Auguſtinus] huic Epiſtolæ [in qua ſcilicet Eccleſiam Catholicam è Scripturis demonſtra-

Auguſt. in Ioan. tract. 13.

Donatiſtarum Miracula.

1. Cor. 13.

Mar. 13.

De Vnit. Eccleſ. cap. 16.

„ monſtrauerat] reſpondere ſe præparat, antè denuncio &c, vt oſtendat Ec-
„ cleſiam eſſe apud Donatiſtas; & ſic oſtendat vt non dicat, Verum eſt, quia
„ illa & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius; aut, quia
„ homines ad Memorias Mortuorum noſtrorũ orant & exaudiuntur; [non
enim negabant Donatiſtæ Reliquias & inuocationem Sanctorum, ſicut
„ placuit Proteſtantibus facere] aut quia illa & illa ibi contingunt, &c. Non
vult Auguſtinus iſta dici, vbi cauſa Eccleſiæ è Scripturis agitur; quemad-
modum & Proteſtantes nó ine præpoſterè facerent, ſi ad primũ Motiuum
meum demõſtrans Eccleſiam è Scripturis, volentes reſpondere, ſua velut
miracula, aut aliud quidlibet præter Scripturas opponerent? Nam illic
Eccleſiam ſecundũ Scripturas, hîc autem Miracula etiam ſecundũ Scrip-
turas diſcutimus, ſingula videlicet ſuis locis. Sed Auguſtinus tamen nec ad
Miracula Donatiſtarũ illic reſpõdere negligit. Remoueantur iſta [inquit,
„ ſed quæ] iſta? [non ſanè miracula, ſed] vel figmenta mendaciũ hominum,
„ vel portenta fallacium ſpirituum. aut enim non ſunt vera quæ dicuntur
„ [& ſic figmenta hominum;] aut ſi hæreticorum aliqua mira facta ſunt
„ [portenta ſcilicet fallacium ſpirituum,] magis cauere debemus: quòd cùm
Matth. 24. dixiſſet Dominus, quoſdam futuros eſſe fallaces qui nonnulla ſigna fa-
„ ciendo, etiam electos (ſi fieri poſſet) fallerent, adiecit vehementer com-
1. Tim. 4. mendans & ait, Ecce prædixi vobis. Vnde & Apoſtolus admonet, Spiritus
„ autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus recedent quidam à
„ fide, intendentes ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorũ. [Atque
id quidem reſpondit ad mirabilia Donati, vel Pontij, & ſi quis alius. Iam
„ quid ad exauditiones?] Porrò [inquit] ſi aliquis in Hæreticorum memo-
„ rijs orans exauditur: non pro merito loci, ſed pro merito deſiderij ſui
„ recipit ſiue bonum ſiue malum, [& cætera quibus id fuſius oſtendit, &
„ concludit,] Vnde intelligitur, magis valere petentis affectum, quàm peti-
„ tionis locum. & poſt pauca: Exaudiũtur ergo multi, & multis modis; [qui
„ multi?] non ſolùm Chriſtiani Catholici, ſed & Pagani, & Iudæi, & Hære-
„ tici, varijs erroribus & ſuperſtitionibus dediti. [quibus multis modis?] Ex-
„ audiuntur autem vel ab ſpiritibus ſeductoribus (qui tamen nihil faciunt,
„ niſi permittãtur, Deo ſublimiter atque ineffabiliter iudicante quid cuique
„ tribuendum ſit) ſiue ab ipſo Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad ſolatium
„ miſeriæ, vel ad monitionem quærendæ ſalutis æternæ. Ad ipſam verò ſalu-
„ tem ac vitam æternã nemo peruenit, niſi qui habet caput Chriſtũ. Habere
„ autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in eius corpore fuerit, quod
Col. 1. „ eſt Eccleſia: quam ſicut ipſum caput in Scripturis ſanctis canonicis debe-
„ mus [non quidem quærere quaſi latentem, ſed vt obuiam, quemadmodum
ille in-

ille in Libro illo, & ego hìc in Motiuo primo oſtendi] agnoſcere: non in «
varijs hominum rumoribus, & opinionibus, & factis, & dictis, & viſis in- «
quirere. Nemo mihi hæc opponat [inquit] qui mihi reſpondere paratus «
eſt: Sed vtrum ipſi Eccleſiam teneant, non niſi diuinarum Scripturarum «
canonicis libris oſtendunt, quia nec nos propterea dicimus nobis credere «
oportere quòd in Eccleſia Chriſti ſumus, quia per totum Orbem in Lo- «
cis Sanctis, quæ frequentat noſtra communio, tanta Mirabilia vel exaudi- «
tionum vel Sanitatum fiunt, ita vt latentia per tot annos corpora † Mar- † *Geruaſii & Protaſii.*
tyrum (quod poſſunt à multis interrogantes audire) Ambroſio fuerint «
reuelata, & ad ipſa corpora cæcus multorum annorum ciuitati Mediola- «
nenſi notiſſimus oculos lumenque receperit: aut quia ille ſomnium vidit, «
& ille ſpiritu aſſumptus audiuit, ſiue ne iniret in partem Donati, ſiue vt «
recederet à parte Donati. Quæcumque talia in Catholica fiunt, ideo ſunt «
approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipſa manifeſtatur catho- «
lica, quia hæc in ea fiunt. [Non enim manifeſtè cognoſcitur Eccleſia catho-
lica per miracula, aut per viſiones, ſicut manifeſtiſſimè per Scripturas
(de quibus in Motiuo primo:) non quaſi vnquam falſitas veris miraculis
adſtruatur, abſit: ſed 1 quia in ſingulis difficillimum eſt omnibus & ſem- 1.
per diſcernere per res ipſas, vtrum ſint vera Miracula, an non: & 2 quia 2.
accidit interdum vt etiam extra Eccleſiam vera miracula fiant. 3 Nec ego 3.
in hoc Motiuo primò & directè illam quæſtionem tracto, à qua Auguſti-
nus remouet miracula (4 ſed à primo duntaxat loco, vt ne Scripturis 4.
de Eccleſia clariſſimis moratoriè opponantur) Vtrum ſcilicet in Eccleſia
Chriſti ſimus, ſed iſtam potiùs, Vtrum verum ſit Euangelium quod præ-
dicamus. Nam licet vnoquoque miraculo non manifeſtetur Eccleſia,
niſi quo modo iam tractaui, ipſo videlicet Miraculorum Chriſti, Apoſto-
lorum, omniumque temporum quaſi perenni flumine: tamen vno etiam
quouis miraculo vero (qualia ſunt ſine dubio quæ in Scriptura ſacra, &
quæ à probatis authoribus tam multis tradita nobis ſunt, item quæ in Ec-
cleſia tam innumera, tam grandia, tam ſolida, tam miraculis Chriſti paria
atque ſimilia, frequentãtur) nunquam falſitas, ſed ſemper veritas demon-
ſtratur; ab ijs etiam qui ea extra Eccleſiam faciunt. Vnde Ioanni dicenti, *Mar. 9.*
Vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia qui non ſequitur «
nos, & prohibuimus eum, ait Ieſus, Nolite prohibere eum. nemo eſt enim «
qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me: Qui «
enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt. [Veruntamen quoniã non ſuffi- «
cit, bene ſentire & bene loqui de Chriſto, ſed neceſſariũ eſt, etiã ſequacem
& participem eſſe Eccleſiæ eius (iuxta quod idem Ioãnes in Epiſtola dicit,

» Quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos ſocietatem
» habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre & cum Filio eius Ieſu
Chriſto) hanc ob cauſam multò aliter accidit illis Iudæis Exorciſtis, de
Act. 19. quibus Lucas in Actis ita refert: Tentauerunt autem quidam de circum-
» euntibus Iudæis Exorciſtis, inuocare ſuper eos qui habebant ſpiritus ma-
» los, nomen Domini Ieſu, dicentes, Adiuro vos per Ieſum quem Paulus
» prædicat. Erant autem quidam Sceuæ Iudæi principis-ſacerdotum ſep-
» tem filij, qui hoc faciebant. Reſpondens autem ſpiritus nequam dixit eis,
» Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? Et inſiliens in eos
» homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, inualuit
» contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem
» notum factum eſt omnibus Iudæis atque Gentilibus, qui habitabant E-
» pheſi: & cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur nomen Do-
» mini Ieſu. [Sic igitur interdum accidit ijs qui non erant de Eccleſia. Sed
tamen propter veritatis cuiuſlibet commendationem, ſæpè (vt dixi) etiam
bene ſucceſſit. Vnde Irenæus vt probaret contra veteres Hæreticos,
vnum eſſe Deum, & illum quidem Demiurgum, id eſt fabricatorem
Iren. lib. 2. cap. 5. Mundi, cùm primò ob id dixiſſet, Et huius inuocatione etiam ante Ad-
» uentum Domini noſtri ſaluabantur homines & à ſpiritibus nequiſſimis,
& à dæmonijs vniuerſis, & ab vniuerſa apoſtaſia, ſecundò addidit dicens,
Iudæorum miracula. Et propter hoc Iudæi vſque nunc hac ipſa aduocatione [vnius Dei qui
fecit mundum] dæmonas effugant, quando omnia timeant inuocatio-
Nouatianorum Miracula. nem eius qui fecit ea. Idem dico ad Miracula Nouatianorum quorundam
quæ Socrates in Hiſtoria narrat; ſiquidem Miracula fuerint (nam valde
mihi ſuſpecta ſunt, quia video illius Hiſtoriam paſſim buccinantem No-
uatianos, & ferè Catholicis coæquantem) quòd non ſpectauerint ad con-
firmandam falſitatem Nouatianiſmi, ſed ad religionis Chriſtianæ partes
Soc. lib. 7. cap. 5. quaſdam commendandas. ſicut viſio illa aut fortè imaginatio Nouatiano-
rum quorundam contra alios Nouatianos qui volebant Paſcha cum Iu-
Soc. lib. 7. cap. 17. dæis celebrare. Item miraculum illud de aqua euaneſcente ex baptiſte-
rio, cùm ad Paulum epiſcopum Nouatianorum in dolo veniſſet bapti-
zandus Iudæus quidam, qui ſæpè antea baptizatus multas per eam falla-
Soc. lib. 7. cap. 38. ciam corraſerat pecunias. Illud etiam de Eccleſia Nouatianorum ab in-
cendio ſeruata, quaſi per preces eiuſdem Pauli, ſed magis puto, quia Ec-
Soc. li. 1. ca. 9. & li. 2. ca. 30. cleſia erat; aut fortè miraculum non fuit, ſed res per ſe poſſibilis. Illa au-
tem quæ ab Auxanonte Nouatiano ſe audiſſe refert (à quo eodem &
Soz. lib. 1. cap. 14. Sozomenus audiuit, aut certè à Socrate accepit) de miraculis Sanitatum
& carceris ſpontè patentis Eutychiano Monacho Nouatiano, quis non
ſuſpecta

ſuſpectı habeat, tanquam Monachi illius vel Miracula, vel Nouatianiſ-
mum mentiente Nouatiano? quanquam etiam fieri poteſt, vt vir ſanctus
& ſimplex circa Nouatianos ſine pertinacia, ideoque ſine vllo aut ſine
magno peccato falleretur, illo maximè tempore, Conſtantini ſcilicet
Imperatoris (ſic enim dicunt Socrates & Sozomenus) quando Noua-
tianos necdum Concilium vllum generale damnauerat. quemadmodum
apud Bedam noſtrum vir doctiſſimus Wilfridus abbas itidem noſter reſ- *Bed. Hiſt.*
pondit Colmano alijſque Scotis (ipſoque Beda approbante) pro ſuo *Gentis Anglorũ li. 3.*
paſchate (quod obſeruabant ſemper die quidem Dominica, & non Iudai- *ca. 25. 17.*
cè Decima quarta Luna, ſed alia interdum Dominica quam deberent)
allegantibus miracula & ſigna Maiorum. Illos [inquit Wilfridus] Dei *Scotorum*
famulos, ac Deo dilectos eſſe non nego: qui ſimplicitate ruſtica, ſed in- *Miracula.*
tentione pia, Deum dilexerunt. Neque illis multùm obeſſe Paſchæ talem
reor obſeruantiam, quamdiu nullus aduenerat, qui eis inſtituti perfe-
ctioris decreta, quæ ſequerentur, oſtenderet: Quos vtique credo, ſi qui
tunc ad eos catholicus calculator aduenirer, ſic eius monita fuiſſe ſecu-
turos, quomodo ea quæ nouerant ac didicerant Dei mandata, proban-
tur fuiſſe ſecuti. Tu autem & ſocij tui, ſi audita decreta Sedis Apoſtoli-
cæ, imò vniuerſalis Eccleſiæ, & hæc literis ſacris confirmata, ſequi con-
temnitis, abſque vlla dubietate peccatis, &c. Quo etiam modo Auguſti- *Auguſt. de*
nus ſæpiſſimè reſpondet Donatiſtis allegantibus pro errore ſuo quo an- *bap. cõ. Don. lib. 4.*
nullabant baptiſmum hæreticorum authoritatem S. Cypriani, cuius non *cap. 6.*
ſolùm tanta erant merita virtutum, verumetiam tanta copia gratiarum, *S. Cypriani gratiæ.*
quanta ex frequentia viſionum eius & magnitudine reuelationum (quas
in Scriptis eius obſeruare licet) datur intelligi. Dicit igitur de illo Augu-
ſtinus, quòd vniuerſæ Eccleſiæ authoritati ſine dubio cederet, ſi iam illo *lib. 2. cap.*
tempore quæſtionis huius veritas eliquata & declarata per Plenarium *4.*
Concilium ſolidaretur. Et rurſus: Nec arbitror B. Cyprianum propter *lib. 3. cap.*
aliud contra Conſuetudinem quid ſentiret liberiùs exprompſiſſe, prio- *8.*
remque dixiſſe, niſi vt alium ſi forte exiſteret, cui eſſet melius reuela-
tum, gratiſſimè acciperet, & oſtenderet imitandam non ſolùm docendi
diligentiam, ſed etiam diſcendi modeſtiam. Si autem nullus exiſteret,
qui tale aliquid afferret; vnde illæ omnes veriſimiles rationes quibus mo-
uebatur refellerentur, in eadem ſententia permaneret ſibi bene conſcius
& non occultatæ quæ putabatur veritatis, & retentæ quæ amabatur Vni-
tatis, &c. Nondum autem factum erat de hac re tranſmarinum vel Vni- *cap. 9.*
uerſale Concilium. Poſtea tamen dum inter multos ex vtraque parte
tractatur & quæritur, non ſolùm inuenta eſt veritas, ſed etiam ad Plenarij

Con-

„ Concilij [Nicæni ſcilicet] authoritatem roburque perducta, poſt Cy-
„ priani quidem paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus. Rurſum:
Lib. 1. cap. 18. De Baptiſmo piè credamus, quod vniuerſa Eccleſia à ſacrilegio Schiſ-
„ matis remota cuſtodit. In qua tamen ſi aliud alij adhuc de iſta quæſtio-
„ ne ſalua pace ſentirent, donec Vniuerſali Concilio vnum aliquid eliqua-
„ tum ſyncerumque placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret
Cõ. Creſcon. lib. 2. cap. 32. charitas Vnitatis. Et alibi: Non accipio, inquam, quod de baptizandis
hæreticis & ſchiſmaticis B. Cyprianus ſenſit, quia hoc Eccleſia non ac-
„ cipit, pro qua B. Cyprianus ſanguinem fudit.

Sicut autem hîc (vt etiam ſæpè aliàs) incidit quæſtio de Veritate, & re nondum eliquata, eſſe in vtraque diſſentientium parte, tamen in Vnitate, poſſunt etiam qui Miracula operentur, ſed non ea tamen pro errore, ſed pro ſanctitate, & quam aliam cauſam Deus voluerit operentur: ita (quod diligentiſſimè quoque obſeruandum eſt) incidunt etiam interdum quæſtiones de Vnitate, quæ & ipſa (ſicut Veritas aliqua) apud quos tum ſit, modò diu, modò ſemper ſit incognitum: & neutros interim, quaſi qui extra Vnitatem ſint, audeat quis damnare; quia re nondum eliquata, neutri ſuæ parti adhærent pertinaciter. Hinc igitur fuit, quòd Victor quartus contra Alexandrum tertium antipapa poſt mortem plurimas virtutes fecit, ſi verum ſit quod de eo Germani ſcribunt: nam Itali non admittunt. Hinc etiam fuit, quòd in alio ſchiſmate inter Vrbanum ſextum & Clementem ſeptimum, pro vtroque erant viri religioſiſſimi, & quod maius eſt, etiam miraculis fulgentes. nec [enim] vnquam potuit res decidi, quin manſerit apud plurimos dubia. Quod idem fieri potuiſſet circa finem quoque eiuſdem longiſſimi Schiſmatis in partibus Ioannis 23, Gregorij 12, & Benedicti 13. ante depoſitionem ſeu renunciationem eorum, & ante electionem Martini quinti, in Concilio Conſtantienſi. Summa eſt, quòd & extra Eccleſiam, & intra Eccleſiam ab errantibus vel circa veritatem vel circa Vnitatem, Miracula fieri poſſunt, nec à bonis ſolùm, verùm à malis etiam atque reprobis, quos Iudex omnium olim præmonuit,

Antipapa Miracula. Nauclerus Generatione 39. pag. 223. Idem Gen. 46 pag. 410. Idem Gen. 48. pag. 442. Summa.

Matth. 7. inquiens, Multi mihi dicent in illa die, Domine, Domine, nónne in
„ nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, &
„ in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia
„ nunquam noui vos: Diſcedite à me qui operamini iniquitatem. [Nunquam tamen iſtorum quilibet pro malitia, vel pro errore ſuo confirmando, Miracula poterunt operari. Sed vt interdum Sanctitati, ita ſemper veritati, nunquam falſitati patrocinantur: vt nihil magis opus

hîc ſit,

hic ſit, quàm an ſint Miracula, nécne, quæ oſtenduntur, ritè diſcernere. Quæ ſi in Catholica fiunt, ideo ſunt approbanda (vt ſuprà dixit Auguſtinus) quia in Catholica fiunt. Noſtra autem Miracula in Catholica fiunt (nunquam enim exiuimus, neque exeuntes vllos ſectati ſumus: neque intra Eccleſiam, velut in proprijs viſceribus, aliqua vnquam quaſi generali tabe defecimus; id enim ipſis indubijs Chriſti & Apoſtolorum Miraculis omnino repugnant, quia in æternum, vt oſtendi, Eccleſiam viſibilem fundauerunt.) Noſtra igitur Miracula in Eccleſia fiunt, eaque iam inde ab initio numero infinita, genere Diuina, in ipſorum quoque confirmationem articulorum ferè omnium & ſingulorum, maiorum atque minorum, quos hodie Hæretici controuertunt: vt ſi contra Paganos & Iudæos dignum fide Chriſtum ipſum Miracula oſtenderunt, ſimiliter contra Hæreticos dignam fide Eccleſiam non minùs oſtendant. & iſtâ nimirum, quemadmodum Apoſtoli in principio, prædicante vbi- *Mar. 16.*
que; ac Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus "
ſignis; & ſic in iſtâ verbum ſuum implente quod dixit, Qui credit in *Ioan. 14.*
me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & his maiora faciet. Quæ ſi Hæ- "
retici videntes non credunt, ſed odio habent Eccleſiam nihilominus, quàm Iudæi Chriſtum, ipſo dicente, Nunc autem & viderunt & ode- *Ioan. 15.*
runt: equidem non miramur. nam debet ſermo eius impleri, quo dixit: "
Si Patremfamiliâs Beel-zebub vocauerunt: quanto magis domeſticos *Matth. 10.*
eius? Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec Seruus ſuper Dominum "
ſuum. ſufficit diſcipulo, vt ſit ſicut Magiſter eius: & ſeruo, ſicut Domi- "
nus eius. Et rurſum: Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis, *Ioan. 15.*
Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſe- "
quentur. ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Nos "
interim (præter alia argumenta plurima atque grauiſſima) ex Miraculis ipſius Chriſti & omnium omni ætate Sanctorum eius ſecuri de Eccleſia, ſecuri de veritate ſumus. Si qui autem nec propter tanta Miracula credent Eccleſiæ facienti opera Chriſti, ſicut ipſe volebat ſibi credi fa- *Ioan. 10.*
cienti opera Patris ſui: certè intelligimus, cuius numeri ſint; non illorum vtique, de quibus ſcriptum eſt, Dominus eos qui ſalui fierent quo- *Act 2. iuxta Græcum.*
tidie apponebat Eccleſiæ.

MOTIVVM VNDECIMVM.

Quòd in Britannia inſula (ſecundum Scripturas, quæ de Inſularum conuerſione loquuntur) Apoſtolica fides fuerit ad quam Gens Britonum mille quadringentis retro annis ſub Eleutherio Papa conuerſa eſt. Et, quòd eadem fides fuerit ad quam Gens Anglorum in eadem inſula quadringentis poſtea annis ſub Gregorio primo conuerſa eſt. Et, quòd eadem ſit hodie fides noſtra. Quam fidem & Deus ibi tunc Miraculis confirmauit, & Proteſtantes nunc leuiſsimè mutauerunt.

DVOBVS proximis ſuperioribus Motiuis tam copioſè differendum mihi fuit in genere de conuerſione Gentium & de Miraculis, vt in nullius particularis Gentis conuerſione atque miraculis multum immorari potuerim. Quare hunc delegi locum, in quo vnius ſaltem exempli cauſa de Inſula noſtra Britannia pleniùs & vberiùs diſputem, ad quam nimirum fidem, & quibus Miraculis ſit conuerſa. Catholicis autem aliarum Gentium, qui vti volent his vel huiuſmodi Motiuis apud ſuos populares ſiue ſcripto ſiue ſermone vulgari ad inſinuandam eis religionis noſtræ veritatem, licet ſuam cuique gentem hìc ſimiliter pro exemplo tractare. Quo tamen labore leuare eos poterit (ſi malunt) diligens Britanniæ noſtræ toto orbe & tota antiquitate celeberrimæ conſideratio & perpenſio. Tam multæ enim in Veteri Teſtamento expreſſæ Prophetiæ de conuerſione Inſularum, ſi in qua alia, in noſtra totius Europæ maxima & decantatiſſima implentur ſine omni
Soph. 2. „ dubio. vt quod dixit Sophonias: Dominus attenuabit omnes deos ter-
„ ræ. & adorabunt eum viri de loco ſuo, omnes inſulæ Gentium. Item
Iſa. 41. „ Eſaias ex perſona Domini: Taceant ad me inſulæ, & Gentes mutent
„ fortitudinem, accedant, [& mox:] Viderunt inſulæ, & timuerunt, extre-
„ ma terræ obſtupuerunt, appropinquauerunt & acceſſerunt. Idemque
Matth. 12. in alio loco, quem & ipſe Euangeliſta Matthæus de Chriſto interpre-
Iſa. 42. „ tatur, rurſus ex perſona Dei: Ecce Seruus meus, ſuſcipiam eum: electus
„ meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi Spiritum meum ſuper
„ eum, Iudicium Gentibus proferet. &c. Non erit triſtis, neque turbulen-
„ tus, donec ponat in terra iudicium: & Legem eius Inſulæ expectabunt.
Iſa. 49. „ Et alibi ex perſona Chriſti: Audite inſulæ; & attendite populi de longè:
„ Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt

nomi-

nominis mei. &c. quem eundem locum Vitalianus Papa apud Bedam noſtrum inter initia conuerſionis noſtræ ad Regem noſtrum Oſroium gratulabundus allegat: Quis enim [inquit] audiens hæc ſuauia non lætetur? Quis non exultet & gaudeat? Quia & Gens veſtra Chriſto omnipotenti Deo credidit, ſecundum diuinorum Prophetarum voces, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia: Audite inſulæ, & attendite populi de longe. &c. Et iterum in illa iucundiſſima ipſius Dei gratulatione ad Eccleſiam ſuam: Surge, illuminare Ieruſalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromodarij Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes: & laudem Domino annuntiantes. &c. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Me enim Inſulæ expectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè: argentum eorum, & aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui, & Sancto Iſraël, quia glorificauit te. Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi. &c. Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo Gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & Regnum quod non ſeruierit tibi, peribit. &c. Et venient ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te Ciuitatem Domini, Sion Sancti Iſraël. &c. ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generationem & generationem. & ſuges lac Gentium, & mamilla Regum lactaberis: & ſcies quia ego Dominus ſaluans te, & Redemptor tuus Fortis Iacob. Quem locum tam prolixè citaui, vt animaduertant omnes, non reſpiciendum eſſe quid crediderint Gentes & Inſulæ tempore tantummodò Apoſtolorum, vel etiam temporibus ſeculorum quorundam conſequentium quibus Eccleſia perſecutionibus varijs Romanorum maximè Tyrannorum humiliata & afflicta eſt: verumetiam poſtea, quando perſecutionum procellis iam abſumptis, ijdem Reges in Eccleſiæ defenſores & pios filios ſunt mutati. Eadem autem & Dauid in pſalmo ſeptuageſimo primo ſimillimis verbis iam antè prædixerat: ſed Eſaias in

Bed. Hiſt. Angl. lib. 2. cap. 29.

Iſa. 60.

Vbi ſunt qui Eccleſiā inuiſibilem dicunt?

Vbi, qui viſibilem Eccleſiam dicunt temporalem?

Eccleſiam, Dauid in Chriſtum; ſeu potiùs vterque in eundem Chriſtum,
Pſalm. 71. ille ſecundum corpus, hic ſecundũ caput. Et dominabitur [inquit] à mari
» vſque ad mare: & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarũ. Coram illo
» procident AEthyopes: & inimici eius terram lingent. Reges Tharſis, &
» Inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adora-
» bunt eum omnes Reges: omnes Gentes ſeruient ei. Vnde pſalmo nonage-
ſimo ſexto toti terræ & nominatim inſulis admodum gratulatur, dicens:
Pſalm. 96. Dominus regnauit: exultet terra, lætentur inſulæ multæ.

Nullus certè non nimis iniquus iudex & abſurdus æſtimator rerum negauerit, has & huiuſmodi Scripturas Inſulæ noſtræ vel præ cæteris Inſulis vel ſaltem inter cæteras, in cauſa Chriſtianæ fidei ſuffragari: & fidem idcirco quæ in eadem plantata eſt, ſedulò conſiderandam eſſe. atque id multò magis, propter antiquitatem & celebritatem eiuſdem. Nam vt ſcri-
Damaſus in Pontif. in Eleutherio. bit Damaſus in Pontificali: Eleutherus accepit Epiſtolam à Lucio Britannorum Rege, vt Chriſtianus efficeretur per eius mandatum. Et iiſdem
habetur 1. 10. Con. aliiſque pluribus verbis Beda in Hiſtoria Gentis Anglorum: Anno ab
Bed. Hiſt. lib. 1. cap. 4. Incarnatione Domini, centeſimo quadrageſimo ſexto, Marcus Antonius Verus, decimus quartus ab Auguſto, Regnum cum Aurelio Commodo
» fratre ſuſcepit. Quorum temporibus cum Eleutherius vir ſanctus Pon-
» tificatui Romanæ Eccleſiæ præeſſet, miſit ad eum Lucius Britannorum
» Rex Epiſtolam, obſecrans vt per eius mandatum Chriſtianus efficere-
» tur. Et mox effectum piæ poſtulationis conſecutus eſt: ſuſceptamque fi-
» dem Britanni vſque in tempora Diocletiani Principis inuiolatam integramque quieta pace ſeruabant. [Rurſum in Epitome eiuſdem Hiſtoriæ
» ſuæ: Anno ab Incarnatione Domini centeſimo ſexageſimo ſeptimo E-
» leutherius Romæ Præſul factus, quindecim annos Eccleſiam glorioſiſſi-
» mè rexit: cui literas Rex Britanniæ Lucius mittens, vt Chriſtianus ef-
» ficeretur petiit, & impetrauit. [Per Fugatium ſcilicet & Damianum, quos ad Eum Eleutherius miſit. Eratque mox tam celebris, & ſimul tanti momenti, hæc Britanniæ conuerſio, vt contra Iudæos Tertullianus & Origenes, qui paulo pòſt vixerunt, pro Chriſto ipſo diſputantes, eam inter cæteras Chriſtianas Gentes nominatim commemorauerint.
Tertul. lib. adu. Iudæos. Igitur in iſto gradu conferamus [inquit Tertullianus] an qui venturus eſt Chriſtus iam venerit, an venturus adhuc ſperetur. Et
Iſa. 45. » mox ex Iſaia Propheta quæſtionem abſoluit, dicente: Sic dicit Do-
» minus Deus Chriſto meo Domino, cuius tenui dexteram, vt exau-
» diant illum Gentes: Fortitudines Regum diſrumpam, aperiam ante il-
» lum portas, & ciuitates non claudentur illi. Quod ipſum adimpletum

videmus,

videmus, ait Tertullianus. Cui enim dexteram tenet Pater Deus, niſi Chriſto filio ſuo? quem exaudierunt omnes Gentes, id eſt, cui omnes Gentes crediderunt: cuius & Prædicatores Apoſtoli in pſalmis Dauid oſtenduntur, In vniuerſa, inquit, terra exijt ſonus eorum; & *Pſalm. 18.*
vſque ad terminos terræ verba eorum. In quem enim alium vniuerſæ Gentes crediderunt, niſi in Chriſtum qui iam venit? Cui enim & illæ *Act. 2.*
Gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum & Aſiam, Pamphyliam, immorantes AEgyptum, & regionem Africæ quæ eſt trans Cyrenen, inhabitantes Romani, & incolæ tunc & in Hieruſalem Iudæi: & cæteræ Gentes, vt iam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes terræ, & Galliarum diuerſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto verò ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum Gentium, & Prouinciarum, & Inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minùs poſſumus? In quibus omnibus locis Chriſti nomen qui iam venit, regnat, vtpote ante quem omnium ciuitatum portæ ſunt apertæ, & cui nullæ ſunt clauſæ. &c. vtpote in quibus omnibus locis populus Nominis Chriſtiani habitet. Quis enim omnibus Gentibus regnare potuiſſet, niſi Chriſtus Dei Filius, qui omnibus in æternum regnaturus nunciabatur? [Origenes ſimiliter vt Chriſtum iam veniſſe perſuaderet:] De *Orig. Hom. 4. in Ezec.*
Domini aduentu ſcriptum eſt, [inquit] Omnis terra clamat cum lætitia. Confitentur & miſerabiles Iudæi hæc de Chriſti præſentia prædicari; ſed ſtultè ignorant perſonam: cùm videant impleta quæ dicta ſunt. Quando enim terra Britanniæ ante aduentum Chriſti in Vnius Dei conſenſit Religionem? Quando terra Maurorum? Quando totus ſemel Orbis? Nunc verò propter Eccleſias quæ Mundi limites tenent, vniuerſa terra cum lætitia clamat ad Dominum Iſraël, & capax eſt bonorum ſecundum fines ſuos. [Quemadmodum autem Iu- *Chryſ. Ʋ. Gentiles quod Chriſtus ſit Deus.*
dæis hi duo, ita Gentilibus multo pòſt Chryſoſtomus commendans Chriſtum, nomen ſimiliter Britanniæ interponit: Age, [inquit] proferamus quæ etiam ipſe de futuris dixit, &c. Orbe ferme toto in impietate detento, prædixit, Super hanc petram ædificabo Ec- *Matth. 16.*
cleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, &c. Ne tranſcurras obiter: ſed conſidera & cogita tecum, quid ſit in tam breui tempore omnem ſub ſole terram tantis Eccleſijs impleri, tantas Gentes ad fidem transferri, populos perſuaderi vt patrias leges irritent,

„ conſuetudinem ſtabilitam & radicatam reuellant, altaria & templa [ido-
„ lorum] &c. aboleant: & excitent Altaria [Chriſti] vbique Gentium, in
„ regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum; &
„ vltra orbem noſtrum. Nam & Britannicæ inſulæ extra hoc mare [Medi-
„ terraneum] ſitæ, & quæ in ipſo Oceano ſunt, virtutem verbi [ſcilicet,
„ AEdificabo Eccleſiam meam] ſenſerunt. Sunt enim etiam illic fundatæ
Eccleſiæ, & erecta Altaria. Hanc igitur tam antiquam Britannniæ fidem; nec Britanniæ ſolius, verùm eandem per tot alias Gentes etiam tunc temporis tam latè diffuſam; eandemque adeò contra Iudæos & Gentiles Chriſto ipſi patrocinantem; fidem hanc tam indubiè Apoſtolicam, affirmo eandem prorſus fuiſſe cum fide noſtra quæ hodie eſt, quam Lutherus è Saxonia, & alij aliunde, & Anglo-proteſtantes ex ipſa (quam dico) Britannia, & ex ſuis cordibus, per mirabilem ſeu ſtultitiam ſeu potius inſaniam expulerunt. Id autem demonſtrabo mox clariſſimè, ſi priùs ex Venerabili Beda qui ſcripſit Conuerſionis noſtræ Hiſtoriam, Lectoris exteri cauſa ad propoſitum noſtrum pluſculum annotauero.

[*Bed. Hiſt. li. 1. ca. 1.*] In primis [inquit Beda] hæc Inſula Britones ſolùm, à quibus Britanniæ nomen accepit, incolas habuit, de tractu Armoricano (vt fertur)
„ aduectos. [quos Angli hodie Wallos appellamus.] Poſt illos contigit [*Gentes Britanniæ.*]
„ gentem Pictorum de Scythia, extra fines omnes Britanniæ Hyberniam
„ perueniſſe, atque inuenta ibi gente Scottorum ſibi quoque in partibus
„ illis ſedes petiſſe, nec impetrare potuiſſe. Itaque [de conſilio Scottorum,
„ id eſt Hybernorum] petentes Britanniam Picti habitare per Septentrio-
„ nales Inſulæ partes cœperunt. Nam Auſtrina Britones occupauerant.
„ Procedente autem tempore, poſt Britones & Pictos, tertiam Scottorum
„ nationem in Pictorum parte recepit. Itaque Hybernia propriè [inquit]
Patria Scottorum eſt. [*Ibidem cap. 2. 3. & in Epitome. Romani in Britannia.*] Anno autem ante Incarnationem Dominicam ſexageſimo, Caius Iulius Cæſar, primus Romanorum Britanniam bello pulſauit, & [ſecundò] vicit: nec tamen ibi potuit regnum obtinere.
„ Anno ab Incarnatione Domini quadrageſimo ſexto, Claudius, ſecundus
„ Romanorum Britannias adiens, plurimam Inſulæ partem in deditio-
„ nem recepit; & Orchadas quoque inſulas Romano adiecit Imperio. Et
„ ab eodem Claudio Veſpaſianus miſſus, etiam Vectam, inſulam Britanniæ
„ proximam à meridie, Romanorum ditioni ſubiugauit. Succedens autem
„ Claudio in Imperium Nero, inter alia Romani Regni detrimenta innumera, Britanniam pænè amiſit. Ac tum ſubiungit quod ſuprà recitaui, [*Cap. 4. Conuerſio Britannorũ.*] de Lucio rege Britonum baptizato circa annum Domini 167, mandato Eleutherij Papæ. ſuſceptamque [inquit deinde] fidem Britanni vſque in

tempo-

tempora Diocletiani Principis inuiolatam integramque quieta pace ſer- "
uabant. Anno autem 286 Diocletianus Imperator electus, in Oriente, *Cap. 6.*
& [ſocius eius] Maximianus Herculius in Occidente, vaſtari Eccleſias, *Perſecutio.*
affligi, interficique Chriſtianos, decimo poſt Neronem loco, præcepe- "
runt: quæ perſecutio omnibus ferè anteactis diuturnior atque immanior "
fuit. Nam per decem annos incendijs Eccleſiarum, proſcriptionibus in- "
nocentum, cædibus Martyrum inceſſabiliter acta eſt. Denique etiam "
Britanniam cum plurima Confeſſionis Deo deuotæ gloria ſublimauit. "

At vbi turbo Perſecutionis quieuit, [reſtituta eſt, &] manſit in Ec- *Cap. 8.*
cleſijs Chriſti, quæ erant in Britannia, pax, vſque ad tempora Arrianæ *Pax iterum.*
Veſaniæ, quæ temporibus Conſtantini Magni [circa annum 324] exorta, *Arriani in*
& in Nicena Synodo detecta atque damnata, nihilominus corrupto toto *Britannia.* "
orbe, hanc etiam Inſulam, extra orbem tam longè remotam, veneno "
ſui infecit erroris. [Deinde] temporibus Arcadij (qui an. 394. cum *Cap. 10.*
fratre Honorio ſuſcepit Imperium, & tenuit annos tredecim) Pelagius *Pelagius*
Brito contra auxilium gratiæ ſupernæ venena ſuæ perfidiæ longè lateque *Brito.* "
diſperſit, vtens cooperatore Iuliano de Campania, quem dudum amiſſi "
Epiſcopatus intemperans cupido exagitabat. Quibus S. Auguſtinus, "
ſicut & cæteri Patres orthodoxi, multis ſententiarum catholicarum mil- "
libus reſponderunt. Anno 409. Roma à Gothis fracta eſt: ex quo tem- *Cap. 11.*
pore Romani in Britannia regnare ceſſarunt, poſt annos fermè qua- "
dringentos ſeptuaginta ex quo Caius Iulius Cæſar eandem inſulam adijt. *Cap. 11.*
Anno 430 Palladius ad Scotos in Chriſtum credentes à Cæleſtino Papa *Scotorũ primus Epiſcopus.*
primus mittitur Epiſcopus.

Britones autem à Scottis Pictiſque vaſtati, & bis Romanorum auxi- *Cap. 12.*
lijs reſtituti, ſed tertiò deſerti; poſtquam cogente fame & iuuante Deo ſe *13. 14.*
ipſi in libertatem priſtinam vindicaſſent, vacantes deinde in frugum co-
pia luxuriæ, mendacijs, crudelitati, ebrietati, contentioni, cunctiſque
ſceleribus, nec ſeculares ſolum, ſed etiam ipſe grex Domini, eiuſque
paſtores, proptereaque peſte & gladio exterminati, accerſunt an. 449,
Anglos in auxilium, magis autem (Domino vertente conſilium contra *Angli in*
improbos) in perniciem. Veniunt igitur de tribus Germaniæ populis for- *Britannia. Cap. 15.*
tioribus, id eſt, Saxonibus, Anglis, Vitis: [& ij Pagani omnes.] Porrò de "
Anglis, id eſt, de illa patria [Germaniæ] quæ Anglia dicitur, populus totus "
aduênit, ita vt ab eo tempore vſque hodie [inquit Beda] manere deſerta "
inter Prouincias Vitarum & Saxonum perhibeatur, [nunc autem nec in
Germania Angliæ nomen extet. Aduenæ autem iſti mox] inito fœdere "
cum Pictis hoſtibus, in ſocios Britones arma verterunt. "

Ante

Cap. 17. ad 22. Pelagiani in Britannia. Ante paucos ſanè aduentus eorum annos Hæreſis Pelagiana per Agricolam Seueriani epiſcopi Pelagiani filium illata, fidem Britannorum fœda peſte commaculauerat. Contra quam è Gallia accerſiti & miſſi Germanus Altiſiodorenſis, & Lupus Trecaſſenæ ciuitatis epiſcopi, veniunt in Britanniam: & mirabiliter non ſolùm Hæreticos, ſed etiam hoſtes Saxonas Pictoſque profligant. Secundò autem, renaſcentibus virgultis Hæreſeos, redeuntes idem Germanus & Seuerus Treuerenſis epiſcopus, efficiunt per Miracula, vt illis locis multo ex eo tempore fides intemerata perduraret. Cap. 22. Proxima [mox] ætate [maioribus ſe flagitijs ſordidarũt.] Inter alia [autem] inenarrabilia ſcelerum facta, quæ Hiſtoricus eorum Gilda flebili ſermone deſcribit, & hoc addebat, vt nunquam Genti Saxonum ſiue Anglorum ſecum Britanniam incolenti, verbum fidei prædicandum committerent. Non tamen Diuina pietas plebem ſuam quam præſciuit deſeruit: quin multo digniores [inquit Beda] Genti memoratæ præcones veritatis, per quos crederet, deſtinauit. Anglorum conuerſio. In Epitome. Pictorum. Anno [interim] 565 Columba presbyter de Scotia venit in Britanniã ad docendos Pictos, & in inſula Hij monaſterium fecit. [Deinde] anno 597 (qui fuit annus Cap. 23. plus minus 150 aduentus Anglorum in Britanniam) venêre à B. Gregorio Papa ſeruus Dei Auguſtinus, & alij plures cum eo monachi timentes Dominum (quorum ipſe abbas fuit) viri fermè quadraginta, prædi- Cap. 25. 26 care verbum Dei Genti Anglorum. [Denique initio facto à ciuitate Dorouernenſi ſeu Cantuaria (permittente Edilbertho Rege) ante annum Lib. 4. cap. 16. 680 inſula Vecta vltimò conuerſa eſt, poſtquam omnes Britanniarum prouinciæ fidem Chriſti ſuſceperant, ita vt annis ferè 84 opus vniuerſaliter ſit completum.

Britonũ & Anglorum eadem fides. Hanc autem fidem ab Anglis tunc ſuſceptam, eandem fuiſſe cum ea quam Britones multo antè ſuſceperant, nullus qui vel iſtam Bedæ narrationem attentè conſiderat, dubitabit. Quis enim non animaduertit, quomodo tanquam de vna re narrat, quando eam Britones, quando eandem Scotti, quando eandem Picti, quando eandem denique Angli receperunt? Quin idem etiam diſertis verbis teſtatur, dum de ſuo tempore Lib. 1. ca. 1 ſcribit iſta: Hæc [inſula Britannia] in præſenti, iuxta numerum Librorum quibus Lex Diuina ſcripta eſt, quinque Gentium linguis vnam eandemque ſummæ veritatis & veræ ſublimitatis ſcientiam ſcrutatur & confitetur, Anglorum videlicet, Britonum, Scottorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione Scripturarum cæteris omnibus eſt facta commu- Britanniæ nunc Gentes. nis. [Pictorum autem (vt hoc obiter dicam) & lingua & gens iamdudum defecit. Scottorum verò linguam Beda intelligit Hybernicam, & Scottos

ſeu Sco-

ſeu Scotos Hybernos, vt & vocat eos lib. 1. cap. 14. Habitantque ijdem adhuc non ſolùm in Hybernia, verumetiam in Britannia, in partibus Scotiæ remotioribus, linguâ hodieque loquentes Hybernicâ. Nam qui viciniores ſunt Scoti, & exteris gentibus notiores, vtuntur idiomate quodam linguæ Anglicanæ, nihilque aliud eſſe videntur, quàm Angli in Scotiæ partes infuſi: quemadmodum etiam in inſula Hybernia gens & lingua Anglorum plurimum occupauit. Porrò eandem fuiſſe fidem Britonum & Anglorum, euidens argumentum eſt, quòd maxima inter Epiſcopos Britonum & S. Auguſtinum Anglorum Apoſtolum differentia fuit de Dominico die Paſchæ. quod vtique Proteſtantes (etſi imperitè & falsò) non magni momenti eſſe autumant. adeò vt Auguſtinus multum cum eiſdem egerit, vt Anglis vnà cum ipſo & ſocijs prædicarent; prohibiturus eos potiùs, ſi alterius fidei extitiſſent: quemadmodum hoc tempore Catholici & Proteſtantes ſe mutuò ob eandem cauſam prohibent. Hæc autem ex eodem Beda demonſtremus. Auguſtinus [inquit] adiutorio vſus *Lib. 2. c. 2.*
“ Edilberthi regis [iam baptizati] conuocauit ad ſuum colloquium Epiſcopos ſiue Doctores maximæ & proximæ Britonum prouinciæ: cœpitque eis fraterna admonitione ſuadere, vt pace catholica ſecum habita, communem euangelizandi gentibus pro Domino laborem ſuſciperent. [ibique ſubiungit maximam illam differentiam:] Non enim Paſchæ diem Dominicum ſuo tempore, ſed à decima quarta vſque ad viceſimam lunam obſeruabant. Quæ computatio octoginta quatuor annorum circulo continetur. [cùm vera cōputatio contineatur alio annorū circulo, obſeruando Dominicā Paſchæ diem,] non niſi à quintadecima luna vſque ad viceſimā primam. [Britones autem, ſicut etiam Picti, & Scotti,] tertiâ decimâ lunâ ad veſperā ſæpiùs Paſcha incipiebant, [&] lunam viceſimam primam à celebratione Paſchæ funditus eliminabant. [Vnde nōnunquam contigit, vt bis in anno vno Paſcha celebraretur: & cùm Angli cæterique Catholici Paſcha Dominicū ſolutis ieiunijs facerent, tunc [Britones cum Scotis & Pictis] perſiſtentes adhuc in ieiunio diem Palmarū celebrarent. *Lib. 3. cap. 25.*

Veruntamen & ipſi non niſi die Dominico Paſcha ſeruabant, ideoque nō erant in hæreſi Τεσσαρασκαιδεκατιτῶν, id eſt Quartadecimanorū, qui contra decretum Victoris Papæ, poſteaque Concilij Niceni, ad Legis Moſaicæ decreta cum Iudæis quamlibet hebdomadæ feriam quâ eſſet luna decimaquarta, pro Paſchali tempore cuſtodiebant, de die Dominica nil curantes. Non ſic autem Britones; ſed ſemper die quidem Dominica Paſcha celebrabant, circa Dominicā autem ipſam (nō tamen tēpore Concilij Niceni, vt teſtatur Conſtantinus Magnus apud Euſebiū, ſed multo poſt) errabant, *Aug. Hære. 19. Vide Moti. 27.* *Euſeb. in vita Conſtant. li. 3. cap. 18.*

& primùm quidem ex ignoratione catholici calculi, poſtea verò etiam ex pertinacia. Itaque maxima inter Apoſtolos Anglorum & Britones differentia erat hæc. Vnde cæteras differentias Beda ſolùm in genere perſtringit, dicens: Sed & alia plurima Vnitati Eccleſiæ contraria faciebant. In quibus tamen etiam omnibus veritas erat à noſtris, & non à Britonibus, vt non ſolùm Eccleſiæ vnitas, & Auguſtini miracula (de quibus plura paulo pòſt) demonſtrarunt, ſed Proteſtantes etiam concedunt, ipſique olim Britones conceſſerunt, primùm quidem verbis, poſtea autem factis quoque. nam [e] vnitati Eccleſiæ ſe in his etiam omnibus conformarunt. Dicebat autem eis [Auguſtinus in illo Colloquio, inquit Beda] quòd in multis quidem noſtræ conſuetudini, imò Vniuerſalis Eccleſiæ, contraria geritis: Et tamen ſi in tribus his mihi obtemperare vultis, vt Paſcha ſuo tempore celebretis; vt miniſterium Baptizandi, quo Deo renaſcimur, „ iuxta morem Romanæ ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ compleatis; vt „ genti Anglorum vnà nobiſcum prædicetis verbum Domini: cætera quæ „ agitis, quamuis moribus noſtris contraria, æquanimiter cuncta tolerabi- „ mus. [Itaque differentia inter eos tota non erat circa credenda ſeu articulos fidei, ſed circa agenda ſeu conſuetudines Eccleſiæ, vt circa ritus Baptiſmi, circa formam [a] tonſuræ eccleſiaſticæ, ſed vt ait Beda, [b] maximè autem quòd Paſchæ ſolemnitatem non ſuo tempore celebrarent.

Lib. 2. cap. 2.

e in qua & fuerãt tempore Cõ. 2. Arel. cui interfuit Epiſcopus Lõdinen. circa an. 326.

a. lib. 2. ca. 2, 25.

b. li. 2. c. 4.

Ex quibus omnibus perſpicuum eſt quod dixi, eandem fuiſſe fidem Britonum & Anglorum: quemadmodum etiam eadem fuit fides Eleutherij Papæ à quo Britones, & Gregorij primi, à quo Angli eam acceperũt, nullo vnquam Romano Pontifice quicquam eius fidei mutante (vt Motiuo 45 docebo) quam ab Anteceſſoribus ſuis acceperat, & quam Petrus & Paulus Apoſtolorum principes Romæ docuerant. Qua etiam de cauſa non aliam in fide Britonum corruptionem annotauit Beda, præter Hæreſim Arrianorum, & Hæreſim Pelagianorum: quæ etiam ipſæ contagiones non ibi vniuerſales, neque diuturnæ erant. Nam S. Germano ex Gallijs accerſito non erat cum Arrianis (priùs quippe defecerant) certamen, ſed cum ſolis Pelagianis, quos etiã debellauit: ita vt adueniente iam ad Anglos Auguſtino, vna prorſus eademque eſſet fides ipſius atque Britonum.

Itaque iam conſequens eſt vt diſpiciamus, quæ fuerit fides illa, vtrum quæ hodie noſtra eſt, an quæ Proteſtantium. Docti autem qui legerunt Hiſtorias facilè agnoſcunt, fuiſſe illam fidem noſtram: & Proteſtantes ob eam cauſam neque laborare, vt prima noſtra fides ſeu prima Conuerſio Anglis noſtris innoteſcat, ſicut nos laboramus & ſatagimus quantum poſſumus, neque velle in cauſa fidei ſtare arbitrio aut teſtimonio S. Eleutherij

vel S.

vel S. Gregorij, aut temporis quingentorum ferè annorum, ab anno ſcilicet Domini centeſimo ſeptuageſimo vſque ad annum ſexcenteſimum, inter illos duos Pontifices interiecti: cuius totius medij temporis fidem cognoſcimus ex eorum ſcriptis qui tum vixerunt, vt inter cæteros Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Euſebius, Athanaſius, Hilarius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Optatus, Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Prudentius, Paulinus, Sulpitius Seuerus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus, Leo Magnus, Proſper, Victor Vticenſis, Fulgentius, Gregorius Turonenſis, alijque plurimi. Quid eſt enim cauſæ, quòd Proteſtantes nec vnum iſtorum, nos autem eos omnes ſequi profitemur, niſi quia apertum eſt, fidem illorum temporum fuiſſe noſtram, & non fuiſſe Proteſtantium? Eadem autem tum erat fides in Britannia, quæ in cæteris omnibus Chriſtianis gentibus, vt ſuprà ex Tertulliano, Origene, & Chryſoſtomo, Chriſtum ipſum inde contra Iudæos & Gentiles adſtruentibus, recitaui. Dum igitur aliarum tum gentium fidei renunciant Proteſtantes, renunciant vtique & Britanniæ. Quod tamen non ita leuiter facient qui veritatis & ſalutis cupidi ſunt: ſed agnoſcent potiùs fidem illam fuiſſe ſine omni dubio quam à Chriſto acceptã Apoſtoli & eorum ſucceſſores, ſecundùm Scripturas Gentibus & Inſulis tradiderunt: ita vt ex eâdem Maiores noſtri antiquitus Diuinitatem Chriſti Iudæis & Gentilibus demonſtrarint: ideoque Proteſtantes quicquid contra illam fidem exceperint, hoc contra Deitatem Chriſti pro Gentilibus & Iudæis tanquam apoſtatæ & proditores excipiant. Quanquam autem pro identitate fidei noſtræ & illius primitiui tẽporis hæc ſufficiant, tamen ne quis indoctus vel etiam contentioſus, quicquam hîc deſideret, deſcendam magis ad particularia, & in ſingularibus ipſis articulis oſtendam Britonum, & primorũ Anglorum, & noſtræ religionis atque fidei vnitatem.

Vt igitur breuiter & ſummatim dicam, conſtat illud manifeſtè ex locis omnibus [l] Scriptorum veterum, vbi aliquid de Britannia & de religione fideque eiuſdem in particulari meminerunt. vt quod ſuprà Chryſoſtomus dixit, vt etiam in Britannia impletum verbum Chriſti, Ædificabo Eccleſiam meam, indeque Chriſti Deitatem Gentilibus demonſtraret: Abolitis [inquit] altaribus & templis Idolorum, excitant Altaria [Chriſti] vbique gentium; in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum; & vltra Orbem noſtrum. Nam & Britannicæ inſulæ virtutem verbi ſenſerunt. Sunt enim etiam illic fundatæ Ec.leſiæ, & erecta Altaria.

l Vide Cõ. 2. Arel. cui interfuit Epiſcopus Londinen. an. 326.

Chryſ. cõ. Gentiles, quod Chriſtus ſit Deus tom. 5. col. 1036. Altaria.

Peregrinationes.

Hier. ad Marcellam. q. Epi 16. Tom 1.

1. Tim. 1.

Conſtat idem rurſus ex eo, quod de Britonum (ſicut & omnium Chriſtianarum Gentium) Peregrinationibus religioſis ad loca ſancta Hieruſalem, ſcribit S. Hieronymus in Epiſtola doctiſſima, quam Scripturis confertiſſimam compoſuit ad Marcellam ex perſonis Paulæ & Euſtochij exhortantium eam, vt relictis Romæ tumultibus commigraret Hieroſolymam. Plura ex illa Epiſtola huc citabo propter inſipientiam Proteſtantium, qui neſcientes quæ loquuntur, triumphum vaniſſimarum ſuarum declamationum in Peregrinationum religioſarum ſuggillatione conſtituunt. Denique audiant verba Hieronymi, & in eis agnoſcant antiquiſſimam tum Britanniæ noſtræ tum reliquæ Chriſtianitatis vniuerſæ religionem, eamque vnam per omnes ætates, ac ſuæ tandem agant perfidiæ » pœnitentiam, vt cum ſanctiſſimis Maioribus ſaluentur: Longum eſt » nunc [inquit Hieronymus] ab Aſcenſu Domini vſque ad præſentem » diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui » Eloquentium in doctrina Eccleſiaſtica virorũ venerint Hieroſolymam, » putantes minus ſe Religionis, minus habere ſcientiæ, nec ſummam (vt » dicitur) manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent lo- » cis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruſcauerat. &c. Nec » hoc dicimus, quòd renuamus Regnum Dei intra nos eſſe, & ſanctos vi- » ros etiam eſſe in cæteris regionibus: ſed quò hoc aſſeramus, vel maximè » eos qui in toto orbe ſunt primi, huc pariter congregari: ad quæ nos loca » non vt primi, ſed vt extremi venimus, vt primos in eis omnium Gentium cerneremus. [Et vt videas cuius ordinis ſint iſti primi, ſequitur: » Certè flos quidam & pretioſiſſimus lapis inter Eccleſiaſtica ornamenta, » Monachorum & Virginum chorus eſt. [An verò ex omnibus Gentibus erant ibi Monachi? erant:] Quicunque [inquit] in Gallia fuerit primus, huc properat. Diuiſus ab orbe noſtro Britannus, ſi in Religione proceſſerit, occiduo ſole dimiſſo, quærit locum famâ ſibi tantùm & Scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid Perſas; quid Indiæ, quid Aethyopum populos; ipſamque iuxtà Aegyptum fertilem » Monachorum, Pontum & Cappadociam, Syriam Cœlen, & Meſopota- » miam, cunctaque Orientis examina? Quæ &c. concurrunt ad hæc loca, » & diuerſarum nobis virtutum ſpecimen oſtendunt. Vox quidem diſſona, a ſed vna Religio. Tot pænè pſallentium chori, quot Gentium diuerſitates. [Vtque cernas iſtorum omnium eadem fuiſſe quotidiana exercitia ſancta, quæ ſolent nunc Romæ Peregrinorum eſſe, ſubiungit: Tanta in ipſa Vrbe Orationum loca, vt ad ea peragenda dies ſufficere non poſſit. [Elegantiſſima ſunt etiam antegreſſa, quibus Marcellæ illam Hieroſolymita-

Luc. 17.

In Britãnia & in cæteris Gẽtibus Monachi, Peregrinantes, & eadẽ religio per omnia.

a Idẽ Hier. in Epiſt. ad Euagrium: Britannia &c. vnã obſeruat regulam veritatis.

lymitanam Peregrinationem æquè commendat: Quanto enim [inquit] "
Iudæa cæteris Prouincijs, tanto hæc Vrbs cunctâ ſublimior eſt Iudæâ: "
&c. Venerabantur quondam Iudæi Sancta-ſanctorum, quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & Arca Teſtamenti, Manna, Virga Aaron, & Altare aureum. Nónne tibi venerabilius videtur Sepulchrum Domini? Quod quotieſcunque ingredimur, toties iacêre in ſindone cernimus "
Saluatorem; & paululum ibidem commorantes, rurſum videmus An- "
gelum ſedere ad pedes eius, & ad caput ſudarium conuolutum. Cuius "
Sepulchri gloriam, multo antequam excideretur à Ioſeph, ſcimus Eſaiæ "
vaticinio prophetatam, dicentis: Et erit requies eius honor, quòd ſcilicet ſepulturæ Domini locus eſſet ab omnibus honorandus. Obiectio- "
nes autem ibi quaſdam contra Hieruſalem opponit ſibi è Scripturis, & doctiſſimè ſoluit, oſtendens & Euangeliſtas, etiam poſt Paſſionem Domini, & omnes Scripturas, eam nominare Sanctam Ciuitatem; & Pſalmiſtam præcipere, vt adoremus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. per quam [inquit] & Dominus iurare vetat; quia ſit Ciuitas Magni Regis. Et quoniam nimis temerarij erant quorundam contra Hieruſalem ſermones, qui tamen Romam (& meritò) adamabant, inſurgit contra eos Hieronymus, reſpondens: Maledictam terram nominant, quòd cruo- "
rem Domini hauſerit. Et quomodo benedicta loca putant, in quibus "
Petrus & Paulus, Chriſtiani exercitus duces, ſanguinem fudêre pro Chriſto? Si ſeruorum & hominum glorioſa profeſſio eſt, cur Domini & Dei non ſit glorioſa confeſſio? Et Martyrum vbique Sepulchra veneramur; & ſanctam fauillam oculis apponentes, ſi liceat, etiam ore contingimus: & monumentum in quo Dominus conditus eſt, quidam "
exiſtimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus ſaltem "
Diabolo & angelis eius, qui quotieſcunque ante illud de obſeſſis corporibus expelluntur, quaſi in conſpectu tribunalis Chriſti ſtantes contremiſcunt, rugiunt, & ſe dolent crucifixiſſe, quem timeant. Si poſt Paſſionem Chriſti (vt ſcelerata vox concrepat) hic deteſtabilis locus eſt: "
quid ſibi voluit Paulus Hieroſolymam feſtinare, vt ibi faceret Pentecoſten? [Ac tum à S. Paulo accedit ad mentionem cæterorum ſanctorum, quos plurimos verbis paulo antè citatis dixerat vel è Britannia noſtra, vel è reliquis omnibus Chriſtiani orbis gentibus, religionis & ſcientiæ causâ, ab Aſcenſu Domini vſque ad illum diem veniſſe Hieroſolymam.

Sancta-ſanctorum. Hebr. 9. *Sepulchrum Domini.* *Iſa. 11.* *Matth. 4. 27.* *Apoc. 11.* *Pſal. 131.* *Matth. 5.* *Romæ ſancta loca, vt, Confeßio Petri. Sepulchra Martyrum.* *Dæmonum expulſio ante Sepulchrum Domini.* *Act. 20.*

Poſt quæ tranſit à commendatione Hieruſalem ad commendationem deuotiſſimam Bethlehem, vbi ipſe † Abbas fuit Monaſterij quod erat ad.

† Hier. procœ. l. 4. in Iere.

erat ad Præſepe Domini. Pergit igitur ex perſona Paulæ & Euſtochij dicens : (eademque repetit ad eandem Epiſtola ſequenti ipſe ex perſona
» ſua) Verùm vt ad villulam Chriſti , & Mariæ diuerſorium veniamus
» (plus enim laudat vnuſquiſque quod poſſidet) quo ſermone , qua voce
Præſepe Domini. Speluncam tibi poſſumus Saluatoris exponere? Et illud Præſepe, in quo
» infantulus vagijt, ſilentio magis, quàm infimo ſermone honorandum eſt.
[Sequiturque, (vt eam magis extrahat Româ, & ad Bethlehemiticum rus inuitet) contemnens admodum præ hâc Speluncâ profana Romæ ædificia quantumuis magnifica, & dicens : Vbi ſunt latæ porticus? &c. Ecce
Matth. 1.2. in hoc paruo terræ foramine, cælorum conditor natus eſt; hîc inuolutus
Luc. 2. pannis, hîc viſus à Paſtoribus, hîc demonſtratus à ſtella, hîc adoratus à
» Magis. Et hic puto [inquit falſiſſimè] locus ſanctior eſt Tarpeia rupe,
» quæ de cælo ſæpiùs fulminata oſtendit, quòd Domino diſpliceret. Denique vt rependat vicem illis Romanis, qui ſuprà ex Apocalypſi vocauerant
Apoc. 11. Hieroſolymam Sodomam & Aegyptum, ait : Lege Apocalypſim
Apoc. 16. 17. 18. Ioannis; & quid de Muliere purpurata, & ſcripta in eius fronte blaſphe-
» mia, ſeptem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere.
Roma Babylon. Exite, inquit Dominus, de illa populus meus, &c. Cecidit
» enim, cecidit Babylon magna &c. Quæ verba Ioannis & Hieronymi ab indoctis & malignis Hæreticis noſtri temporis venditantur imperito populo, quaſi dicta contra Eccleſiam Romanam, idque propter eam religionem quam videmus ipſum Hieronymum hîc tantopere prædicare. Quanta cæcitas vel potiùs impudentia! quam tamen vt magis cernas, & deteſteris; ſequitur Hieronymus, & dicit expreſſè, iſta à Ioanne & à ſe non de Chriſtianis Romanis (quibuſcum ipſe in Religione conueniebat) dici, ſed de Gentilibus Romanis, quorum ibi adhuc reliquiæ plurimæ viſebantur. Subiungit itaque verbis quæ citaui, alludens (vt videtur) ad
1. Pet. 5. locum D. Petri, Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone [ſeu Roma,]
» coëlecta, [& dicens:] Eſt quidem ibi ſancta Eccleſia, ſunt trophæa Apo-
† Rom. 1. ſtolorum & Martyrum, eſt Chriſti vera confeſſio, eſt ab † Apoſtolo præ-
» dicata fides; & Gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens voca-
» bulum Chriſtianum. [Cur igitur vocas in rus tuum Bethlehemiticum?]
» Sed ipſa [inquit] ambitio, potentia, magnitudo vrbis, videri & videre,
» ſalutari & ſalutare, laudare & detrahere, vel audire vel proloqui, & tan-
» tam frequentiam hominum ſaltem inuitum videre, à propoſito Mona-
» chorum & quiete aliena ſunt. &c. In Chriſti verò villula tota ruſticitas,
» & extra pſalmos ſilentium eſt. Quocumque te verteris, arator ſtiuam
» tenens, Alleluia decantat. Sudans meſſor pſalmis ſe auocat, &c.

Poſt

Poſt tempora autem Hieronymi calcauit magis Roma etiam reliquias
Gentilitatis, & totùm in vocabulum tranſtulit Chriſtianum; diſcedente
tandem inde etiam tota Imperatorum ambitione, & cedente Chriſti Vi- *Roma Sancta, ſeu alia Ieruſalem.*
carijs: qui & eò temporis proceſſu (animaduertentes nimirum Infideles
occupaturos Orientem Deo ſic vlciſcente varia inſtabilium & pertina-
cium Græcorum Schiſmata atque Hæreſes, ac vt multo antè Gentem
Iudæorum, ita nunc locum quoque eorum derelinquente) pretioſa quæ-
que de Hieruſalem (ſicut & de toto orbe reliquo) ſuggeſtione & coope-
ratione Diuina comportarunt: ita vt Roma olim Gentilitatis Babylon,
iam diutiſſimè fuerit religioſiſſimum totius ſanctitatis domicilium; Chri-
ſtianique ob eam iuſtiſſimam cauſam iſthuc quotannis Religionis ergò
de toto orbe confluxerint; ad id etiam in certos quoſdam annos per reli-
gioſiſſimum anni Iubilei (qui & nunc agitur) inſtitutum meritò à ſanctiſ- *An. 1575.*
ſimis Pontificibus inuitati. Sic autem & Hieronymum hîc cernimus,
idque exemplo totius Chriſtiani orbis, inuitantem Hieroſolymam. qui
poſtremò facit Paulam & Euſtochium concludere Epiſtolam cum ma-
iore (vt fit) affectu, ac Marcellæ, vt eam magis commoueant, optando
dicere: O quando illud tempus aduenit, cùm anhelus nuncium viator
apportet, Marcellam noſtram ad Palæſtinæ littus appulſam; & toti Mo- "
nachorum chori, tota Virginum agmina concrepabunt! &c. Ergó ne "
erit illa dies, quando nobis liceat Speluncam Saluatoris intrare? In Se- *Nota loca ſancta, & Chriſtianorũ obitiones, ac exercitia in eis.*
pulchro Domini flere cum ſorore, flere cum matre? [ſic Marcellam vo-
cant.] Crucis deinde lambere lignum? & in Olíueti monte cum aſcen-
dente Domino, voto & animo ſubleuari? Videre exire Lazarum faſcijs
colligatum: & fluenta Iordanis ad lauacrum Domini puriora? Inde ad "
Paſtorum caulas pergere: in Dauid orare Mauſoleo? Amos Prophetam "
etiam nunc buccina paſtorali in ſua conſpicere rupe clangentem? Ad "
Abraham, Iſaac, & Iacob, trium quoque illuſtrium fœminarum, vel ta- "
bernacula properare, vel memorias? Videre fontem, in quo à Philippo "
Eunuchus eſt tinctus? Samariam pergere, & Ioannis Baptiſtæ, Heliſei "
quoque & Abdiæ pariter cineres adorare? [Et cæteris denique enume- "
ratis locis ſanctiſſimis:] Et tunc [inquiunt] comitante Chriſto, cùm per "
Silo & Bethel & cætera loca, in quibus Eccleſiæ quaſi quædam victo- "
riarum Domini ſunt erecta vexilla, ad noſtram Speluncam redierimus: "
canemus iugiter, crebrò flebimus, indeſinenter orabimus, & vulneratæ "
iaculo Saluatoris in commune dicemus: Inuêni quem quæſiuit anima *Cant. 3.*
mea: tenebo eum, & non dimittam illum. [Quæ ſanctiſſimi viri verba
liqueſcenti recordatione peccatorum cordi, & anhelanti ad Deum, iu-
cundiſſi-

cundiſſima, prolixiùs recitaui, vt ex ijs intelligant (quo & ſanentur, ſi velint) miſeri Proteſtantes, quæ fuerit tunc Religio Britanniæ noſtræ, ſicut & cæterarum omnium (vt vidimus) Chriſtianarum Gentium, eademque ſic liqueſcens amore Chriſti, vt vtinam dura corda ſentiant & molleſcant.

Aug. 2. Ret. 47. & Hær. 88.

Monachi.

a. Bed. Hiſt. 1. cap. 10

b. Proſper. carm in obtrectatorem Auguſtini.

c. Aug.

d. Hære. 88

e De pecc. mer. lib. 2. cap. 16.

Matth. 19.

Rurſus quæ fuerit tum Religio Britanniæ noſtræ, intelligi poteſt ex ijs quæ de Pelagio Hæretico narrant Veteres; qui & ipſe viſitauit ſacra illa Hieroſolymitana loca, ibique in Concilio quatuordecim Epiſcoporum ſuam Hæreſim, licet ſimulatoriè, recantauit. Teſtatur autem de illo Auguſtinus, laudatque in eo, quòd Monachus erat. fuit autem Brito, vt apud [a] Bedam & [b] Proſperum & ipſum [c] Auguſtinum videre licet. [d] Pelagianorum eſt hæreſis [inquit Auguſtinus] hoc tempore, omnium recentiſſima, à Pelagio Monacho exorta. [laudanſque ante pertinaciam eum dicit, [e] quòd ſit caſta vita, moribuſque laudabilis, nec dubitet facere quod illi Diuiti pro conſequenda vita æterna conſiliū requirenti, cùm ſe reſpondiſſet iam omnia Legis impleuiſſe mandata, præcepit Dominus, ſi vellet eſſe perfectus, venderet omnia quæ haberet & daret pauperibus, theſaurumque transferret in cælum. [Neque ex Pelagio iſto religio & fides Britonum cognoſci poteſt, ſolummodò quatenus fuit Monachus, verum quatenus etiam (excepta propria hæreſi) in omnibus idem erat quod Auguſtinus & alij tum Catholici. Auguſtini autem (ideoque Britonum) eandem fuiſſe in omnibus partibus fidem & religionem, quæ hodie noſtra eſt, vident qui eius ſcripta legunt.

S. Auguſtinus Aſer.

Religio Britonum & Anglorū ex Beda.

Bed. Hiſt. lib. 1. cap. 6. 7.

Cap. 8.

Cap. 15.

Iam autem vt & ex Beda noſtro idem oſtendamus: Poſt Perſecutionem Diocletiani, cum incendijs Eccleſiarum, etiam in Britannia; in loco vbi paſſus eſt S. Albanus Martyr admirabilis, redeunte [inquit Beda] temporum Chriſtianorum ſerenitate, Eccleſiam [Britones] admirandi „ operis, atque eius Martyrio condignam extruxerunt. In quo videlicet „ loco vſque ad hanc diem curatio infirmorum, & frequentium operatio „ virtutum celebrari non deſinit. Rurſus, Vbi [inquit] turbo Perſecutio- „ nis quieuit, progreſſi in publicum fideles Chriſti, qui ſe tempore diſcri- „ minis ſyluis ac deſertis abditiſve ſpeluncis occultauerant, renouant ec- „ cleſias ad ſolum vſque deſtructas, Baſilicas ſanctorum Martyrum fun- „ dant, conſtruunt, perficiunt, ac veluti victricia ſigna paſſim propalant, „ Dies feſtos celebrant, Sacra mundo corde atque ore conficiunt. Poſtea deſcribens quæ mala Saxones ſeu Angli adhuc Pagani Britonibus infe- „ rebant, dicit inter cætera: Ruebant ædificia publica ſimul & priuata, „ paſſim Sacerdotes inter Altaria trucidabantur, Præſules cum populis

(quos

[quos [a] priùs vocauit viros ſeculares] ſine vllo reſpectu honoris ferro pariter ac flammis abſumebantur. Iam de aduentu B. Germani contra Pelagianos agens, narrat primò, quomodo Chriſto inuocato, & aſſumpta in nomine S. Trinitatis leui aquæ aſpergine, fluctus ſæuientes opprimit: Dæmones enim, vt impedirent aduentum eius & ſociorum, in gratiam Pelagianorum excitauerant maximam tempeſtatem. Nunciabant [tamen ijdem] ſiniſtri ſpiritus [aduentum eorundem:] qui [inquit Beda] imperio ſacerdotum dum ab obſeſſis corporibus detruduntur, & tempeſtatis ordinem, & pericula quæ intulerant, fatebantur, victoſque ſe eorum meritis & imperio non negabant. [Narrat deinde, quomodo oblata à parentibus filia decem annorum cæca,] Germanus plenus Spiritu ſancto inuocat Trinitatem: nec mora adhærentem lateri ſuo capſulam cum Sanctorum Reliquijs collo auulſam in conſpectu omnium puellæ oculis applicuit, & ſtatim vidit. [Mox ijdem] ſacerdotes B. Albanum Martyrem, acturi Deo per ipſum gratias, petierunt. Vbi Germanus omnium Apoſtolorum diuerſorumque Martyrum ſecum Reliquias habens, facta oratione iuſſit reuelli Sepulchrum, pretioſa ibidem munera conditurus. Quibus depoſitis honorificè atque ſociatis [cum Reliquijs S. Albani & ſociorum:] de loco ipſo vbi B. Martyris effuſus erat ſanguis, maſſam pulueris ſecum portaturus abſtulit, in qua eatenus cruor ſeruabatur. Quibus ita geſtis innumera hominum eodem die ad Dominum turba conuerſa eſt. [Poſtea aderant Britonibus in caſtris contra Paganos Saxonas atque Pictos ijdem ſacerdotes.] erant autem Quadrageſimæ venerabiles dies, quos religioſiores reddebat præſentia Sacerdotum, in tantum, vt quotidianis prædicationibus inſtituti, certatim populi ad gratiam baptiſmatis conuolarent. & eccleſia ad diem Reſurrectionis Dominicæ frondibus contexta componitur. Emenſa autem ſolemnitate Paſchali, Germanus ſignifer vniuerſos (erat autem recens de lauacro pars maior exercitus) admonet, & prædicat, vt voci ſuæ vno clamore reſpondeant. ſecuriſque hoſtibus, qui ſe inſperatos adeſſe confiderent, Alleluia tertiò repetitum [quia erat tempus Paſchale] Sacerdotes exclamabant. Sequitur vna vox omnium: hoſtile agmen terrore proſternitur, paſſim fugiunt, plures deuorat flumen. Compoſitâ itaque inſulâ, reditum [in Galliam ſuam] moliuntur Pontifices. Quibus tranquillam nauigationem, & merita propria, & interceſſio B. Martyris Albani parauerunt. Secundò, renaſcente Pelagianiſmo, veniunt ſacerdotes, occurrit (nam ſiniſtri ſpiritus peruolantes totam inſulam Germanum venire inuitis vaticinationibus nunciabant) multitudo, confeſtim Benedictio, &c.

a. cap. 14. · *Cap. 17.* · *Cap. 18.* · *Cap. 20.* · *Cap. 21.*

Poſthac Româ veniunt à B. Gregorio miſſi Apoſtoli noſtri, id eſt,
Cap. 23. Anglorum. Erant autem ſeruus Dei Auguſtinus, & alij plures cum eo
„ Monachi timentes Dominum, quibus in via adhuc Gregorius ſcribit,
„ Auguſtino præpoſito veſtro, quem & Abbatem vobis conſtituimus, in
Cap. 25. omnibus humiliter obedite. [Applicuerunt autem hi in Taneto inſula.
quò poſt dies aliquot venienti Regi Edilbertho adhuc Pagano occurre-
„ runt, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & Imaginem Domini
„ Saluatoris in tabula depictam, Litaniaſque canentes, pro ſua ſimul &
„ eorum propter quos & ad quos venerant ſalute æterna, Domino ſup-
„ plicabant. [Licèt autem Rex ipſe non crederet,] dedit [tamen] eis licen-
„ tiam prædicandi, [&] manſionem in Ciuitate Dorouernenſi, [id eſt Can-
„ tuaria,] quæ imperij ſui totius erat Metropolis. Appropinquantes autem
„ Ciuitati, more ſuo cum Cruce ſancta & Imagine Magni Regis Domini
„ noſtri Ieſu Chriſti, hanc litaniam conſona voce modulabantur: De-
„ precamur te Domine in omni miſericordia tua, vt auferatur furor tuus
„ & ira tua à Ciuitate iſta, & de domo ſancta tua, quoniam peccauimus,
Cap. 26. alleluia. [Porro ibi] cœperunt Apoſtolicam Primitiuæ eccleſiæ vitam
„ imitari; orationibus videlicet aſſiduis, vigilijs, ac ieiunijs ſeruiendo, ver-
„ bum vitæ quibus poterant prædicando, cuncta huius mundi velut aliena
„ ſpernendo, ea tantùm quæ victui neceſſaria videbantur, ab eis quos do-
„ cebant accipiendo, &c. Erat autem prope ipſam Ciuitatem ad Orien-
„ tem Eccleſia in honorem ſancti Martini antiquitus facta, dum adhuc
a. Cap. 25. Romani Britanniam incolerent: in qua Regina (nam a Chriſtiana erat,
„ de gente Francorum regia, nomine Bertha: quam ea conditione à paren-
„ tibus Edilberthus acceperat, vt ritum fidei ac religionis ſuæ cum Epiſ-
„ copo quem ei adiutorem fidei dederant, nomine Luidhardo, inuiola-
„ tam ſeruare, licentiam haberet) orare conſueuerat. In hac ergo & ipſi
„ primò conuenire, pſallere, orare, Miſſas facere, prædicare, & baptizare
„ cœperunt; donec Rege ad fidem conuerſo, maiorem prædicandi per om-
„ nia, & Eccleſias fabricandi, vel reſtaurandi licentiam acciperent.

Cap. 27. Interea vir Domini Auguſtinus venit Arelas [in Gallia,] & ab Ar-
„ chiepiſcopo eiuſdem ciuitatis Etherio (iuxta quod iuſſa ſancti Patris
„ Gregorij acceperant) Archiepiſcopus genti Anglorum ordinatus eſt.
Poſt quæ commemorat Beda multas interrogationes Auguſtini, & reſ-
ponſiones Gregorij: in quibus expreſſa fit mentio de Monaſterij regulis,
„ de Sacris ordinibus, & cælibatu eorum qui in ijſdem conſtituti ſunt, de
„ cantu pſalmorum per clericos, de conuerſatione Epiſcoporum cum ſuis
„ clericis, de his quæ fidelium oblationibus accedunt altari, de conſue-
tudine

tudine Miſſarum in ſancta Romana & Galliarum eccleſijs, de his qui "
furantur aliquid de eccleſia, de gradibus affinitatis & conſanguinitatis in "
matrimonio contrahendo, de Corporis & Sanguinis Domini commu- "
nione, ac priuatione eiuſdem, de Epiſcopo non ordinando ſine aggre- "
gatis tribus vel quatuor epiſcopis, de authoritate à Gregorio commiſſa "
Auguſtino ſuper omnes Britanniarum epiſcopos (ſed in Galliarum epiſ- "
copis nullam [inquit] tibi authoritatem tribuimus, quia ab [c] antiquis *c. Vide cit. 2. Arel. cap. 18.*
Prædeceſſorum meorum temporibus Pallium Arelatenſis Epiſcopus ac-
cepit; [ideoque non niſi ex auctoritate eius ibi agendum eſſe) de neceſ- "
ſitate & gratia Baptiſmi, de ingreſſu Eccleſiæ tanquam ſacri loci cum "
reuerentia, de mulieribus quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, "
vt cuſtodiant in ſe munditiam carnis, ne ipſa inæſtimabilis myſterij ma- "
gnitudine grauentur, de celebrando ſacra myſteria ſeu Miſſarum ſolemnia "
ſeu de immolatione ſacri myſterij. "

Præterea [inquit Beda] idem Papa Gregorius Auguſtino epiſcopo *Cap. 29.*
miſit plures cooperatores; & per eos generaliter vniuerſa quæ ad cultum "
erant ac miniſterium Eccleſiæ neceſſaria: Vaſa videlicet ſacra, & Veſti- "
menta altarium, Ornamenta quoque eccleſiarum, & Sacerdotalia vel "
Clericalia indumenta, Sanctorum etiam Apoſtolorum ac Martyrum Re- "
liquias, necnon & Codices plurimos. Miſit etiam literas, in quibus ſigni- *Greg. lib. 12. Epiſt. 15.*
ficat ſe ei Pallium direxiſſe, vſum autem eiuſdem ad ſola Miſſarum ſolen-
nia agenda concedere: [velleque ſe, vt Eboracenſis epiſcopus] Metropo- "
litani honore perfruatur, quia ei quoque Pallium tribuere cogitaret; [ſed "
&] Lundonienſis epiſcopus honoris Pallium ab hac ſancta & Apoſtolica "
(cui [inquit] deo auctore deſeruio) ſede percipiat: [ita tamen vt Auguſtinus "
& ſuos duodecim, & Eboracenſis itidem duodecim [ſuffraganeos] epiſco- "
pos, & omnes Britanniæ ſacerdotes ſubiectos haberet. [Sequitur deinde *Cap. 30.*
alia S. Gregorij epiſtola ad Mellitum abbatem, vt veniens in Angliam
dicat Auguſtino epiſcopo, quòd fana Idolorum deſtrui in eadem gente "
minimè debeant, ſed ipſa quæ in eis ſunt Idôla, deſtrùantur; aqua bene- "
dicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiæ com- "
ponantur: & in die Dedicationis, vel Natalitijs ſanctorum Martyrum "
quorum illic Reliquiæ ponuntur, liceat in tabernaculis ex ramis circa "
eaſdem eccleſias religioſis conuiuijs ſolemnitatem celebrare, vt ſic Gens "
ipſa quadam arte ducatur, quia duris mentibus ſimul omnia abſcindere "
impoſſibile eſt. [Miſit eodem tēpore etiam Regi Edilbertho iam Chri- *Cap. 32. Greg. lib. 9. Epiſt. 69.*
ſtiano epiſtolam, vocans eumglorioſiſſimum filium, & exemplo Con-
ſtantini Magni accendens ad pietatem, ſed & dona in diuerſis ſpeciebus

„ perpulchra tranſmittens, quæ licèt parua ſint [inquit] vobis tamen parua
„ non erunt, quum à vobis ex B. Petri Apoſtoli fuerint benedictione ſuſ-
Cap. 33. „ cepta. At Auguſtinus vbi in ciuitate Regia Sedem Epiſcopalem acce-
„ pit, recuperauit in ea, Regio fultus adminiculo, eccleſiam quam ibi Roma-
„ norum antiquorum fidelium opere factam fuiſſe didicerat: & eam in no-
„ mine S. Saluatoris Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacrauit. Fecit au-
„ tem & Monaſterium non longè ab ipſa ciuitate ad Orientem: in quo eius
„ hortatu Rex Eccleſiam B. Apoſtolorũ Petri & Pauli à fundamentis con-
„ ſtruxit, ac diuerſis donis ditauit: quam tamen Eccleſiam non ipſe Auguſti-
„ nus, ſed ſucceſſor eius Laurentius conſecrauit. Primus autem eiuſdem Mo-
„ naſterij abbas Petrus presbyter fuit.

Lib. 2. cap. 2. Libro deinde ſecundo meminit Beda nobiliſſimi Britonum Mona-
„ ſterij Bancor, in quo tantus fertur fuiſſe numerus Monachorum (abbas
„ tunc fuit Dinooth) vt cùm in ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis
„ ſibi rectoribus Monaſterium diuiſum, nulla harum portio minus quàm
trecentos homines haberet. meminit ibi & cuiuſdam celeberrimi inter
Cap. 3. Britones Anachoretæ. Refert autem Ediiberthum iam ſæpè dictum
„ regem feciſſe in ciuitate Londonia eccleſiam S. Pauli Apoſtoli, & in
„ ciuitate Rotſcheſter ſeu Roffenſi eccleſiam B. Andreæ Apoſtoli; &
„ dediſſe Epiſcopis vtriuſque huius eccleſiæ, ſicut & Dorouernienſis ſeu
„ Cantuarienſis, dona multa, ſed & territoria ac poſſeſſiones. Ibique
„ ſubijcit Beda: Defunctus eſt autem Deo dilectus Pater Auguſtinus [ante
„ annum Dom. 616] & corpus eius poſt dedicationem Eccleſiæ B. Apoſto-
„ lorum Petri & Pauli Cantuarienſis ſepultum decenter in porticu illius
„ aquilonari: in qua etiam ſequentium Archiepiſcoporum omnium ſunt
„ corpora tumulata, vel in ipſa eccleſia. Habet hæc in medio ſui pænè, Alta-
„ re in honorem B. Gregorij Papæ [qui ante Auguſtinum defunctus eſt
„ anno 605] dedicatum: in quo per omne Sabbathum à Presbytero loci il-
lius Agendæ eorum [id eſt, Miſſæ pro ſepultis ibi Archiepiſcopis] ſo-
lenniter celebrantur.

Quæ igitur fuerit tunc religio & fides Britonum & Anglorum ex his intelligi poteſt: magis autem adhuc, ſi cui placuerit Hiſtoriam Bedæ poſt mortem S. Auguſtini vſque ad finem quinti libri percurrere. Sic enim reperiet & hæc eadem quæ ex primo duntaxat Libro atque initio Secundi notaui, ſæpiùs inculcata; & multa alia ad Religionem noſtram, quam deſertores blaſphemant, pertinentia: vt pœnitentiam cum Confeſſione, Abſolutione, & Satisfactione: vt Reſeruationem Euchariſtiæ, & Viaticum exeuntium: vt Monachas, & Vota: vt Tonſuram, & Habitum

Clerico-

Clericorum atque Monachorum: vt Campanas, Lampadas & cereos: vt Signationem Crucis, vt Purgatorium: vt Tranſlationes Sanctorum: vt cætera quæ in dicta Hiſtoria Lector obſeruet. Legat etiam (ſi placet) Vitam S. Cuthberti, denique omnia Bedæ Scripta: opera quoque aliorum illis ſeculis Scriptorum, maximeque ipſius S. Gregorij, à quo Anglia cuncta ſuſcepit. Vident certè, vident omnes apertiſſimè (ita vt quantum memini, nemo neget) eandem prorſus fuiſſe fidem iſtam, & quam hodie Hæretici deſeruerunt, damnant, inſectantur, expellunt. Et tamen vident non fuiſſe illam tunc ſolius Britanniæ, ſed eandem planè fuiſſe aliarum omnium Prouinciarum Chriſtianarum, quæ iam inde à prima Apoſtolorum prædicatione ſunt conuerſæ; eandem omnino, quæ Deitatis Chriſti contra Gentiles & Iudæos fuerat argumentum: poſtremò eandem, quam Prophetæ à Gentibus recipiendam, ac nominatim ab Inſulis, præuiderunt & prædixerunt. Needum tamen quicquam dixi de Miraculis, quæ tunc in teſtimonium & confirmationem eiuſdem (ſecundum Scripturas) dedit Deus fieri per manus S. Auguſtini & ſociorum. Eſt quidem ita, vt in Hiſtoria duntaxat, & in vita S. Cuthberti, qui etiam pars Hiſtoriæ eſt, ſingula ferè iſtorum quæ commemoraui, ſuis Miraculis, iiſque non paucis (vt & citaui ex parte) confirmata narrentur: vt Monachatus, vota, Ieiunium Eccleſiaſticum, Confeſſio, Aqua benedicta, benedictio Epiſcopalis, Sanctorum reliquiæ & Interceſſio, Signum Crucis, Cantus Eccleſiaſticus, Purgatorium, Miſſa, eaque pro Defunctis, & quædam alia. Sed breuitatis cauſa nihil niſi de Miraculis Auguſtini & ſociorum Monachorum referam.

Argumenta pro illa fide.

Itaque narrans Beda conuerſionem ſæpe dicti Edilberthi regis, ait: "Ipſe etiam inter alios delectatus vita mundiſſima ſanctorum, & promiſſis eorum ſuauiſſimis (quæ vera eſſe Miraculorum quoque multorum oſtenſione firmauerunt) credens baptizatus eſt. Item S. Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino bona ex AEgypto nuncianti de conuerſione Hæreticorum & de concordia fidelium, reſcribens dicit ſuo more piiſſimè: "Sed quoniam verè in bonis quæ agitis, ſcio quòd & alijs congaudetis, veſtræ vobis gratiæ vicem reddo, & non diſſimilia nuntio: quia dum Gens Anglorum in mundi angulo poſita, in cultu Lignorum ac Lapidum perfida nunc vſque remaneret, ex veſtræ mihi orationis adiutorio placuit, vt ad eam Monaſterij mei Monachum in prædicationem tranſmittere Deo authore debuiſſem. Qui datâ à me licẽtiâ, à Germaniarũ Epiſcopis Epiſcopus factus, cũ eorũ quoque ſolatijs ad prædictã gentem in fine mundi perductus eſt: & iam nunc de eius ſalute & opere ad nos ſcripta peruenerunt,"

Bed. lib. 1. cap. 26.

Greg. lib. 7. Epiſt. 30.

Eadem fides Alexandriæ, Romæ, in Germania, & in Anglia.

» quia tantis Miraculis vel ipſe, vel hi qui cum eo tranſmiſſi ſunt, in Gente » eadem coruſcant, vt Apoſtolorum virtutes in ſignis quæ exhibent, imitari » videantur. In ſolemnitate autem Dominicæ Natiuitatis quæ hac prima » Indictione [anno ſcilicet Dom. 597.] tranſacta eſt, pluſquam decem millia » Angli ab eodem nunciati ſunt fratre & coëpiſcopo noſtro baptizati. » Quod idcirco narraui, vt cognoſcatis, quid in Alexandrino populo lo- » quendo, & quid in mundi finibus agitis orando. Veſtræ enim orationes » ſunt in eo loco vbi non eſtis, quorum operationes ſanctæ monſtrantur in eo loco in quo eſtis. [Quod idem etiam teſtatur in Expoſitione B. Iob,

Bed. lib. 2. cap. 1. verbis, quæ & Beda ex illo citat præmittens in laudem eius:] Ad cuius » pietatis & iuſtitiæ opus pertinet etiam hoc, quòd noſtram Gentem per » Prædicatores quos huc direxit, de dentibus Antiqui hoſtis eripiens, æter- » næ libertatis fecit eſſe participem: cuius fidei & ſaluti congaudens, quam- » que digna laude commendans, ipſe dicit in Expoſitione B. Iob: Ecce » lingua Britanniæ &c. [Et ſubiungit:] Quibus verbis B. Gregorius hoc » quoque declarat, quòd S. Auguſtinus & ſocij eius non ſola prædicatione » verborum, ſed etiam cæleſtium oſtenſione ſignorum Gentem Anglorum

Greg. Moral. lib. 27. cap. 6. ſuper Iob 30. ad agnitionē veritatis perducebant. [Sunt autem verba S. Gregorij hæc:] Sanctis prædicatoribus nequaquam ad perſuadendum verba ſufficiunt, niſi etiam Miracula addantur. [Et paulo póſt:] Quod faciendum audiui- » mus, authore Deo iam factum cernimus. Omnipotens enim Dominus, » emicantibus Prædicatorum Miraculis, ad fidem etiam terminos mundi

Vna fides in Britannia & in toto. perduxit. Ecce enim pænè cunctarum iam Gentium corda penetrauit: ecce in vna fide Orientis limitem Occidentiſque coniunxit: ecce lin- » gua Britanniæ, quæ nil aliud nouerat quàm barbarum frendere, iam du- » dum in Diuinis laudibus Hæbræum cœpit Halleluia reſonare: ecce quon- » dam tumidus, iam ſubſtratus ſanctorum pedibus ſeruit Oceanus, eiuſque » barbaros motus quos Terreni Principes edomare ferro nequiuerant, hos » pro Diuina formidine Sacerdotum ora ſimplicibus verbis ligant; & qui » cateruas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, iam nunc fidelis » humilium linguas timet. Quia enim perceptis cæleſtibus verbis, clareſ- » centibus quoque Miraculis, virtus ei Diuinæ cognitionis infunditur, » eiuſdem Diuinitatis terrore refrænatur, vt praua agere metuat, ac totis

Bed. lib. 1. cap. 31. 30. deſiderijs ad æternitatis gloriam peruenire concupiſcat. [Vnde] miſit etiam [inquit Beda,] anno 19 Imperatoris Mauricij, [circa annum Dom. » 601] Auguſtino Epiſtolam ſuper Miraculis, quæ per eum facta eſſe co- » gnouerat: in qua eum ne per illorum copiam periculum elationis in-

2. Cor. 12. curreret, ſolicitè hortatur: ſciens vtique, quòd & ipſi D. Paulo, ne ma-

gnitudo

gnitudo reuelationum extolleret eum, datus eſt ſtimulus carnis ſuæ an- "
gelus ſatanæ, vt eum colaphizaret. [Primùm igitur lætabundus dicit in *Greg. lib. 9.*
præfata Epiſtola S. Gregorius:] Gloria in excelſis Deo, & in terra pax *Epiſt. 58.* *Luc. 2.*
hominibus bonæ voluntatis: quia granum frumenti mortuum cadens in *Ioan. 12.*
terram, multum fructum attulit, [&c.] cuius amore in Britannia fratres "
quærimus quos ignorabamus, cuius munere quos neſcientes quærebamus "
mus inuenimus. Quis autem narrare hîc ſufficiat quanta lætitia in om- "
nium corde fidelium fuerit exorta, quòd Gens Anglorum operante om- "
nipotentis Dei gratia, & tua fraternitate laborante, expulſis errorum te- "
nebris, ſanctæ fidei luce perfuſa eſt; quòd deuotione integerrima iam "
calcat idôla, quibus priùs væſano timore ſubiacebat; quòd omnipotenti "
Deo puro corde ſubſternitur, &c. Cuius hoc opus eſt, niſi eius qui ait: "
Pater meus vſque nunc operatur, & ego operor? Qui vt mundum oſten- *Ioan 5.*
deret non ſapientiâ hominum, ſed ſua ſe virtute conuertere, Prædica- *1. Cor. 1.*
tores ſuos quos in mundo miſit, ſine literis elegit: hoc etiam modò fa- "
ciens, quia in Anglorum gente fortia dignatus eſt per infirmos operari. "
[Ac tū ſequitur exhortatio:] Sed eſt [inquit] in iſto dono cæleſti, frater "
chariſſime, quod cum magno gaudio vehementiſſimè debeat formidari. "
Scio enim quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in Gente quam "
eligi voluit, magna Miracula oſtendit. Vnde neceſſe eſt, vt de eodem "
dono cæleſti, & timendo gaudeas, & gaudendo pertimeſcas. Gaudeas "
videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora Miracula ad interiorem "
gratiam pertrahuntur: pertimeſcas verò, ne inter ſigna quæ fiunt, infir- "
mus animus in ſui præſumptione ſe eleuet; & vnde foras in honore at- "
tollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. &c. Reſtat itaque, frater "
chariſſime, vt inter ea quæ, operante Deo, exteriùs facis, ſemper te in- "
teriùs ſubtiliter iudices; ac ſubtiliter intelligas & temetipſum qui ſis, & "
quanta ſit in eadem Gente gratia, pro cuius conuerſione etiam faciendo- "
rum ſignorum dona percepiſti. Et ſi quando te Creatori noſtro ſeu per "
linguam, ſeu per opera reminiſceris deliquiſſe, ſemper hæc ad memo- "
riam reuoces, vt ſurgentem cordis gloriam memoria reatûs premat. Et "
quicquid de faciendis ſignis acceperis vel accepiſti, hæc non tibi, ſed "
illis reputes donata, pro quorum tibi ſalute collata ſunt. &c. [quemadmo-
dum S. Paulus de ſuis Miraculis reputauit, dicens indè Theſſalonicenſi-
bus: ſcientes, fratres dilecti à Deo, electionem veſtram: quia Euange- *1. Theſ. 1.*
lium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed in virtute, & in "
Spiritu ſancto, & in plenitudine multa: ſicut ſcitis, quales fuerimus in "
vobis propter vos. Sic igitur D. Gregorius ad Virum ſanctum, Diſci-

pulum

pulum ſuum, in cautelam humilitatis. Idem nos ad Proteſtantes in argumentum ſalutis noſtræ per fidem illam tunc nobis traditam, ſicut & Beda noſter eadem omnia in teſtimonium ſalutiferæ Conuerſionis noſtræ commemorat, narrans etiam alibi, quòd ſcriptum eſt in tumba eiuſdem Auguſtini Epitaphium huiuſmodi: Hic requieſcit Dominus Auguſtinus Dorouernienſis Archiepiſcopus primus, qui olim huc à B. Gregorio Romanæ vrbis Pontifice directus, & à Deo operatione Miraculorum ſuffultus, & Edelberthum Regem, ac Gentem illius ab Idolorum cultu ad fidem Christi perduxit, & completis in pace diebus officij ſui defunctus eſt 7. Kal. Iun. eodem Rege regnante.

Beda lib. 2. cap. 3.

Eſt autem omni animaduerſione digniſſimum, quòd vir iſte Dei, non ſolùm fidem quam prædicabat, communem illam ſibi & Romanis cum Alexandrinis, Gallis, totoque Oriente, & Occidente, ipſiſque Britonibus, vt oſtendi; Diuinis (vt vidimus) Miraculis confirmauit: verùm mores etiam ac ritus ſuos & Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ, à quibus Britones abhorruerunt, contra eoſdem Britones ſimilibus operibus admirandis aſſeruit. Quo modo enim in ſuperiori Motiuo docui feciſſe Virum Dei in Bethel contra Altare Ieroboami & S. Bernardum noſtrum contra Henricianos, & in eis etiam contra Proteſtantes; & S. Baſilium, Monachos AEgypti, Iulianum Eremitam, Catholicos Africæ contra Arrianos; vt nimirum inimicos veritatis Miraculis confutarent: eodem modo S. Auguſtinus noſter animoſitatem Britonum ſignorum oſtenſione fregit; eâdem planè fiduciâ diuinâ, eodemque ſpiritu, quo olim Elias propoſuit Prophetis Baal, dicens: Inuocate nomina deorum veſtrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem ipſe ſit Deus. Vel quo aliquando S. Germanus & ſocij in ipſis Britonibus propoſuerunt Pelagianis, cum parentes filiam decem annorum cæcam curandam offerrent. eam enim illi aduerſarijs offerri præceperunt. ſed ij conſcientia puniente deterriti, iungunt cum parentibus preces, & curationem paruulæ à Sacerdotibus deprecantur. Qui inclinatos animo aduerſarios intuentes, orationem breuiter fundunt. Ac deinde Germanus plenus Spiritu ſancto inuocat Trinitatem, nec mora capſulam cum Sanctorum Reliquijs puellæ oculis applicuit, & ſanauit. Poſt quam diem ita ex animis omnium ſuaſio iniqua [pelagianorum] deleta eſt [inquit Beda] vt ſacerdotum doctrinam ſitientibus deſiderijs ſectarentur. Ergo ſimili modo Auguſtinus noſter, cum poſteriores Britonas, in Dominico Paſchæ, in modo tonſuræ, in ritibus Baptiſmi, & in alijs plurimis Vnitati Eccleſiæ contrarios, eſſe cerneret; & longa Diſpu-

Motiu. 10. *3. Reg. 13.* *Vide de Polychronio Monotheliła, in Syn. 6. Actione 15.* *3. Reg. 18.* *Beda lib. 1. cap. 18.* *Lib. 2. cap. 2.*

Diſputatione habita, neque precibus, neque hortamentis, neque increpationibus ſuis ac ſociorũ præbere aſſenſum; ſed ſuas potiùs traditiones vniuerſis, quæ per Orbem ſibi in Chriſto concordant, Eccleſijs præferre: hũc laborioſi ac longi certaminis finem fecit, vt diceret: *Obſecremus Deum, qui habitare facit vnanimes in domo Patris ſui*, vt ipſe nobis inſinuare cæleſtibus ſignis dignetur, quæ ſequenda traditio, quibus ſit vijs ad ingreſſum Regni illius properandum. Adducatur aliquis æger: & per cuius preces fuerit curatus, huius fides & operatio Deo deuota atque omnibus ſequenda credatur. Quod cùm aduerſarij inuiti licèt concederent, allatus eſt quidam de genere Anglorum oculorum luce priuatus: qui cum oblatus Britonum ſacerdotibus nil curationis horum miniſterio perciperet: tandem Auguſtinus iuſta neceſſitate cõpulſus, flectit genua ſua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, deprecans vt viſum cæco, quẽ amiſerat, reſtitueret; & per illuminationem vnius hominis corporalem in plurimorum cordibus fidelium ſpiritalis gratiæ lucem accenderet. Nec mora, illuminatur cæcus: ac verus ſummæ lucis præco ab omnibus prædicatur Auguſtinus. [Et continuat Beda dicens:] Tum Britones confitentur quidẽ intellexiſſe ſe, veram eſſe viam iuſtitiæ quam prædicaret Auguſtinus: ſed non ſe poſſe abſque ſuorum conſenſu ac licentia priſcis abdicare moribus. Vnde poſtulabant, vt ſecundò Synodus pluribus aduenientibus fieret. [Sed cùm etiam in illa Synodo, Auguſtino pacem illis Catholicam offerente ſi tria duntaxat facerent, id eſt, ſi diem Paſchæ, & ritus Baptiſmi ad conſuetudinem Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ corrigerent, atque Anglis euangelizarent:] nihil ſe horũ facturos, neque illum pro Archiepiſcopo habituros eſſe reſponderent; ſed ei in cunctis quæ dicebat, contradicere laborarent: fertur [inquit Beda] Vir Domini Auguſtinus minitans prædixiſſe, quòd ſi pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hoſtibus forent accepturi: Et ſi nationi Anglorũ noluiſſent viam vitæ prædicare, per horũ manus vltionẽ eſſent mortis paſſuri. Sequiturque Beda dicẽs, Quod ita per omnia [vt prædixerat] Diuino agente iudicio patratũ eſt. Siquidẽ poſt hæc Rex Anglorũ Nordhũbrorũ fortiſſimus Edelfridus, [ſed Paganus &][a] Diuinæ Religionis ignarus, collecto grandi exercitu, maximã gentis perfidæ ſtragem dedit. Extinctos in ea pugna ferunt, de ſacerdotibus ſeu his qui ad orandum pro milite conuenerant (erant autem plurimi eorum de Monaſterio Bancor, [vnde erant &] docti illi [Monachi] qui cum ſeptem Epiſcopis Britonum [Auguſtino parabant contradicere) viros circiter mille ducentos, & ſolùm quinquaginta fugâ eſſe lapſos. Sicque completum eſt [inquit Beda] præſagium ſancti Pontificis Auguſtini (quamuis ipſo iam multo antè tẽpore ad cæleſtia regna ſublato) vt etiam tẽporalis interitus vltionẽ ſentirẽt perfidi,

Iidem ritus Auguſtini & vniuerſarum Eccleſiarum Chriſti.

Pſalm. 67.

Prophetia S. Auguſtini.

a. Lib. 1. cap. 34.

„ quòd oblata ſibi perpetuæ ſalutis conſilia ſpreuerant. quemadmodum
Num. 16. etiam Dathan & Abîron, qui ſurrexerunt contra Moyſen, cum alijs du-
„ centis quinquaginta proceribus, & ab eo accerſiti reſponderunt, Non
„ venîmus. nunquid parum eſt tibi quòd eduxiſti nos de terra quæ lacte &
„ melle manabat, vt occideres in Deſerto, niſi & dominatus fueris noſtrî?
„ Reuera induxiſti nos in terram &c. an & oculos noſtros vis eruere? Non
„ venîmus. Tum ſurrexit Moyſes, & abijt ad Dathan & Abîron, dixitque
„ ad turbam, In hoc ſcietis quòd Dominus miſerit me &c. Si conſueta
„ hominum morte interierint &c, non miſit me Dominus: ſin autem no-
„ uam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos &
„ omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes in infernum,
„ ſcietis quòd blaſphemauerint Dominum. Confeſtim igitur vt ceſſauit
„ loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum &c. Sed & ignis egreſſus à
„ Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros. Recordentur iam Pro-
„ teſtantes quid ſequatur: Murmurauit autem multitudo ſequenti die con-
„ tra Moyſen & Aaron, dicens, Vos interfeciſtis populum Domini. Et
„ percuſſit propter hoc Dominus quatuordecim millia eorum & ſeptin-
gentos. Nam prorſus ſimili, imò longè maiori ſtupiditate & dementia Proteſtantes S. Auguſtinum hunc vocant virum ſanguinarium & ſuperbum: cùm tamen is multo antè illorum Britonum ſtragem (vt dixit Beda) ad cæleſtia regna ſublatus ſit. Quare non potius vt Moyſen, ita & ipſum talia prædicentem agnoſcunt Virum à Deo miſſum? imò quare Deum non timent, qui vt Moyſi, ita ipſius contemptum tam grauiter vindicauit? qui illius fidem atque operationem ſibi deuotam atque omnibus ſequendam, per mirabilem cæci illuminationem declarauit: ita vt ſtatim verus ſummæ lucis præco ab omnibus prædicaretur; ipſique adeò Britones aduerſarij eius confiterentur intelligere ſe, veram eſſe viam iuſtitiæ quam prædicaret? Quid igitur erat, cur vel ipſi Traditionibus ſuis contra Vniuerſalem Eccleſiam, & contra ipſius Dei mirabile teſtimonium, pertinaciter inhærerent: vel Proteſtantes nunc eoſdem contra Virum Dei pergant defendere; maximè cùm ipſi quoque aut fateantur legitimos fuiſſe ritus Auguſtini, & non Britonum, aut non magis Auguſtini Paſcha cæteroſque ritus quàm & Britonum deſpiciant ac contemnant? Certè Scoti tum in Hybernia, tum in Britannia, Pictique, & plurimi etiam Britonum, poſtea ſe Eccleſiæ conformaſſe in omnibus,
Lib. 3. cap. 3. 4. lib. 5. cap. 23. paſſim in Hiſtoria Bedæ narrantur; ac ſæpe non ſine Miraculis. Nam anno 729 Vir Domini Ecgbertus qui de Hybernia veniens, Hijenſes Monachos Scoticæ nationis ad catholicum Paſcha, & eccleſiaſticam correxit ton-

rexit tonſuram (nam priùs ferebant tonſuram capilli, ª quam Magum a. Lib. 5.
ferunt habuiſſe Simonem , tantùm à fronte quaſi coronam , non item à cap. 22.
parte ceruicis , cum ſecundum morem eccleſiaſticum capillus inter raſu-
ram ſeu tonſuram verticis & frontis remanens exprimere debuerit abſo-
lutam vndique coronam, quaſi ſpinas in capite Chriſti, quo modo hodie
videmus Monachos tonſos) Igitur Egbertus , cum Miſſarum ſolennia “
in memoriam Dominicæ reſurrectionis celebraſſet , eodem die & ipſe “
migrauit ad Dominum. Mira autem [inquit Beda] diuinæ diſpenſatio “
prouiſionis erat , quòd venerabilis vir non ſolùm in Paſcha tranſiuit de Ioan. 13.
hoc mundo ad Patrem : verumetiam cùm eo die Paſcha celebraretur, quo “
nunquam priùs in eis locis celebrari ſolebat. Gaudebant ergo fratres de “
cognitione certa & catholica temporis Paſchalis : lætabantur de Patroci- “
nio pergentis ad Dominum patris per quem correcti fuerant. &c. [Tan- “
dem verò etiam Britones vniuerſi correcti , plurimis ſeculis cum Anglis
& cum tota Eccleſia in Catholica pace vixerunt , vſque ad iſta tempora
quibus Proteſtantes & ipſos & Anglos, & Scotos , & Hybernos , Hære-
tica & præſertim Caluinica tyrannide oppreſſerunt. Adferre autem po-
teſt & debet conſolationem Diuinam Catholicis , & terrorem æquè in-
fernalem Proteſtantibus , in hac vna Prouincia intueri non ſolùm fidem
noſtram inde ab Apoſtolis ad nos vſque peruenientem, verùm ritus etiam
ipſos vſque ad coronam ipſam quam Hæretici ſic irrident. Non enim in-
ter iſtos quos dixi, quæſtio vlla erat an gerenda eſſet tonſura ; non magis
quàm an celebrandum eſſet Paſcha : ſed ſicut de tempore ſolùm ſeu heb-
domada Paſchæ, ita ſolùm de modo tonſuræ, vtrum ſcilicet continere de-
beret formam ſemicirculi ſecundum morem Simonis Magi , an plenitu- Bed. lib. 5.
dinem integri circuli ſecundum morem Simonis Petri. In quibus etiam cap. 22.
ipſis ritibus nihil tam paruum fuit , quod Vir Dei Auguſtinus , præter-
quam quòd ſequebatur morem Eccleſiæ in omnibus , non etiam Mira-
culis confirmarit ; Deo nimirum (vt vidimus) vtraque ipſa, & fidem, “
& operationem eius ſibi placitam , atque omnibus ſequendam , diuini- “
tus oſtendente.

Hunc igitur famulum Chriſti , virum approbatum à Deo in nobis, Act. 2.
virtutibus & Prodigijs & ſignis quæ fecit Deus per illum in medio noſtrî “
(vt de eius & omnium Domino Ieſu dixit Petrus) faciamus iam interro-
gantem nos , id eſt , Anglos , qui ab eius Euangelio & prædicatione ad
Proteſtantes inſenſati receſſimus , iiſdem verbis quibus D. Paulus ſuos
Galatas à fide Chriſti ad legem Moyſi recedentes interrogauit , O inſen- Gal. 3.
ſati Galatæ, Hoc ſolum à vobis volo diſcere , Ex operibus Legis Spiritum “

„ accepiſtis, an ex auditu fidei? [& iterum:] Qui ergo tribuit vobis Spiri-
„ tum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus Legis, an ex auditu fidei?
„ [Sic nos S. Auguſtinus interroget,] Vtrum operatus ſit virtutes iſtas in
„ nobis, prædicans Caluiniſmum, an [vt Hæretici vocant] Papiſmum? [Vrgeatque
iſtos corruptores noſtros, vituperatores ſuos, dicens in commendationem ſui, coactus ab eis, ſicut ſimili neceſſitate S. Paulus ad Corin-
1. Cor. 9. thios ſuos: Non ſum Apoſtolus? Nónne opus meum vos eſtis in Domi-
„ no? Si alijs non ſum Apoſtolus, tamen vobis ſum. nam ſignaculum Apo-
„ ſtolatus mei vos eſtis in Domino. [Aut (ſi placet) dicat potius id nobis
S. Gregorius vir & in terra & in cælo glorioſiſſimus.] Nam is noſtram, id
Beda lib. 2. cap. 1. eſt Anglorum Gentem [inquit Beda] de Poteſtate Satanæ ad fidem Chri-
„ ſti ſuâ induſtriâ conuertit. quem propterea rectè noſtrum appellare poſ-
„ ſumus & debemus Apoſtolum. quia cum primum in toto Orbe gereret
„ Pontificatum, & conuerſis iamdudum ad fidem veritatis eſſet prælatus
„ Eccleſijs, noſtram Gentem eatenus Idolis mancipatam Chriſti fecit Ec-
„ cleſiam: ita vt Apoſtolicum illum de eo liceat nobis proferre ſermonem,
„ Quia & ſi alijs non eſt Apoſtolus, ſed tamen nobis eſt. Nam ſignaculum
„ Apoſtolatûs eius nos ſumus in Domino. [Siue autem Gregorio, ſiue Au-
guſtino, ſiue vtrique conueniunt aptiſſimè verba illa Pauli; vt etiam quod
2. Cor. 3. ſecundò ſcripſit ijſdem Corinthijs ſuis: Incipimus iterum noſmetipſos
„ commendare? aut nunquid egemus (ſicut quidam) commendatitijs epi-
„ ſtolis ad vos, aut ex vobis? Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus
„ noſtris: quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus: manifeſtati quòd
„ epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis; & ſcripta non atramento, ſed
„ Spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.
„ fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum. &c. Et poſt
2. Cor. 12. multa rurſus: Nihil ſum, ſigna tamen Apoſtolatûs mei facta ſunt ſuper
„ vos in omni patientia, in ſignis & prodigijs & virtutibus. Quid eſt enim
„ quòd minus habuiſtis præ cæteris Eccleſijs? [Cum hæc nobis dicet Au-
guſtinus noſter, quid obſecro reſpondebimus? Num poſſumus ruſticè
reſiſtere, & negare, quòd his probetur Apoſtolatus eius? At ijſdem probauit
Paulus Apoſtolatum ſuum, repugnantibus licèt pſeudoapoſtolis
Corinthiorum. Probatur ergo per eadem ſimiliter Apoſtolatus Augu-
ſtini noſtri, reclament licèt & rumpantur Hæretici. Certè enim videmus
ex hac Dei cooperatione & agnoſcimus gratiam Apoſtoli noſtri,
Gal. 2. „ quemadmodum viderunt Iacobus & Cephas & Ioannes quòd credi-
„ tum eſt Paulo Euangelium Præputij, ſicut Petro Circunciſionis.
„ [Vnde enim hoc viderunt?] qui enim [inquit] operatus eſt Petro in

Apoſto-

Apoſtolatum Circuncisionis, operatus eſt & mihi inter Gentes. Ex hoc "
igitur cum cognouiſſent [inquit] gratiam quæ data eſt mihi, dextras "
dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis: vt nos in Gentes, ipſi autem in "
Circuncisionem.

Ex altera igitur iam parte contemplentur mihi Angli mei, quid eos ab huius veriſſimo, ſalutari, atque vnico Euangelio in Proteſtantium Cacangelium & damnabilem Apoſtaſiam abduxerit & tranſtulerit: quæ Miracula, quæ Viſiones, quæ Scripturæ, quæ Traditiones, quæ Concilia, qui Catholici, qui Pontifices Sedis Apoſtolicæ, quæ Vniuerſalitas, quæ Antiquitas, qui Conſenſus, quæ denique alia partim iam à me demonſtrata partim in ſequentibus demonſtranda, vti eius Euangelio non minùs quàm Euangelio Pauli & cæterorum Apoſtolorum ſuffragantia. Quòd ſi nihil iſtorum omnium erat quod nos à ſenſu noſtro mouit, ſed contra eadem omnia in nouum falſumque conceſſimus Euangelium: dic agè quid nos aliud faſcinauit? Odioſum ſanè eſt (vt nunc ſunt tempora) ſingula reſecare, omniaque prudentes probè ſciunt. Tantùm in genere Anglorum omnium & cæterorum qui res intelligunt Anglicanas, appello conſcientias, an aliud quid primò abduxerit, & nunc retineat Angliam noſtram infelicem in iſta Apoſtaſia, niſi caro, mundus, & diabolus. Itaque meritò nobis rurſus dixerit Apoſtolus noſter cum Paulo ad Corinthios ſuos: AEmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro, *2. Cor. 11.*
virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem ne ſicut Serpens He- "
uam ſeduxit aſtutiâ ſuâ: ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à *Geneſ. 3.*
ſimplicitate quæ eſt in Chriſto. [aut video potiùs quòd exciderint & iam dudum correpti ſint. ſed quâ obſecro iuſtâ causâ?] Nam ſi is qui "
venit, alium Chriſtum prædicat quem non prædicauimus, aut alium "
Spiritum accipitis quem non accepiſtis, aut aliud Euangelium quod non recepiſtis: rectè pateremini: Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis. [Et cum eodem rurſus ad Galatas: Mi- *Proteſtantes nec Spiritum dari ab hominibus volunt.*
ror, quòd ſic tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gra- *Gal. 1.*
tiam Chriſti, in aliud Euangelium: quod non eſt aliud: niſi ſunt "
aliqui qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chri- "
ſti. [Certè enim meritiſſimò nobis leuitatem imputauerit, qui tam citò, tam nulla vel probabili cauſa, niſi ſolùm vnius libidine & auaritia imperante, cooperantibus impuris nebulonibus ac peccandi ſcholam aperientibus, paſſi ſumus nos amoueri à veritate quam ille in nobis tam ſtabiliter, firmiter, potenter radicauerat & plantauerat, vt penè mille annis in nobis manſerit non mutata:

quemadmodum etiam manet in illis vtique qui conſtantes & immobiles ſunt. Quæ enim maior leuitas eſſe potuit, quàm à fundamento ſoliđiſſimo, in quo firmiſſimè per Diuina & ſtupenda Miracula poſiti ſumus, noſmetipſos cum omni vento, vt fluctuantes paruulos, dimouere, flanteque nullo alio, niſi carne & ſanguine: & hoc, ad certiſſimam perditionem animarum noſtrarum, euerſionemque Patriæ noſtræ, ſicut ex priori conſtantia indubitatam ſalutem animæ, & ſummam gloriam Patria in cunctis negocijs, tam multis ſæculis obtinebat.

Dixit olim Beda noſter, narrans quidem præterita, ſed credo præſagiens & futura, ad noſtrum certè pudorem & ignominiam indelebilem:
Bed. lib. 1. ca. 8. Arriana væſania, corrupto Orbe toto, hanc etiam Inſulam extra Orbem „ tam longè remotam, veneno ſui infecit erroris. Et hac quaſi via peſti- „ lentiæ trans Oceanum patefacta, non mora, omnis ſe lues hæreſeos cuiuſ- „ que, Inſulæ noui ſemper aliquid audire gaudenti, & nihil certi firmiter obtinenti, infudit. [Sanè non ſolùm Hæreſibus externis plurimis auſcultauimus, verumetiam duos peperimus Hæreſiarchas, Britones quidem Pelagium, Angli verò Wicleffum. Per quos duos Britannia noſtra multo quidem magis incommodauit Eccleſiæ, quàm olim eadem Reipublicæ per Tyrannos, licèt illos tam multos, vt dicat S. Hieronymus, Britannia
Hier. Epiſt. ad Cteſiphont. aduerſus Pelagianos. Tyrannorum ferax, in quo ipſo loco inuehitur in Pelagium. Hæc (inquam) priùs. Sed nunquam ante hoc tempus tam generaliter defecimus, nunquam eò dementiæ recidimus, vt nemini per leges noſtras Catholico eſſe liceret; ſed contra Wicleffum ipſum, & cæteros cunctos Hæreticos tum Multitudo populi Doctorumque noſtrorum, tum leges Regni aduerſabantur, nedum conatus quarumlibet peſtium promouebant. Hoc autem tempore, quo etiam ita præclarè cœptum eſt, vt Rex noſter libro contra Lutherum edito, à Sede Apoſtolica (cui Librum ipſum dicauit) æterno ob id titulo glorioſiſſimo appellatus ſit Defenſor Fidei Catholicæ, tamen non ad finem vſque quo pede cœperat, ita perrexit. Nec dum etiam finis. ſed potiùs nunc maximè, illa à nobis damna tum Eccleſia tum Reſpublica accipit, quæ nunquam poterimus reſarcire: quaſi profectò in Anglia non ob aliud regnaretur, niſi vt non ſolùm animæ, verumetiam Regna & Reſpublicæ euertantur. Nulla iam memoria vel S. Gregorij & S. Auguſtini Apoſtolorum noſtrorum, vel ipſius etiam Chriſti. Homines noſtros, & Principes noſtros fecit Hæreſis longè deteriores, longè proiectiores ad omnem turpitudinem, quàm olim antiqua Gentilitas. Vix enim pluribus fidei partibus, certè non magis bonis moribus ipſa Gentilitas aduerſata eſt, quàm Anglicanus neſcio quid dicam,

Calui-

Caluiniſmus an Atheiſmus. adeò vt ſi inter initia conuerſionis noſtræ, anno ſcilicet ab aduentu S. Auguſtini viceſimo primo, Eadbaldus rex Paganus filius pijſſimi regis (de quo tam multa diximus) Edelberthi, cultum reſuſcitans idolorum, crebrâ ob id mentis væſaniâ, & ſpiritus immundi inuaſione premebatur; eademque de cauſa tres reges Pagani filij Saberethi regis, omnes pariter cum ſua militia corruerunt: multo certè grauiſſimam ſint damnationem, olim à tam multis Maioribus Chriſtiani, nunc autem apoſtatæ & athei, portaturi. Ac tum quidem apparens D. Petrus Epiſcopo Laurentio ſucceſſori Auguſtini, iam propter perſecutionem idololatrarum regum deſerturo gregem, quem ſibi ipſe (vt aiebat) commiſerat, & multum ob id flagellans eum, author fuit, vt ipſe Eadbaldus conuerteretur, omniaque demum reſtituerentur non ſolum in integrum, ſed in melius etiam. Iſtos autem nunc dominatores, quia ſpiritus fornicationis in medio eorum, nihil (vt videtur) neque vetera, neque noua quotidiana Miracula & prodigia poterunt emendare. Solum hoc remanet vt cum S. Paulo dicamus, quod nunquam ſatis mirari poſſumus: O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati? [& iterum:] Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? [atque iterum:] Currebatis bene: quis vos impediuit veritati non obedire? [Vtinam autem eſſet cur dicamus & illud:] Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud ſapietis. [ſed quod ſequitur, eſt certè (vt copioſiſſimè iam oſtendimus) quòd dicamus:] Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunque eſt ille. [Quod iudicium intolerabile, ſeuerum, horribile, ac maximè vicinum det illis Deus ſemel vt præcogitent & præcaueant, recipientes charitatem veritatis vt ſalui fiant: qui nunc interim terroribus ſuis claudunt Regnum cælorum ante homines; nec intrant ipſi, & introeuntes prohibent: idque nullâ prorſus religionis conſcientiâ, aut fiduciâ veritatis, ſed ſolummodo quia de hoc artificio eſt ipſis acquiſitio. Saltem cæteri (vt, Chriſto operante, quotidie faciunt magnis numeris) audacter introeant ad ſalutem ſuam; negentque cum Moyſe, ſe eſſe filios filiæ Pharaonis: magis eligentes affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æſtimantes theſauro AEgyptiorum, improperium Chriſti. Aſpiciebat enim [inquit] in remunerationem. [Nam (quod ibi hortatur Hebræos Apoſtolus) Mementote Præpoſitorum veſtrorum [Gregorij, & Auguſtini] qui vobis locuti ſunt verbum: quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem. Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.

Et quod

Bed. lib. 2. cap. 5. — *Cap. 6.* — *Oſe. 5.* — *Gal. 3.* — *Gal. 5.* — *2. Theſ. 2.* — *Matth. 23.* — *Act. 19.* — *Hebr. 11.* — *Hebr. 13.*

1. Tim. 3. Et quod Timotheum, Tu verò permane in ijs quæ didiciſti, & credita
» ſunt tibi: ſciens à quo didiceris: [nimirum à viro quem Deus in nobis ſignis & prodigijs approbauit, qui ſecundum Scripturas Inſulam noſtram conuertit ad fidem noſtram Catholicam, eamque non aliam quàm quæ eodem tempore in vniuerſa per Orientem & Occidentem Eccleſia eſſet; non aliam quàm quæ iam inde ab initio communis Britanniæ cum cæteris Gentibus Chriſtianis fuiſſet; non aliam quam quæ, vt ipſa fides Chriſti, Diuinitatem Chriſti contra Paganos Iudæoſque aſſereret; non aliam denique, quàm quæ ab Apoſtolis tradita, à Romanis fuiſſet catenus inuiolata & integra conſeruata.

MOTIVVM DVODECIMVM.

Sicut Chriſtus ipſe & Apoſtoli, eorumq́ doctrina: ita quoque Eccleſia noſtra tum homines tum doctrinam innumeris viſionibus à Deo approbatam eſſe, & quotidie approbari.

NON ignorant qui diligenter in Sacris literis ſunt verſati, Viſionum authoritatem Miraculorum authoritati ſimilem eſſe, & æquè Diuinam. Idemque ratio ipſa perſpicuè conteſtatur, quòd ſicut ea operari quæ creaturæ operatiuam facultatem ſuperant, ita ea quoque oſtēdere quæ creaturæ cognoſcitiuam facultatem ſuperant, ſolius Creatoris ſit. Vnde Diuinam fidem adhibemus Prophetis veteris Teſtamenti, qui Chriſtum & Myſteria eius, Deo multifariam & multis modis oſtendente, tam longo antè tempore præuiderunt, & prædixerunt. Ideoque & Idôla Gentium prouocantur à Deo noſtro apud Iſaiam his
Iſa. 41. » verbis: Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij
» eſtis vos. Præter futura autem, multa quoque alia ab hominibus niſi per Deum videri non poſſunt. qualia ſunt ea potiſſimum omnia, quorum, niſi præcedat operatio Diuina, viſio humana ſequi non poteſt; in quibus ſcilicet Miraculum (vt ferè fit) prærequiritur. Cauere duntaxat opus eſt, ne figmenta hominum, aut fallacias Dæmonum ſinamus nobis pro Diuinis Viſionibus venditari: qua in re quæ obſeruanda ſint, mox apertiùs tradam. Nunc autem aſſero veras viſiones eiuſmodi eſſe, vt certiſſimam commendationem hominum quos imitemur, & religionis quam ſectemur, contineant: ac Deus propterea per illas Chriſtum ipſum atque Apoſto-

Apoſtolos cum eorum doctrinis cenſuerit approbandos. Hinc enim eſt
quod Ioannes Euangeliſta ſcribit pro Chriſto ſic inter cætera argumen-
ta: Et teſtimonium perhibuit Ioannes [Baptiſta] dicens, Quia vidi Spiri- *Ioan.* 1.
tum deſcendentem quaſi columbam de cælo,& manſit ſuper eum. Et ego "
neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super "
quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt "
qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi: & teſtimonium perhibui quia "
hic eſt Filius Dei. Quam Ioannis Baptiſtæ Viſionem etiam Matthæus E-
uangeliſta inter narrandum Baptizationem Chriſti, valde notandam eſſe
admonuit. [a] Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua: & ecce *a. Matth.* 3.
[inquit] aperti ſunt ei cæli: & vidit [vtique Ioannes] Spiritum Dei deſ- "
cendentem [b] corporali ſpecie ſicut colũbam, [c] & manentem in ipſo. Et *b. Luc.* 3.
ecce [iterum inquit Matthæus] vox de cælis dicens, Hic eſt filius meus *c. Mar.* 1. "
dilectus in quo mihi complacui. [Qua voce Patris etiam Chriſtus ipſe, "
vna cum teſtimonio Ioannis & Miraculis ſuis & Scripturis, pro Mo- *Ioan.* 5.
tiuo vtitur ad Iudæos, dicens, Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium
perhibuit de me. Hinc erat & illa trium Diſcipulorum admirabilis Viſio,
qua viderunt in Transfiguratione Maieſtatem Chriſti, & gloriam Re- *Matth.* 17.
gni Dei. Amen dico vobis [inquit Chriſtus] ſunt quidam de hîc ſtan- "
tibus qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis ve- "
nientem in Regno ſuo. [Sequitur Matthæus, ac dicit:] Et poſt dies ſex "
aſſumit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & ducit il- "
los in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Et "
reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba "
ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquen- "
tes, [d] viſi in maieſtate. [Et tum poſt verba Petri,] Adhuc eo loquen- *d. Luc.* 9.
te, ecce [inquit Matthæus] nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce "
vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene "
complacui: ipſum audite. [Paucíſque interpoſitis,] Et deſcendentibus "
[inquit] illis de monte, præcepit eis Ieſus, dicens, Nemini dixeritis "
Viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat. "

Et illi tacuerunt, [inquit Lucas,] & nemini dixerunt in illis die- "
bus quicquam ex his quæ viderant. [Sed quòd poſtea non tacuerint, quin "
potiùs vt ſolidiſſimum argumentum inculcauerint, nihil timentes iſtos
qui Viſiones omnes contemnere audent, perſpicimus ex ſecunda D.
Petri ad omnes fideles Epiſtola. Non enim [inquit] doctas fabulas ſe- 2. *Pet.* 1.
cuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & "
præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius Magnitudinis. "

„ Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum
» huiuſcemodi à Magnifica gloria, Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi
» complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam,
» cum eſſemus cum ipſo in Monte Sancto. [Quin & tertiam adhuc vocem
Patris narrat Ioannes Euangeliſta, iam inſtante Paſſione. Pater [inquit
Ioan. 12. Chriſtus] clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo [inquit Euan-
» geliſta] Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ ſtabat & au-
» dierat [ſed indiſtinctè] dicebat tonitruum eſſe factum. Alij dicebant, An-
» gelus ei locutus eſt. Reſpondit Ieſus, & dixit, Non propter me hæc vox
» vênit, ſed propter vos.

Iam verò Reſurrectionem Chriſti, vbi eſt fundamentum totius fidei,
noſtræ & prædicationis Eccleſiæ, quot quantiſque Viſionibus vel An-
Matth. 28. gelorum, vel ipſius ſiue in aliena (vt Hortulani, Peregrini, Emptoris
Mar. 16. Luc. 24. piſcium) ſiue in ſua ſpecie, ſed & tum ſine Reſurrectionis gloria, Euan-
Ioã 20. 21. geliſtæ omnes referunt atteſtatam! Sanctuſque Paulus poſt illos, pullu-
lante iam Corinthi contra Reſurrectionem hæreſi, quanta cum vehe-
1. Cor. 15. mentia & fiducia protinus coërcuit, dicens, quia viſus eſt Cephæ: &
» poſt hoc Vndecim: Deinde viſus eſt plus quàm quingentis fratribus
» ſimul; ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormie-
» runt: Deinde viſus eſt Iacobo: deinde Apoſtolis omnibus. Nouiſſimè
» autem omnium [etiam poſt Aſcenſionem] tanquam abortiuo viſus eſt
» & mihi. Neque verò ſolùm vigilantium viſionibus, ſed dormientium
quoque, Chriſtus à Deo in Scripturis canonicis commendatur. Ideóque
Petrus in primo ad Iudæos ſermone pro Chriſto, allegat vaticinium
Act. 2. ex Ioel. 2. Ioëlis, dicentis: Et erit, in nouiſſimis diebus (dicit Dominus) effundam
» de Spiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri &
» filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſom-
» nia ſomniabunt.

Nunc autem & Apoſtolos Chriſti cum doctrina ſua per Viſiones à
Deo approbatos, frequentiſſimè Scriptura teſtatur. Nam Viſionem illam
Gal. 2. Transfigurationis num quis paruam trium illorum, qui videbantur Co-
lumnæ eſſe, approbationem fuiſſe exiſtimat? Num paruam etiam com-
mendationem illorum fuiſſe exiſtimamus, qui Reſurrectionem viderunt,
Act. 10. de quibus Petrus dicit Cornelio, Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit
» eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo:
» nobis, qui manducauimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à
mortuis? Quid enim aliud voluit & Paulus de ſe dicens, Non ſum Apo-
1. Cor. 9. ſtolus? Nónne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi?. Ex quo

etiam Ananias ad eum dixit, Deus patrum noſtrorum præordinauit te, *Act.* 22.
vt cognoſceres voluntatem eius, & videres iuſtum, & audires vocem ex "
ore eius: quia eris teſtis illius ad omnes homines, eorum quæ vidiſti & "
audiſti. [Qua eadem admirabili Viſione Paulus ipſe ex perſecutore ſæuiſ- *Act.* 9.
ſimo protinus conuerſus eſt ad fidem Chriſti, ita vt tremens & ſtupens
ſine mora dixerit, Domine, quid me vis facere? Cumque ob iſtam mutationem odioſiſſimus eſſet Iudæis incredulis, ita vt eum iam oppreſſiſſent, niſi Tribunus Lyſias interueniſſet cum cohorte, impetrato ſilentio
dicit ad eos. Audite quam ad vos nunc reddo rationem. [& mox in apo- *Act.* 22.
logiam Conuerſionis ſuæ narrat eis prædictam viſionem cum omnibus
circumſtantijs. Factum eſt [inquit] eunte me, & appropinquante Da- "
maſco media die, ſubitò de cælo circumfulſit me lux copioſa: & decidens "
in terram, audiui vocem dicentem mihi, Saule, Saule, quid me perſeque- "
ris? &c. [Et quoniam præcipua cauſa odij erat, quia prædicabat Gentibus,
eius quoque facti ſui apologiam ibidem facit per aliam Viſionem: Factum "
eſt [inquit] reuertenti mihi in Ieruſalem [poſt tres annos à Conuerſio- "
ne] & oranti in Templo, fieri me in ſtupore mentis [ſeu in extaſi] & vi- "
dere illum dicentem mihi, Feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem: quo- "
niam non recipient teſtimonium tuum de me. &c. Et dixit ad me, Vade, "
quoniam ego in Nationes longè mittam te. [Veruntamen his omnibus
adeò apud eos non profecit, vt ſubijciat Lucas: Audiebant autem eum "
vſque ad hoc verbum, & leuauerunt vocem ſuam dicentes [Tribuno] "
Tolle de terra huiuſmodi: non enim fas eſt eum viuere. Ille nihilomi- "
nus biennio poſtea Cæſareæ adhuc in vinculis, coram Rege Agrippa, & *Act.* 25. 26.
Bernice ſorore Regis, & Feſto Proconſule, ac Tribunis & viris principalibus ciuitatis, permiſſus loqui pro ſemetipſo, rurſus ex eadem Viſione apologiam ſuam facit: Dum irem [inquit] cum poteſtate & per- "
miſſu Principum ſacerdotum [ad perſequendum Chriſtianos,] die me- "
dia, in via, vidi, Rex, de cælo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me "
lumen, & eos qui mecum ſimul erant. Omneſque nos cùm decidiſſemus "
in terram, audiui vocem loquentem mihi Hebraicâ linguâ: Saule, Saule, "
quid me perſequeris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Ego "
autem dixi, Quis es Domine? Dominus autem dixit, Ego ſum Ieſus, "
quem tu perſequeris. Sed exurge & ſta ſuper pedes tuos: ad hoc enim "
apparui tibi vt conſtituam te miniſtrum & teſtem eorum quæ vidiſti, & "
eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo & gentibus in quas "
nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad "
lucem, & de poteſtate ſatanæ ad Deum, vt accipiant remiſſionem pecca- "

„ torum & ſortem inter ſanctos per fidem quæ eſt in me. Vnde, Rex A-
„ grippa, non fui incredulus Cæleſti Viſioni: ſed his qui ſunt Damaſci pri-
„ mùm, & Ieroſolymis, & in omnem regionem Iudææ, & Gentibus annun-
„ tiabam vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœni-
„ tentiæ opera facientes. Hac ex cauſa me Iudæi cum eſſem in Templo,
„ comprehenſum tentabant interficere. [Cumque] hæc loquente eo, &
„ rationem reddente, Feſtus [non credens Viſionem] magna voce [di-
„ ceret,] Inſanis Paule: multæ te literæ ad inſaniam conuertunt: [reſpon-
„ dens] Paulus, Non inſanio [inquit] optime Feſte: ſed veritatis & ſobrie-
„ tatis verba loquor. Scit enim de his Rex ad quem & conſtanter loquor.
„ latêre enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quicquam
„ horum geſtum eſt. [Refert autem propter maius miraculum D. Lucas &
duas alias Viſiones, vnam Ananiæ, aliam ipſius Pauli, eodem tempore
Conuerſionis eius. Nam cùm introductus cæcus iam Paulus Damaſ-
Act. 9. „ cum, eſſet tribus diebus non videns, & non manducans neque bibens,
„ dixit ad Ananiam in viſu Dominus, Surge, & vade in vicum qui voca-
„ tur Rectus; & quære in domo Iudæ Saulum nomine, Tharſenſem. ecce
„ enim orat. &c. Et vidit [inquit Lucas] virum Ananiam nomine, intro-
„ euntem, & imponentem ſibi manus vt viſum recipiat. [quod & factum
eſſe mox narrat. Quot autem alias adhuc Viſiones huius mirifici Apo-
ſtoli refert idem Lucas comes & diſcipulus eius! vt cum eſſet Troa-
Act. 16. „ de: Viſio [inquit] per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam
„ erat ſtans & deprecans eum, & dicens, Tranſiens in Macedoniam, adiuua
„ nos. Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam,
„ certi facti quòd vocaſſet nos Deus euangelizare eis. [ſicut è diuerſo ante
illud, cum tranſirent Phrygiam & Galatiam,] vetati ſunt à Spiritu ſancto
„ loqui verbum in Aſia. [& deinde cum veniſſent in Myſiam,] tentabant
„ ire in Bithyniam: & non permiſit eos Spiritus Ieſu. [Poſtea autem &
Act. 18. „ Corinthi, contradicentibus & blaſphemantibus Iudæis,] Dixit Dominus
„ nocte per viſionem Paulo, Noli timere, ſed loquere, & ne taceas, prop-
„ ter quod ego ſum tecum: & nemo apponetur tibi vt noceat te: quoniam
„ populus eſt mihi multus in hac ciuitate. [Vnde] ſedit ibi annum & ſex
„ menſes, docens apud eos verbum Dei. [Denique iter vltimum (quan-
Act. 20. „ tum in Actis ſcribitur) faciens in Ieruſalem,] Spiritus ſanctus [inquit ipſe]
„ per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula & tri-
„ bulationes Ieroſolymis me manent. [Porrò Ieroſolymis excitata contra
Act. 23. „ eum immani perſecutione,] nocte aſſiſtens ei Dominus ait: Cōſtans eſto:
„ ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſti-
ficari.

ficari.[Poſtremò igitur Romam miſſus,inſtante iam naufragio,ait ducentis ſeptuaginta ſex hominibus qui cum eo nauigabant:] Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe. amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam nauis. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei cuius ſum ego, & cui deſeruio, dicens, Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere: & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Propter quod bono animo eſtote viri: credo enim Deo, quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi. In inſulam autem quandam oportet nos deuenire. &c. *Act. 27.*

In quibus omnibus videmus neque D. Paulum dubitantem credere viſionibus, neque D. Lucam timentem narrare viſiones, & propterea Diuinam eſſe commendationem hominis & doctrinæ, iſtam quæ Viſionibus declaretur. Adeò vt ipſe Paulus coactus ſe commendare Corinthijs, propter Pſeudoapoſtolos qui ei detrahebant & illos corrumpebant; vt ſibi oſtenderet plus fidei tribuendum eſſe, quàm illis, poſt alia argumenta hoc adiunxerit, dicens: Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad Viſiones & Reuelationes Domini. [Ac tum de ſe in tertia perſona modeſtiſſimè:] Scio [inquit] hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſiue in corpore, neſcio: ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. Et ſcio huiuſmodi hominem (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit) quoniam raptus eſt in Paradiſum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. [Et mox addit:] Pro huiuſmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis. [Paucisque interiectis:] Et ne magnitudo Reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, &c. [Ac demum in excuſationem huius cõmendationis propriæ:] Factus ſum [inquit] inſipiens: vos me coëgiſtis. Ego enim à vobis debui commendari. *2. Cor. 12.*

Sanctus Petrus etiam duabus viſionibus Cornelij & ſuâ, defendit factum ſuum in quæſtione quæ propter Iudæos, etiam Chriſtianos, fuit omnium in Euangelio Chriſti maxima, nimirum de baptizatione ſeu incorporatione Gentiliũ. Primùm enim ipſis Gentilibus propter ſex Iudæos comites ſuos inde ait: Vos ſcitis quomodo abominatũ ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam: ſed mihi oſtendit Deus, neminem cõmunem aut immundum dicere hominem. [Deinde poſt factum pluribus, ad Iudæos nimirum qui Ieroſolymis diſceptabant aduerſus illum, dicentes, Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? Incipiens [igitur] Petrus exponebat illis ordinem, dicens: Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & vidi in extaſi Viſionem, *Act. 10. 11.*

„ Deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs ſum-
„ mitti de cælo, & venit vſque ad me. In quod intuens, conſiderabam, &
„ vidi quadrupedia terræ, & beſtias, & reptilia, & volatilia cæli. Audiui
„ autem & vocem dicentem mihi, Surge Petre, occide & manduca. Dixi
„ autem, Nequaquam Domine: quia omne commune aut immundum
„ nunquam introiuit in os meum. Reſpondit autem mihi vox ſecundò de
„ cælo: Quæ Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Hoc autem factum
„ eſt per ter: Et recepta ſunt omnia rurſum in cælum. Et ecce, viri tres
„ confeſtim aſtiterunt in domo in qua eram, miſſi à Cæſaréa ad me. Dixit
„ autem Spiritus mihi vt irem cum illis, nihil hæſitans. Venerunt autem
„ mecum & ſex fratres iſti: & ingreſſi ſumus in domum viri. Narrauit
„ autem nobis, quomodo vidiſſet Angelum in domo ſua, ſtantem & di-
„ centem ſibi, Mitte in Ioppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur
„ Petrus: qui loquetur tibi verba in quibus ſaluus eris tu & vniuerſa do-
„ mus tua.

Denique in Veteri Teſtamento quot Libri ſunt, qui nihil ferè aliud continent, quàm Viſiones Moyſi, & Prophetarum? In Nouo etiam Teſtamento Apocalypſis quid continet, niſi Reuelationes ſeu Viſiones S. Ioannis? Quæ cum ita ſint, errant neſcientes Scripturas, qui leuiſſimo præiudicio Viſiones omnes ſimpliciter contemnunt. quas contrà omnino, vident ex his, Dei ipſius ſuffragia, ſiue de Doctoribus ſiue de Doctrinis quærimus, continere.

Sed quid hoc, inquies, ad huius temporis controuerſias? Certè norunt docti, non modò Catholici, verumetiam Proteſtantes, tam innumerabiles haberi pro Religione noſtra certiſſimas Viſiones, vt ſi adhibeatur Viſionibus fides (quemadmodum ex Scripturis docui adhibendam) omnium iſtarum quæſtionum ſit finis. Nam quales è Scripturis commemoraui Viſiones ſiue nocturnas, ſiue diurnas, ſiue extaticas, ſiue ſenſibiles, ſiue imaginarias, ſiue propheticas: tales pro nobis contra Proteſtantes innumeras eorundem ſingulorum generum in promtu eſt ex indubitatis Authoribus repetere: ita vt nullo colore probabili fidem eiſdem Hæretici valeant denegare. Tales ego hic pauciſſimas (ne ſim prolixior)
Moti. 10. delibabo: Torrentem ipſum dabit aliquando (vt ſpero) Liber ille Miraculorum, de quo aliàs ſum locutus. Continebit enim non ſolùm Miracula, verumetiam Viſiones; eaſque ſic digeſtas atque diſpoſitas, vt in ſuis ſigillatim capitibus intuearis, quibus, & quoties, & quomodo reuelauerit atque oſtenderit Deus gaudia Cæli, cruciatus Inferni, Pænas Purgatorij; item ſuam Maieſtatem, & Chriſtum in humanitate ſua, cum quibuſlibet eius my-

eius myſterijs; item ſanctos Angelos, vt Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, cum cæteris; item beatas animas, vt Deiparam, Petrum, Paulum, cum reliquis; item pleraque ad Eccleſiæ & Religionis myſteria pertinentia, vt quoad Miſſam, Baptiſmum, Crucem, Reliquias, & quicquid ferè in vllo genere deſiderari queat. Neque in his omnibus locus vllus Hæreticorum exceptionibus relinquetur. Habebunt enim ſingula approbationem & teſtimonium eorum qui Diſcretionem habuere ſpirituum; & diuturni temporis, cuius, communi prouerbio, Veritas filia nuncupatur; pleraque etiam ex circunſtantijs ipſis, ſæpè autem & ex Prophetijs miraculiſque coniunctis, ſibi ipſa fidem adferent & acquirent: quodque caput omnium eſt, eiuſmodi erunt omnia, quæ pro vel etiam in Eccleſiæ contigerint Vnitate. Quæ omnia diligenter obſeruata, nullam relinquent fallaciæ ſuſpicionem, nullumque deceptioni locum.

Quid, quòd ipſæ etiam Viſiones Apoſtolicæ quas citaui, ſi rectè perpendantur, nobis contra Proteſtantes & contra omnes alios Hæreticos ſuffragantur? Nam quod ſuprà oſtendi clariſſimè de Miraculis Chriſti & Apoſtolorum, idem quis non videt in iſtis quoque Viſionibus habere locum: eas nimirum eòdem, quô & illa Miracula, ſpectauiſſe; vt Eccleſiam Viſibilem (qualis tunc fuit, & qualem ſolam Sacræ Scripturæ agnoſcunt) fundarent & conſtituerent in æternum? Tali autem Eccleſia admiſſa, ſilentium Hæreticis vniuerſis indicitur: quia non aliter ſibi ad aures hominum facere poſſunt aditum, niſi Eccleſiam illam initio viſibilem poſtea vel perijſſe vel diſparuiſſe confingant, & ſe fallaciter profiteantur illam vitæ aut luci iterum reſtituere. Hæc igitur eorum vaniſſima inſipientia compeſcitur ipſis & Miraculis & Viſionibus primitiuis, quas Scriptura ſacra commemorat, quemadmodum ex illa mea de Miraculis demonſtratione Lector poterit recordari. *Moti. 10.*

Non ſolùm autem illo generali modo, ſed ſicut per quædam Miracula, ita per quaſdam viſiones particulariter etiam & expreſsè viſibilis in æternum deſignatur & commendatur Eccleſia. Nam in illa Petri viſione de Vaſe velut linteo magno, in quo erant omnia genera animalium; *Act. 10.* [quemadmodum in Sagena parabolica omnia genera piſcium, boni & *Matth. 13.* mali; & in Agro triticum ac zizania:] quod quatuor initijs ſubmittebatur linteum de cælo, quis in eo non Eccleſiæ Catholicæ animaduertit initium? & quòd iterum receptum eſt in cælum, conſummationem eiuſdem Eccleſiæ in fine ſeculi? Interiecto autem inter ſummiſſionem & receptionem tempore, quam vanum eſt dicere linteum illud non ſemper extitiſſe in terra, aut non ſemper eiuſmodi animalibus plenum fuiſſe: quaſi

quaſi etiam vllo ante Meſſem tempore Ager ſine tritico & zizanijs, aut Sagena ſine piſcibus bonis & malis vnquam ante eductionem ad littus inueniatur. ſunt autem in parabolis Meſſis & littus, conſummatio ſeculi. Sed adhuc apertius in vna Viſione Pauli teſtimonium Eccleſiæ iſtiuſmo-
Act. 9. 26. di perhibetur. Nam perſequenti illi Viſibilem illam Eccleſiam, & inſa-
„ nienti contra eam, loquitur vox de cælo: Saule, Saule quid me perſe-
„ queris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris, clariſſimè dicens, illam eſſe Viſibilis Eccleſiæ contra omnes hoſtes ſolidiſſimã & ſecuriſſimã firmitatem, quæ eſt acutiſſimi ſtimuli contra nudas calces, imò quæ eſt ipſius Domini Ieſu omnipotentis Dei contra vaniſſimam miſelli homuncionis audaciam.

Quod cùm ita ſit, meritò dixit S. Auguſtinus, vt Miracula, ſic etiam Viſiones approbandas eſſe, ſi fiant in Eccleſia Catholica quæ ſecundum Scripturas ſemper Viſibilis perſeuerat: Ideoque ſi qui interdum Hæretici pro ſe contra iſtam Eccleſiã quaſi Miracula vel quaſi Viſiones proferant, non eſſe dubitandum, quin aliud nihil ſint, quàm aut mendacia hominum, aut fallaciæ dæmonum. Vnde contra Donatiſtas ſcribit, quæ
Moti. 10. ſuprà citaui ex parte in Motiuo decimo de Miraculis: ſed quia huius rurſus loci ſunt, vtile fuerit & iucundum eatenus rurſus audire. Itaque in libro ſeu Epiſtola De Vnitate Eccleſiæ, poſtquam ex manifeſtiſſimis plurimiſque Scripturis (quas & ego in Motiuo primo poſui) oſtendiſſet Eccleſiam ſemper Catholicã ſemperque Viſibilem: accedens ad diluendum obiectiunculas Donatiſtarum, quarum vnam ex ſuorum Viſioni-
Auguſt. de Vni. Ecc. cap 16 bus componebant, ſic ait: Quiſquis huic Epiſtolæ reſpondere ſe præparat, omiſſis morarum quarumlibet tendiculis, oſtendat † Eccleſiam vel in ſola Africa perditis tot gentibus retinendam; vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam: Et ſic oſtendat, vt non dicat, Verum eſt, quia ille frater noſter aut illa ſoror noſtra tale vi-
† Mutatis nominibus, Proteſtantes ad ſe dictũ putent.
„ ſum vigilans vidit, vel tale viſum dormiens ſomniauit. Remoueantur
„ iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpiri-
„ tuum. &c. De viſis enim fallacibus legant quæ ſcripta ſunt, & quia ipſe
2. Cor. 11. Satanas transfigurat ſe tanquam Angelum lucis, & quia multos ſeduxe-
Eccl. 34. runt ſomnia ſua. Audiant etiam quæ narrent Pagani de Templis & Dijs
Pſalm. 95. ſuis mirabiliter vel facta vel viſa: & tamen Dij gentium dæmonia, Do-
„ minus autem cælos fecit. &c. Nam ad ſalutem ac vitam æternam nemo
„ peruenit, niſi qui habet caput Chriſtum: Habere autem caput Chri-
Col. 1. „ ſtum nemo poterit, niſi qui in eius corpore fuerit, quod eſt Eccleſia:
„ quam, ſicut ipſum Caput, in Scripturis ſanctis canonicis debemus agnoſce-

agnoſcere; non in varijs hominum rumoribus & opinionibus & factis & "
dictis & viſis inquirere. &c. [Itaque] vtrum ipſi Eccleſiam teneant, non "
niſi Diuinarum Scripturarum canonicis libris oſtendant: quia nec nos "
[omittentes Scripturas, quibus contrà ſolis in illo libro Donatiſtas vrget]
propterea dicimus nobis credere oportere, quòd in Eccleſia Chriſti ſumus, "
&c, quia ille ſomnium vidit, & ille ſpiritu aſſumptus audiuit, ſiue ne in- "
iret in partem Donati, ſiue vt recederet à parte Donati. Quæcunque ta- *Vide ſupra*
lia in Catholica fiunt, ideo ſunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non *Moti. 10.*
ideo ipſa manifeſtatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. Ipſe Dominus " *Luc. 24.*
Ieſus cùm reſurrexiſſet à mortuis, & Diſcipulorum oculis videndum "
manibuſque tangendum corpus ſuum offerret: ne quid tamen fallaciæ "
ſe pati arbitrarentur, magis eos teſtimonijs Legis & Prophetarum & Pſal- "
morum confirmandos eſſe iudicauit, oſtendens ea de ſe impleta, quæ "
fuerant tanto antè prædicta. Sic & Eccleſiam ſuam commendauit dicens, "
Prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per *Ibidem.*
omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Hoc in Lege & Prophetis "
& Pſalmis eſſe ſcriptum ipſe teſtatus eſt: hoc eius ore commendatum te- "
nemus. Hæc ſunt cauſæ noſtræ documenta, hæc fundamenta, hæc fir- "
mamenta. quemadmodum & ego in Motiuo primo pleniùs demonſtra-
ui. Similiter in Epiſtola ad Generoſum reſpondet idem mendacio
cuiuſdam Donatiſtarum presbyteri qui virum Catholicum quaſi viſione
Angeli ſeducere conabatur. Hæc [inquiunt Fortunatus, Alipius, Au- *Aug. Epiſt.*
guſtinus] ad eum reſcripta petimus perferas. Ille enim ordinem Chri- *165.* "
ſtianitatis ciuitatis veſtræ [per quem intellexit Succeſſionem aliquot "
Epiſcoporum partis Donati quæ ibi erat; quos vt viros integros ſcele-
riſque puros venditabat, Catholicos autem omnes maculatos eſſe di-
cebat] tibi vt inſinuaret iuſſiſſe ſibi Angelum ſcribit: cùm tu teneas "
Chriſtianitatem, non ciuitatis tuæ tantùm, nec tantùm Africæ vel "
Afrorum, ſed totius Orbis terræ, quæ annunciata eſt & annunciatur "
omnibus Gentibus. Vnde illis parum eſt quòd præciſos eſſe non pu- "
det, nec ſibi ſubueniunt, vt cùm poſſunt redeant ad radicem; niſi "
etiam ſecum alios præcidere, & ſicut ligna arida in ignem deſtinare "
conentur. Quapropter ſi tibi ipſi Angelus aſtitiſſet, quem ſibi ille "
propter te aſtitiſſe, quantum arbitramur, aſtuta nouitate confingit; "
& hæc ipſa tibi dixiſſet, quæ iſte mandato illius tibi ſe inſinuare di- "
cit: oporteret te Apoſtolicæ ſententiæ memorem fieri, qui ait: "
Licèt ſi nos, aut Angelus de cælo vobis euangelizauerit præter id *Gal. 1.*
quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.

" Euangelizatum eſt enim tibi per vocē ipſius Domini Ieſu Chriſti, quòd
Matth. 24. omnibus Gentibus annunciabitur Euangelium eius, & tunc finis erit.
a. Gen. 12. *b. Gal. 2.* Euangelizatum tibi eſt per [a] Propheticas & [b] Apoſtolicas literas, quòd
" [b] Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & Semini eius, quod eſt Chriſtus, cùm
" ei diceret Deus, [a] In Semine tuo benedicentur omnes Gentes. Has
" ergo promiſſiones tenens, ſi tibi Angelus de cælo diceret, Dimitte Chri-
" ſtianitatem Orbis terræ, & tene Partem Donati, cuius ordo [id eſt, ſuc-
" ceſſio] tibi exponitur in Epiſtola Epiſcopi tuæ ciuitatis: anathema eſſe
" deberet: quia te à toto præcidere, & in partem contrudere conaretur,
" & alienare à promiſſis Dei. Si enim ordo Epiſcoporum ſibi ſucceden-
" tium conſiderandus eſt, quanto certiùs & verè ſalubriter ab ipſo Petro
numeramus, &c? [Itaque nos non tam de vllis alijs documentis præſu-
Pſalm. 2. mimus, quàm de Scripturis ſanctis, vbi Hæreditas Chriſti vſque ad ter-
" minos terræ promiſſa eſt in omnibus Gentibus: vnde iſti nefario ſchiſ-
" mate ſeparati, iactant crimina [ipſi criminoſiſſimi] in paleam meſſis Do-
Matth. 13. 3. " minicæ, quæ neceſſe eſt vſque ad finem permixta toleretur, donec
" vltimo iudicio tota area ventiletur. Vnde manifeſtum eſt, iſta crimina
" ſeu vera ſeu falſa non pertinere ad frumenta Dominica, quæ per totum
" agrum, id eſt, iſtum mundum, vſque in finem ſeculi oportet creſcere,
" ſicut non falſus angelus in huius errore, ſed Dominus in Euangelio lo-
" quitur. &c. Quapropter cùm Paulus Apoſtolus iterum dicat, quia ipſe
2. Cor 11. Satanas transfigurat ſe in angelum lucis, vnde non eſſe mirum, ſi mi-
" niſtri eius transfigurant ſe ſicut miniſtros iuſtitiæ; ſi verè iſte aliquem an-
" gelum vidit erroris nuncium, & de Vnitate Catholica Chriſtianos ſepa-
" rare cupientem, ipſe paſſus eſt Angelum Satanæ transfigurantem ſe ve-
" lut angelum lucis. Si autem mentitur & nihil tale vidit, ipſe eſt mini-
" ſter Satanæ, transfigurans ſe velut miniſtrum iuſtitiæ. [Sic Auguſtinus ad Donatiſtas. Et ſic dicendum eſt ad ſimiles. Nam quælibet quis mira-cula, quaſlibet viſiones, & quidlibet aliud contra iſtam Eccleſiam ſemper viſibilem, in Scripturis clariſſimè commendatam, proferre videatur, qui-cunque is eſt, audiendus non eſt. Niſi enim primùm è Scripturis oſten-dat ſuam eſſe Eccleſiam (quod cuilibet Hæretico impoſſibile eſt) fruſtra contra Scripturas & contra Eccleſiam ſenſu ſuæ carnis inflatur. Ex quo vident, quàm temerè & damnabiliter faciant, qui nudis Proteſtantium verbis & conuicijs credunt; quibus vtique, etiamſi haberent teſtimo-nium Angeli de cælo, credere non deberent. Quod non ita dicimus, quaſi poſſibile ſit, Angelum de cælo aut illis aut vllis Hæreticis ſuffragari. Non enim id voluit Paulus, vel Auguſtinus. Sed quia fieri poteſt, &

fit in-

ſit interdum, vt vel Satanas ſe transfiguret in Angelum lucis, & mentiatur ſe eſſe Angelum de cælo, (nam quòd in ſua figura propria ratiocinanti contra Miſſam credidit [a] Lutherus, & non multum diſſimiliter [b] Zuinglius, omnem id ſuperabat inſaniam) vel miniſtri Satanæ (vt ſupra Donatiſtæ, & aliàs † Arriani) tale quid de cæleſti Angelo confictum inſtabili vulgo venditent, aut certè res vulgares & communes quaſi cæleſtes viſiones iactitent, ſicut Alanus Copus noſter in Dialogo ſexto oſtendit de vanitatibus Proteſtantium; vel denique plebs hæretica Magiſtros ſuos quaſi Angelos cæleſtes veneretur & colat: quemadmodum accidit aliquando in Londini noſtri celeberrimo auditorio, quod Paulinam Crucem appellamus. Ibi enim poſt hæretica tempora, ſub initium Catholici regni Mariæ reginæ, incipientem ad populum concionari catholicum ſacerdotem Gilbertum Burnum Epiſcopum paulo pòſt Bathonienſem, vbi, vibrato in eum pugione, è pulpito depuliſſent, mox in locum eius inferenti ſe Bradfordo cuidam præconi Caluiniſtico acclamabant miſeri, Angelus, Angelus. Propter has ergo cauſas dixit Apoſtolus, ne etiam Angelo cæleſti contrarium euangelizanti credamus. Ceteroqui autem ſi ſit reuera Angelus de cælo, quin ei credendum ſit, quis obſecro dubitauerit? Sicut etiam fide dignis hominibus (quicquid S. Auguſtinus dixerit de mendacijs Hæreticorum) quid impedit ne credamus? Non enim id voluit Auguſtinus in ſuprà allegatis, vt nullis credamus hominibus, viſionibus nullis. Nam & ibi dixit, Ipſe Dominus Ieſus « reſurgens videndum & tangendum ſe obtulit Diſcipulis; ne quid tamen « fallaciæ ſe pati arbitrarentur, magis eos teſtimonijs Scripturarum confir- « mandos eſſe iudicauit: [nec tamen quiſquam dixerit, voluiſſe ibi eum « contra Scripturas, vt propter ſolas Scripturas, & non etiam propter viſionem Diſcipuli Reſurrectionem crederent. Dixit enim,] magis eos Scripturis, [ſed non ſolùm Scripturis] confirmandos iudicauit. [Quemadmodum & Petrus poſt narratam pro Chriſto viſionem Transfigurationis dicit: Et habemus firmiorem Propheticum ſermonem: [non tamen per hoc voluit diminuere fidem Viſionis, quam ipſe vtique priùs ſummopere commendauerat.

Dico igitur, nos habere contra Hæreticos innumeras pro Religione noſtra certiſſimas viſiones; quibus nemo qui, non dico (vt Donatiſtæ & alij Hæretici) nobis, ſed qui teſtibus (ipſorum Proteſtantium atteſtatione) fide digniſſimis & multo ante iſtas inter nos exortas controuerſias viuentibus & defunctis; nemo etiam qui ſanctis Angelis & ſanctis animabus; nemo denique qui Deo ipſi crediderit; fidem vlla vel

a. Luther. libel. de Miſſa angulari, Tom 7. Suri. Comment. an. 1534.
b. Sur. an. 1525.
† Sulp Sever. Hiſt. Sac. lib. 2. pag. 158 & Soz. lib. 3. cap. 18.
Cop. Dial. 6 cap. 32. 33. 36. 37. 39.
2. Pet. 1.

probabili ratione valeat denegare. Et hoc eô magis intrepidè, eô confidentiùs dico, quia Eccleſiam noſtram iam in Motiuo primo ex clariſſimis Scripturis, & modò ex ipſis Viſionibus Apoſtolicis certiſſimè demõſtraui. ac propterea viſiones iſtas approbandas cum Auguſtino aſſero, quia in Catholica & pro Catholica Eccleſia contigerunt. Verùm ipſas iam Viſiones, ſed paucas, proferre tempus eſt. Plures ſuppeditabit lectio Antiquorũ, & Liber quem prædixi. Et has ipſas quas proferam, fidem ſuã ſecum etiam adferre Lector agnoſcet. Sicut autem ſuprà oſtendi è Scripturis, Deũ per Viſiones commendaſſe nobis & homines & dogmata, ſic iam oſtendam, Deum itidem per Viſiones cõmendaſſe tum homines Religionis noſtræ, tum dogmata. Porro iam demonſtraui (quod vnum per ſe ſufficit) Eccleſiam noſtram ipſis Viſionibus quæ in Nouo Teſtamento ſcriptæ ſunt, & fundatam à Deo & demonſtratam eſſe.

Proximum huic locum meretur Viſio Diuina, quæ pro Interceſſione Sanctorum defunctorũ in ſacra canonica Machabæorum Scriptura re-
2. Mac. 15. colitur. Pugnaturus Iudas Machabæus contra blaſphemum Nicanorem,
» armauit milites ſuos ſermonibus [inquit] optimis & exhortationibus, ex-
» poſito digno fide ſomnio, per quod vniuerſos lætificauit. Erat autem hu-
» iuſcemodi viſus: Oniam qui fuerat Summus Sacerdos, virum bonum &
» benignum, verecundum viſu, modeſtum moribus, & eloquio decorum, &
» qui à puero in virtutibus exercitatus ſit, manus protendentem, orare pro
» omni populo Iudæorũ. Poſt hoc apparuiſſe & alium virum ætate & gloria
» mirabilem, & magni decôris habitudine circa illum. Reſpondentem verò
» Oniam dixiſſe: Hic eſt fratrum amator, & populi Iſraël: hic eſt qui multũ
» orat pro populo & vniuerſa ſancta Ciuitate, Ieremias Propheta Dei. Ex-
» tendiſſe autem Ieremiam dextrã, & dediſſe Iudæ gladium aureum, dicen-
» tem: Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduerſarios
» populi mei Iſraël. [quod & tum feciſſe ibidem narratur. Sed non eſt iſta canonica Scriptura, inquiunt Proteſtantes. Cur minus (inquam) quàm Apocalypſis S. Ioannis? Certiſſimum eſt, quòd nullam queant adferre cauſam, cur hæc videatur eſſe canonica, & illa non videatur. de qua re in Motiuo 36 (Deo fauente) plura dicam. Interim duo iſta conſiderent prudentes & omnes qui ſunt de ſalute ſoliciti. Primùm, quòd ſi ita pro Hæreticis faceret Machabæorum Scriptura, quemadmodum facit contra eos, eſſet vtique canonica vel cum primis. Secundò, quòd ſi & cæteras Scripturas, ipſaque adeò Euangelia non negant ijdem Hæretici, non id certè faciunt propter vllam quam Diuinis Scripturis deferunt reuerentiam, ſed duntaxat quia euaſiones inueniſſe ſe inaniter putant, quibus perſtringant luſco-

luſcorum oculos, & expedire ſe à teſtimonijs quæ nos inde contra eos adferimus, videantur. Quod niſi ſperarent, neque cæteras eſſe canonicas audiremus. Nobis interea ineffabilis ſecuritas & voluptas eſt, quòd fides noſtra non ſolùm in Libris ante iſtas quæſtiones & ante omnes hæreſes exortas conſcriptis, verumetiam in ipſa canonica Scriptura tam euidenter conteſtata ſit, vt nullum habeant Proteſtantes effugium, niſi quod idem aduerſus quamlibet Scripturam canonicam quilibet Hæretici (ſi placet eſſe impudẽtibus) poterunt præ ſe ferre. quod etiam plurimi antiqui Hæretici pro ſimili ſua libidine facere non parſerunt.

Poſt iſtas autem cæleſtes Viſiones nobis in Scriptura ſacra traditas, nihil eſſe in hoc genere poteſt conſideratione eius qui veritatem quærit, dignius, nihil ad veritatem inueniendam aptius, nihil vnum magis per ſe ſufficiens, quam Viſiones diuiniſſimæ atque certiſſimæ, quæ circa Conuerſionem D. Auguſtini (nam multis annis fuerat Manichæus) Matri eius S. Monicæ ſunt oſtenſæ. Quas qui attentè conſiderauerit, & ipſas indubitatas fuiſſe, & Religionem Auguſtini atque Matris à Deo ipſo approbatam eſſe, multis modis intelliget. Habebat illa Vidua caſtiſſima atque ſanctiſſima (vt in deuotiſſimis ſuis ad Deum Confeſſionibus teſtatur Auguſtinus) Viſiones multas crebras à Deo, quæ eam prophetice cum [a] de alijs rebus futuris, tum [b] de ipſius conuerſione, multo antè redderent certiorem. Vnam eius verbis referam maximè memorabilem, qua eam quotidie orantem cum lachrymis pro ſalute filij, iamque incipientem nolle habere ſecum eandem menſam in domo, auerſantem & deteſtantem blaſphemias erroris eius, [Deus nouem antè annis conſolatus eſt:] Vidit in ſomnio [inquit Auguſtinus] ſtantem ſe in quadam regula lignea, & aduenientem ad ſe iuuenem ſplendidum, hilarem atque arridentem ſibi, cùm illa eſſet mœrens & mœrore confecta. Qui cùm cauſas quæſiſſet ab ea mœſtitiæ ſuæ, quotidianarumque lachrymarum, docendi (vt aſſolet) non diſcendi gratiâ; atque illa reſpondiſſet, perditionem meam [inquit Auguſt.] ſe plangere: iuſſiſſe illum quò ſecura eſſet, atque admonuiſſe vt attenderet & videret, vbi eſſet illa, ibi eſſe & me. Quod illa vbi attendit, vidit me iuxta ſe in eadem regula ſtantem. &c. Hoc ſomnio fœminæ piæ gaudium tanto poſt futurum, ad conſolationem tunc præſentis ſolicitudinis, tanto antè prædictum eſt. Nam nouem ferme anni ſecuti ſunt, quibus ego in illo limo profundi ac tenebris falſitatis, volutatus ſum: cùm tamen illa vidua caſta, pia, & ſobria (quales amas) iam quidem ſpe alacrior, ſed fletu & gemitu non ſegnior, non deſineret horis omnibus orationum ſuarum de me plangere ad te.

a. Auguſt. Cõfeſſ. lib. 6. cap. 1.
b. lib. 5. cap. 9.
Lib. 3. cap. 11.

[Cuius Propheticæ Viſionis Maternæ impletionem cum alia ſua mirabili Viſione coniunctam narrat idem poſtea libro octauo. Iam enim alienatus tandem à Manichæis, & tum quidem nec Manichæus nec Catholicus, deinceps verò Catholicus, ſed adhuc incontinens, poſtremò in

Lib 8. cap. 12. horto Mediolani] ſub quadam fici arbore proſtratus, dimittens habenas
„ lachrymis, effudit pro continentia preces ad Deum, flens amariſſima
„ contritione cordis. Et ecce [inquit] audio vocem de vicina domo cum
„ cantu dicentis, & crebrò repetentis quaſi pueri an puellæ, neſcio: Tolle
„ lege, tolle lege. Statimque mutato vultu intentiſſimus cogitare cœpi,
„ vtrùm nam ſolerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid,
„ nec occurrebat omnino audiuiſſe me vſpiam. Repreſſoque impetu la-
„ chrymarum ſurrexi, nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, niſi
„ vt aperirem codicem, & legerem quod primum caput inueniſſem. Au-
„ dieram enim de Antonio, quòd Euangelica lectione, cui fortè ſuperue-
„ nerat, admonitus fuerit tanquam ſibi diceretur quod legebatur: Vade,

Matth. 19. vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis,
„ & veni ſequere me: & tali oraculo confeſtim eſſe conuerſum. Itaque
„ concitus redij ad eum locum vbi poſueram codicem Apoſtoli. Arripui,
„ aperui, & legi in ſilentio capitulum, quò primùm coniecti ſunt oculi

Rom. 13. mei: Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impu-
„ dicitijs, non in contentione & æmulatione: ſed induite Dominum Ieſum
„ Chriſtum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcentijs. Nec
„ vltrà volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiuſce ſen-

† for. ſeren tatis. tentiæ quaſi luce † ſecuritatis infuſa cordi meo, omnes dubitationis te-
„ nebræ diffugerunt. &c. Inde ad Matrem ingredimur [ipſe ſcilicet & Ali-
„ pius] indicamus, gaudet: narramus quemadmodum geſtum ſit, exultat

Ephes. 3. & triumphat, & benedicit tibi qui potens es vltrà quàm petimus aut
„ intelligimus, facere: quia tanto amplius ſibi à te conceſſum de me vide-
„ bat, quàm petere ſolebat miſerabilibus flebilibuſque gemitibus. Con-
„ uertiſti enim ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam ſpem
„ ſeculi huius, ſtans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei re-

Pſalm. 29. uelaueras. Et conuertiſti luctum eius in gaudium multo vberius quàm
„ voluerat, & multo charius atque caſtius quàm de nepotibus carnis meæ
„ requirebat. Videmus iam ex his, fidem ac religionem S. Monicæ à Deo ipſo mirabiliter approbatam; & videmus, Auguſtinum ad eandem fidem ac religionem à Deo quoque ipſo (ſicut antè promiſerat) mirabiliter eſſe conuerſum. An volunt nunc, putas, Proteſtantes conſentire nobis, vt iſtam religionem quæ fuerit, inquiramus; & inuentam vtrique, finitis

quæſtio-

quæſtionibus, communiter amplectamur? Nolunt certè, nolunt: quid enim de S. Auguſtino, non minùs quàm de reliquis Patribus, propter conſcientiam contrariæ religionis, ſoleant dicere, quis non meminit? Veruntamen qui ſaluari cupiunt, animaduertunt non eſſe tam temerè contemnendam: vtpote quæ fuerit tunc religio totius quoque Eccleſiæ Catholicæ, & in his duobus, Matre & filio, ſic diuinitus confirmata, vt Hæretici tergiuerſari non poſſint. Quænam igitur fuerit hæc religio, breuiter videamus.

Et quidem quòd fuerit noſtra Religio, ac non Proteſtantium, illorum formido, noſtraque fiducia, intelligentibus ſatis oſtendit: maximeque Scripta S. Auguſtini, his qui ea legunt, euidentiſſimè pleniſſimeque demonſtrant. Nos tamen propter hebetiores & indoctiores paucula annotabimus; nec longiùs (breuitatis cauſa) quàm ad hos ipſos Confeſſionum Libros ibimus; ex his etiam non niſi pauciſſima de plurimis decerpentes. Primum igitur hoc ipſum quod iam vidimus, illum conuerſum eſſe ad perpetuam continentiam obſeruandam, & ab omni ſpe ſeculi huius, idque ad multo vberius gaudium Matris quàm ex conuerſione duntaxat ad fidem Catholicam, cuius (obſecro) religionis eſt; præſertim ſi & alia loca eiuſdem Libri, in quibus de eadem re loquitur, conſulantur? vt quòd paulo priùs retinebant eum cogitationes impudicæ, ſuggerentes ei de actu concubitus hactenus adamato,] Et à momento iſto non tibi licebit vltrà in æternum? [ſed quòd ab alia parte multo magis] " caſta dignitas Continentiæ, honeſtè blandiebatur vt veniret neque du- " bitaret, extendens [inquit] ad me ſuſcipiendum & amplectendum pias " manus plenas gregibus bonorum exemplorum: Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus: & " in omnibus ipſa Continentia nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater fi- " liorum, gaudiorum ſcilicet de marito te Domine. Et irridebat me [Con- " tinentia perpetua] irriſione exhortatoria, quaſi diceret: Tu non po- " teris quod iſti & iſtæ? An verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non " in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in " te ſtas, & non ſtas? Proijce te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet " vt cadas. Proijce te ſecurus, excipiet te & ſaluabit te. [Vnde priùs de ſe " dixerat:] Putabam enim me miſerum fore nimis, ſi fœminæ priuarer amplexibus; & medicinam miſericordiæ tuæ ad eandem infirmitatem ſa- " nandam non cogitabam, quia expertus non eram; & propriarum virium " credebam eſſe Continentiam, quarum mihi non eram conſcius; cùm " tam ſtultus eſſem vt neſcirem, ſicut ſcriptum eſt, Neminem poſſe eſſe

Religio S. Auguſtini quæ fuerit.

Lib. 8. cap. 11.

Continentes Eccleſiæ.

Lib. 6. cap. 11.

Sap. 8.

con-

,, continentem niſi tu dederis. Vtique dares, ſi gemitu interno pulſarem ,, aures tuas, & fide ſolida in te iactarem curam meam. [Nonnulliſque in- ,, terpoſitis:] Et inſtabatur impigrè [inquit] vt ducerem vxorem. Iam pe- ,, tebam, iam promittebatur, maximè Matre dante operam, quo me iam ,, coniugatum Baptiſmus ſalutaris ablueret, quo me in dies gaudebat apta- ,, ri [erat enim iam propè firmus Catholicus] & vota ſua ac promiſſa tua ,, in mea fide compleri animaduertebat. Cum ſanè & rogatu meo & deſi- ,, derio ſuo, forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, vt ei per ,, viſum oſtenderes aliquid de futuro matrimonio meo, nunquam voluiſti. ,, Et videbat quædam vana & phantaſtica, quo cogebat impetus de hac re ,, ſatagentis humani ſpiritus, & narrabat mihi, non cum fiducia qua ſolebat, ,, cùm tu demonſtrares ei, ſed contemnens ea. Dicebat enim diſcernere ,, ſe neſcio quo ſapore, quem verbis explicare non poterat, quid intereſſet ,, inter reuelantem te, & animam ſuam ſomniantem. [Ex quo patet, habuiſſe illam etiam Diſcretionem ſpirituum. Ab iſta igitur incontinentia (& non ſolùm ab hæreſi ad fidem catholicam) conuerſus eſt tandem Auguſtinus illo quem dixi, mirabili modo, ad ſectandam propter Deum perpetuam continentiam: quam Proteſtantes partim dicunt turpiſſimâ impudentiâ omnibus eſſe impoſſibilem, omnino autem non eſſe colendam ,, propter maius apud Deum meritum, in Regno vitæ perpetuæ profuturum, ſed [vt diſputabat † Iouinianus hæreticus] ſolùm propter præſen- ,, tem neceſſitatem, ne homo coniugales patiatur moleſtias. Talis igitur erat iſtorum duorum Religio quoad profeſſionem & meritum Cælibatus. Iam quoad Miſſam, & præſentiam Chriſti in ſacroſancta Euchariſtia, & ſacrificationem eiuſdem, idque non ſolùm pro viuis, verumetiam pro defunctis: apertiſſima ſunt quæ in eodem Libro continentur. Nullum ,, diem [inquit Auguſtinus Deo de Matre ſua] prætermittebat oblationem ,, ad Altare tuum: bis in die, mane & veſpere, ad Eccleſiam tuam ſine vlla ,, intermiſſione veniebat. [Et rurſus quod moriens in Italia dixit Auguſtino & fratri:] Ponite hoc corpus vbicunque [cum antea maximâ curâ ſemper æſtuaſſet de ſepulchro, quod ſibi in Patria preparauerat iuxta corpus ,, viri ſui] nihil vos eius cura conturbet. Tantum illud vos rogo, vt ad Do- ,, mini altare, memineritis mei vbi fueritis. [Cumque paulò poſt mortua ,, eſſet,] corpus, [inquit] elatum eſt, & offerebatur pro ea Sacrificium pretij noſtri. Et hæc quidem † triceſimo tertio anno ætatis Auguſtini. Multo autem poſt illud, iam Epiſcopus, cum Confeſſiones ſcriberet, ecce quid ,, dicat Deo: Sepoſitis pauliſper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens ,, gratias ago; nunc pro peccatis Matris meæ deprecor te, exaudi me per medi-

† *August. Hær. 82.*

Confeſ lib. 9. cap. 9.

Lib. 9 cap. 11.

Cap. 12.

† *Cap. 11.*

Cap. 13.

medicinam vulnerum noſtrorum quæ pependit in Ligno. Dimitte Domine, dimitte obſecro, ne intres cum ea in iudicium. Et credo iam feceris quod rogo: ſed voluntaria oris mei approba Domine. Namque illa imminente die reſolutionis ſuæ non cogitauit ſuum corpus ſumptuoſè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentũ electum concupiuit, aut curauit ſepulchrum patrium. Non iſta mandauit nobis: ſed tantummodo memoriam ſui ad Altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat; vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographũ quod erat contrariũ nobis, qua triumphatus eſt hoſtis cõputans delicta noſtra, & quærens quid obijciat, & nihil inueniens in illo in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem ſanguinem? Quis ei reſtituet pretium quo nos emit, vt nos auferat ei? Ad cuius pretij noſtri Sacramentum ligauit Ancilla tua animam ſuam vinculo fidei. [colens nimirũ illud venerabile Sacramentum religione tanquam Deum. nam vt alibi hic ipſe Auguſtinus ait, Deo vni religamus animas noſtras: vnde Religio dicta creditur.] Sit ergo in pace [inquit] cum viro, antè quem nulli, & poſt quem nulli nupta eſt. Et inſpira, Domine Deus meus, inſpira ſeruis tuis fratribus meis, filijs tuis dominis meis, quibus & voce & corde & literis ſeruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad Altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitam. Meminerint cum affectu pio Parentum meorum: vt quod à me illa popoſcit extremum, vberius ei præſtetur in multorum orationibus, tam per confeſſiones quàm per orationes meas. [Cedò mihi nunc, erant Proteſtantes iſti? imò quid poteſt Proteſtantibus magis eſſe contrarium? Et fuit interim (vt oſtendi) hæc ipſa religio à Deo ipſo mirabiliter cõmendata in Monica; ac mirabiliter ab eodem tum promiſſa multo antè, tum demum impleta in Auguſtino: fuit etiam non ſolùm duorum illorum, ſed (vt ex verbis citatis patet) omnium Sacerdotum & totius Eccleſiæ Religio eadem.

Pſal. 118.

Col. 2.

De ver. Rel. cap. vlt. & 1. Ret. 13.

Neque verò id illo ſolùm tempore, ſed iam inde ab ipſis Apoſtolis. Vnde multo ante Auguſtinum Cyprianus etiam (qui & ipſe, vt in [a] Epiſtolis eius videre eſt, plurimis à Deo Viſionibus commendatus eſt) refert memorabile quiddam huius generis, ex quo generaliter etiam tum obſeruatam eſſe intelligimus celebrationem Miſſarũ, etiam pro defunctis, adeò vt cùm quibuſdam defunctis ſubtraherẽtur, pro grauiſſima vindicta ſit habitũ. Epiſcopi [inquit] anteceſſores noſtri cenſuerunt in Cõcilio, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam Clericum nominaret; ac ſi quis hoc feciſſet, nõ offerretur pro eo, nec Sacrificiũ pro dormitione eius celebraretur. Ne-

[a] Cyp. epiſt. 8. 10. 57.

Epiſt. 66.

» Neque enim [inquit] apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum » prece, qui ab Altari Sacerdotes & miniſtros voluit auocare. [ex quo in- » fert contra quendam nuper defunctum Furnis, dicens Presbyteris & dia- » conibus & plebi eiuſdem loci:] Et ideo Victor de ſæculo excedens cùm » contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam, Geminium Fau- » ſtinum presbyterum auſus ſit tutorem teſtamento ſuo conſtituere, non » eſt quòd pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua » nomine eius in Eccleſia frequentetur: vt Sacerdotum decretum reli- » gioſè & neceſſariè factum ſeruetur à nobis; ſimul & cæteris fratribus de- » tur exemplum, ne quis Sacerdotes & miniſtros Dei, Altari eius, & Ec- » cleſiæ vacantes, ad ſæculares moleſtias deuocet. Obſeruari enim de cæ- » tero poterit, ne vltra hoc fiat circa perſonam clericorum, ſi quod nunc » factum eſt, fuerit vindicatum. [Huius igitur ſanctiſſimi viri & glorioſiſ- ſimi Martyris religionem nobiſcum communem; in hac quidem parte ex his, & in alijs multis partibus ex alijs quæ alibi ſcribit, qui eius Scripta leget intelliget. In quibus & Viſiones eius, cum ipſum tum religionem eius & noſtram diuinitus commendantes, plurimas obſeruabit. vt quòd ex Viſionibus [b] Aurelium & [c] Celerinum Lectores, [d] Numidicum Preſ- byterum ordinauit. & quòd de ſingulari vita clericorum ſine conſortio vllius fœminæ, Domini correptione ſcribere compulſus eſt; [e]] qui miſe- » rum me [inquit] pro veſtra negligentia cum ſeueritate corripiens, man- » dare præcepit, ne clerici cum fœminis commorentur. [Quibus adiungit:] » Et licet hæc admonitio ſola literarum mearum auctoritate ſufficeret, ta- men ne me ſomniatorem irrideat quiſquam, ſicut Ioſeph fratres irriſerunt, » Scripturarum addimus firmitatem. &c. [Quo exemplo vtitur & ad Pu- pianum qui temere credens obtrectatoribus eius nec ſexto poſt ordina- tionem anno habere eum voluit pro Epiſcopo. Cui propterea cum nar- raſſet quandam Viſionem ſuam, dicens; Memini enim quid iam mihi ſit » oſtenſum; imò quid ſeruo obſequenti & timenti, de Dominica & Diuina » auctoritate præceptum, qui inter cætera quæ oſtendere & reuelare di- » gnatus eſt, & hoc addidit: Itaque qui Chriſto non credit Sacerdotem fa- » cienti, poſtea credere incipiet Sacerdotem vindicanti: [tùm ſubiecit:] » Quanquam ſciam ſomnia ridicula & viſiones ineptas quibuſdam videri, » ſed vtique illis qui malunt contra Sacerdotes credere, quàm Sacerdoti. » Sed nihil mirum, quando de Ioſeph fratres ſui dixerunt: Ecce ſomnia- tor ille venit. nunc ergo venite, occidamus illum: & ſomniator poſtea » quod ſomniauerat, conſecutus ſit; & occiſores ac venditores confuſi ſint: » vt qui verbis priùs non crediſſent, factis poſtmodum crederent.

[b] Epiſt. 33. [c] Epiſt. 34. [d] Epiſt. 35. [e] De Sing. Cler. nu. 1. Geneſ. 37. Epiſt. 69. Geneſ. 37.

[Quid, quòd etiam per Viſiones multas Dominum admonuiſſe teſtatur ipſe cum Synodo Epiſcoporum, vt in ſuperiori quadam perſecutione lapſis, ac deinceps pœnitentiam culpæ agere non ceſſantibus, nunc inſtante alia grauiori perſecutione reſiduam pœnitentiam indulgerēt: licet hæc omnis Lutheri tragædia ab Indulgentiarum Pontificiarum contēptu proceſſerit, & eaſdem Proteſtantes nec intelligentes adhuc etiam irridere non deſinant: cùm tamen eæ tam antiquæ, planeque Apoſtolicæ traditionis ſint, & Cypriano iam tum cum cæteris Epiſcopis per cæleſtes Viſiones diuinitus imperatæ. Sed verba Epiſcoporum pulcherrima audiamus: Statueramus quidem iampridem frater chariſſimè [inquiunt Cornelio Romano Pontifici] participato inuicem nobiſcum conſilio, [a] vt qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab aduerſario & lapſi fuiſſent, & ſacrificijs ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam: & [b] ſi periculum infirmitatis vrgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & diuina clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, vt de ſeculo recedentes ſine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur; quando permiſerit ipſe qui legem dedit, vt ligata in terris, etiam in cælis ligata eſſent; ſolui autem poſſent illic, quæ hic priùs in Eccleſia ſoluerentur. [c] Sed enim cum videamus diem rurſus alterius infeſtationis appropinquare cœpiſſe, & crebris atque aſſiduis oſtenſionibus admoneamur, &c: neceſſitate cogente, cenſuimus, eis qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere & lamentari ac Dominum deprecari à primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe; & eos ad prælium quod imminet, armari & inſtrui oportere. Obtemperandum eſt namque oſtenſionibus atque admonitionibus iuſtis. [Et poſt multa rurſus:] Placuit nobis, ſancto Spiritu ſuggerente, & Domino per Viſiones multas & manifeſtas admonente, quia hoſtis nobis imminere prænunciatur & oſtenditur, colligere intra caſtra milites Chriſti; &, examinatis ſingulorum cauſis, pacem lapſis dare: quod credimus vobis quoque paternæ miſericordiæ contemplatione placiturum. [Sicut autem in his teſtatur, indulgentias pœnitentiæ datas propter imminentem vel mortem vel perſecutionem, ita alibi ſæpiſſimè propter alias cauſas, & præſertim rogatu martyrum ſeu confeſſorum, licèt adhuc in carne viuentium: dummodo Epiſcoporum interueniret authoritas, & non eſſent lapſi impœnitentes ac rebelles, ſed eorum eſſet pœnitentia ſatisfactioni proxima. Vnde & in alijs iuſtis cauſis quis non videt poſſe Pontifices (vt ſolent) pœnitentiam relaxare? Si enim olim ad placitum

Indulgentiæ.

Epiſt. 54.

a Pœnitentia plena.

b Indulgentia ſub mortem.

Matth. 18.

c Indulgentia ſub perſecutionem.

Epiſt. 11. 15. 27. 40. 53. 59 & lib. de lapſis.

confeſſorum debitè rogantium Epiſcopi illud inculpabiliter faciebant, quanto rectiùs nunc id faciunt Summi Pontifices, qui vt fideles ac prudentes diſpenſatores, de incomparabili Theſauro meritorū Chriſti (cuius ſunt & merita Sanctorum eius) quantum videtur elargiuntur his qui in domo Domini ſui debitores ſunt pœnitentiæ, ea conditione vt ipſi viciſſim in eandem domum neceſſaria quædam inferant? Poteſtné quicquam rationabilius atque ſalutarius fieri? Non enim noſtra hodie peccata pauciora vel leuiora ſunt, quàm antiquorum; ideoque nec ad minorem agendam pœnitentiam, imò ad multo multoque maiorem nos obligant. Ea tamen eſt mollicies noſtra atque in rebus ſalutem concernentibus dormitantia, vt nec minimam agere velimus pœnitentiam. Quid hic faciat quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? num agere curam noſtrî negligat? aut num theſaurum Domini ſui non diſpenſet, ſed diſſipet & profundat? Ecce oblata eſt illi neceſſaria occaſio fidelis diſpenſationis: Sunt innumerabiles rebelles filij, Hæretici atque Schiſmatici, quorum conuerſionem & ſalutem oratus à ſuis Paterfamilias operari dignabitur. Itaque nobis Diſpenſator: Orate (inquit) pro Hæreticis, ſic & ſic: atque en vobis de meritis Chriſti indulgentia pœnitentiæ tanta vel tanta. O ſapientem prouidentiam, & donatam ſingulis in tempore tritici menſuram! Itaque Proteſtantes dum Indulgentias has tam ſalutares, tam antiquas, tam omni tempore vſitatas & ſolennes damnant, neque illud ob eam cauſam vt agamus plenam pro peccatis pœnitentiam, ſed ne vllius omnino pœnitentiæ atque ſatisfactionis videamur ex peccatis noſtris debitores eſſe: nónne pulchrè conſulunt ſaluti hominum? nónne cum antiquiſſimis atque Apoſtolicis Eccleſiæ moribus bellè conſentiunt? imò Deo ipſi nónne repugnant, qui in Viſionibus interdum mandando Epiſcopis vt donarent pœnitentibus indulgentias, vtraque certè, & ſatisfactiones & indulgentias, approbauit? Conſiderent quæſo hæretici hæc Cypriani teſtimonia, & plura alia eiuſdem generis: dicantque nobis, quid in hodiernis improbent indulgentijs, ſi illas ſemel antiquas probent; imò an non illas tanto magis, quam has, videant ſuis factis eſſe contrarias, quanto illas his ſtrictiores plerumque, quàm has, fuiſſe perſpiciunt: ita vt tunc non ferè ante pœnitentiam ſecundum canones vel actam vel indultam abſolutio culpæ ſit data; cùm nunc Eccleſia, propter iuſtiſſimas quidem cauſas, ſed multò minori cum ſeueritate, primùm ferè abſoluat à culpa; ac deinde pœnitentiam ſecundum Sacerdotis arbitrium agendam relinquat, vel indulgentijs Summi Pontificis cum iuſto moderamine relaxandam.

Luc. 12.

Pauca:

Pauca iam de beatiſſimi Martini, Sancti toto orbe celeberrimi, religione & Viſionibus ex Sulpitio Seuero Diſcipulo eius, auctore notiſſimo, ſubnotemus. Plura de illo in Motiuo viceſimo quinto (erat enim Monachus) Deo iuuante dicentur. Itaque in Dialogo ſecundo Gallus Poſtumiano: Quodam die [inquit] ego & iſte Sulpicius pro foribus illius excubantes, iam per aliquot horas cum ſilentio ſedebamus, ingenti horrore & tremore, ac ſi antè Angeli tabernaculum mandatas excubias duceremus: cùm quidem clauſo cellulæ ſuæ oſtio, nos ibi eſſe neſciret. Interim colloquentium murmur audiuimus, & mox horrore quodam circunfundimur, ac obſtupentes nec ignorare potuimus, neſcio quid fuiſſe diuinum. Poſt duas ferè horas ad nos Martinus egreditur: ac tum eum iſte Sulpicius (ſicut apud eum nemo familiarius loquebatur) cœpit orare, vt perquirentibus indicaret, quid illud diuini fuiſſet horroris, quod fatebamur nos ambo ſenſiſſe, vel cum quibus fuiſſet in cellula collocutus: tenuem enim nos licèt, & vix intellectum ſermocinantium ſonum pro foribus audijſſe. Tum ille diu multumque cunctatus, (ſed nihil erat, quod ei Sulpicius non extorqueret inuito.) (increduliora fortè dicturus ſum, ſed Chriſto teſte non mentior: niſi quiſquam eſt tam ſacrilegus, vt Martinum æſtimet fuiſſe mētitum.) Dicam, inquit, vobis, ſed vos quæſo nulli dicatis. Agnes, Thecla, & Maria mecum fuerunt. referebat autem nobis vultum & habitum ſingularum. Nec verò illo tantùm die, ſed frequenter ſe ab eis confeſſus eſt viſitari: Petrum etiam & Paulum Apoſtolos videri à ſe ſæpiùs, non negauit. Hæc pleriſque in eodem etiam Monaſterio conſtitutis incredibilia videbantur: nedum ego confidam omnes, qui hæc audient, credituros. nec mirum, ſi in operibus Martini infirmitas humana dubitauerit: cùm multos hodieque videamus nec Euangelijs quidem credidiſſe. A Martino autem ſæpè angelos viſos familiariter, & ſenſimus, & experti ſumus. [Nec hos ſolùm, ſed Chriſtum etiam ipſum illi adhuc iuueni & catechumeno apparuiſſe, tam eſt decantatum, vt pauci Catholici ſint qui non quotannis audiant. Partem nempe Chlamydis ſuæ reſectam pauperi nudo tribuerat Ambiani.] Nocte igitur inſecuta, cum ſe ſopori dediſſet, vidit Chriſtum chlamydis ſuæ, qua pauperem texerat, parte veſtitum. Intueri diligentiſſimè Dominum, veſtemque quam dederat, iubetur agnoſcere. mox ad angelorum circunſtantium multitudinem, audit Ieſum clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus, hac me veſte contexit. [An non iam ſapienter ſcilicet faceremus, Religionem huiuſmodi Monachi, his & infinitis alijs ſtupendis modis à Deo probati, eandemque religionem communem illi cum cæteris ſanctis omnibus, ſiue ante eum,

Moti. 25. num. 9. 13. 14. 17.

Seuer. Dial. 2. cap. 14.

Seuer. in Vita B. Mar. cap. 11.

ſiue cum eo, ſiue poſt eum viuentibus, leuiſſimè deſerentes; vt Lutheri ex Monacho deſertoris Apoſtaſiæ crederemus, idque propter argumenta quæ fatetur ipſe Diabolum ſibi contra Miſſam ſuppeditaſſe: vel propter ſomnium Zuinglij Miſſam abrogâtis ex nocturna viſione neſcio cuius, quem ipſe, albus an ater eſſet, neſcire ſe dixit? Certè quibus libet cum ſpiritibus Apoſtaticis ſempiterno igne torqueri, poſſunt animabus ſuis non melius prouidere. Nos interim Religionem vndique certiſſimam virorum tam mirabilium ſtolidè ac ſacrilegè non deſerimus. Et ſi Hæretici tamen nos huiuſmodi iuſtiſſimis perſuaſos Motiuis perſequi non deſinent, ſuſtinemus ac patimur: ecce enim, quorum indubitatæ adhæreſcimus Religioni, illorum erimus per patientiam in æterna gloria conparticipes. Nam id in hoc ipſo Martino ſanctiſſimo dignatus eſt Deus mirabiliter nobis oſtendere. Ipſo enim die qui tranſitum B. Martini ſecutus eſt,

Seue. Epiſt. 2.

ſcripſit in Epiſtola ad Aurelium prædictus Sulpitius, illo mane S. Martinum ſibi in ſomno apparuiſſe, prætextum togâ candidâ, vultu igneo, ſtellantibus oculis, crine purpureo. Arridenſque mihi [inquit] paululum,

Benedictio Epiſcopalis.

Libellum quem de Vita illius ſcripſeram, dextrâ præferebat. Ego ſancta genua eius amplexus, benedictionem pro cõſuetudine flagitabam: ſuperpoſitamque capiti meo manum tactu blandiſſimo ſentiebam, cùm inter Benedictionis verba ſolennia familiare illud ori ſuo Crucis nomen iteraret. Mox in eum luminibus intentis, cùm exſatiari vultu illius conſpectuque non poſſem, ſubitò mihi in ſublime ſublatus eripitur: donec emenſa aëris iſtius vaſtitate, patenti cælo receptus, videri vltrà non potuit. Nec multo pòſt, presbyterum ſanctum Clarum, diſcipulum illius, qui nuper exceſſerat, video eandem, quam Magiſtrum, viam ſcandere. Ego impudens ſequi cupiens, dum altos greſſus molior & connitor, euigilo: ſomnoque excitus, congratulari cœperam Viſioni, cùm ad me puer familiaris ingreditur, ſolito triſtior vultu, loquentis pariter & dolentis. Duo [inquit] monachi modò à Turonis adfuerunt: Dominum Martinum obijſſe nuntiant. Concidi fateor, obortiſque lachrymis fleui vberrimè. quanquam

Sanctorum interceſſio, & benedictio.

ſciam virum illum non eſſe lugendum. Præmiſi quidem Patronum, ſed ſolatium vitæ præſentis amiſi. &c. Non deerit nobis ille, non deerit, intererit de ſe ſermocinantibus, adſtabit orantibus: quodque iam hodie præſtare dignatus eſt, aſſidua benedictione nos proteget. Inde ſecundum ordinem Viſionis, qua cælum ſequentibus ſe patere monſtrauit, quò ſequendus eſſet, edocuit: quò ſpes noſtra tendenda, quò animus dirigendus, inſtruxit. Me quidem ſarcina moleſta prægrauat peccatorum. Spes tamen ſupereſt, illa ſola, illa poſtrema, vt quod per nos obtinere non

poſſumus,

poſſumus, ſaltem pro nobis orante Martino mereamur. Et quidem ſpes «
non vacua, non inanis: quemadmodum mirabilis narratio de Briccio
(quam attexam, quia ad Viſiones etiam B. Martini pertinet) declarabit.
Quodam die [inquit Seuerus] dum in area reſediſſet Martinus, vidit *Dial. 3. cap. 20.*
duos dæmones in excelſa illa quæ Monaſterio ſupereminet, rupe con- «
ſiſtere: inde alacres ac lætos vocem iſtiuſmodi adhortationis emittere: «
Heia te Brictio, heia te Brictio. Credo cernebant miſerum eminus pro- «
pinquantem, conſcij quantam illi rabiem ſpiritus ſuſcitaſſent. Nec mora, «
Brictio furibundus irrupit: ibi plenus inſaniæ, euomuit in Martinum «
mille conuicia. obiurgatus enim pridie ab eo fuerat, &c. Ita igitur in eo «
nequam ſpiritus redundabat, vt ne ſua quidem illi, quamuis vana admo- «
dum, mens ſubeſſet: trementibus labijs, incertoque vultu, decolor præ «
furore, rotabat verba peccati, ſe aſſerens ſanctiorem: quippe qui à pri- «
mis annis in Monaſterio inter ſacras Eccleſiæ diſciplinas ipſo Martino «
educante creuiſſet: Martinum verò & à principio, militiæ actibus ſor- *Inſtigatus à dæmone, cõtra viſiones B. Martini.*
duiſſe, & nunc per inanes ſuperſtitiones & phantaſmata Viſionum ridi-
cula prorſus inter deliramenta ſenuiſſe. Poſt hæc egreſſus, cùm interea,
credo per Martini orationes, fugatis ab illius corde dæmonibus, reductus «
in pœnitentiam, mox reuertitur, atque ad Martini ſe genua proſternit, «
veniam poſcens, fatetur errorem, nec ſine dæmone ſe fuiſſe tandem ſa- «
nior confitetur. Non erat apud Martinum labor iſte difficilis, vt ignoſ- «
ceret ſupplicanti. Tunc & ipſi, & nobis omnibus ſanctus expoſuit, qua- «
liter illum à dæmonibus vidiſſet agitari: ſe conuicijs non moueri, quæ «
magis illi à quo eſſent effuſa, nocuiſſent. Exinde cum idem Brictio mul- «
tis apud eum magniſque criminibus ſæpè premeretur, cogi non potuit, «
vt eum à presbyterio ſubmoueret, ne ſuam perſequi videretur iniuriam: «
illud ſæpè commemorans, Si Chriſtus Iudam paſſus eſt, cur ego non «
patiar Brictionem? [Et tamen hic ipſe Brictio (vt videamus tum quid
valeant orationes B. Martini, tum quòd Propheticæ fuerint Viſiones
eius] poſt exceſſum B. Martini Turonicæ ciuitatis Epiſcopi [vt ſcribit *Greg. Turon. Hiſt. lib. 2. cap. 1.*
Gregorius æquè Turonenſis epiſcopus] ſummi & incomparabilis viri,
de cuius virtutibus magna apud nos volumina retinentur, ad Epiſco-
patum ſuccedit. At verò Briccius iſte [inquit idem] cùm eſſet primæuæ «
ætatis iuuenis, ſancto adhuc Martino viuenti in corpore multas tende- «
bat inſidias, pro eo quòd ab eodem plerumque arguebatur. Quadam au- «
tem die, dum quidam infirmus medicinam à B. Martino expeteret, «
Briccium adhuc diaconum in plateâ conuenit: cui ſimpliciter ait: Ecce «
ego præſtolor beatum virum, & neſcio vbi ſit vel quid operis agat. [cui «

Bric-

„ Briccius,] Si, inquit, delirum illum quæris, proſpice eminus; ecce cælum „ ſolitè ſicut amens reſpicit. Cumque pauper ille occurſu reddito quod „ petierat impetraſſet, Briccium diaconum vir beatus alloquitur: En ego „ Bricci delirus tibi videor? Cumque ille confuſus hæc audiens, dixiſſe „ ſe denegaret, ait vir ſanctus: Nónne aures meæ ad os tuum erant, cùm „ hæc eminus loquebaris? Amen dico tibi, quia obtinui apud Deum, vt „ poſt me ad pontificatus honorem accedas: ſed noueris te in epiſcopatu „ multa aduerſa paſſurum. Briccius hæc audiens, irridebat dicens, Nónne „ verum dixi, iſtum delira verba proferre? Sed & presbyteri honore præ- „ ditus, ſæpiùs beatum virum conuitijs laceſſiuit. Adepto ergo, conſentien- „ tibus ciuibus, pontificatus officio, orationi vacabat. Qui quanquam eſſet „ ſuperbus & vanus, caſtus tamen habebatur corpore. Triceſimotertio „ verò ordinationis eius anno, oritur contra eum lamentabilis cauſa pro „ crimine. Nam mulier ad quam cubicularij eius veſtimenta deferre ſole- „ bant ad abluendum, quæ ſub ſpecie religionis erat veſte mutata, concepit „ & peperit. Qua de re ſurrexit omnis populus Turonorum in iram, & „ totum crimen ſuper Epiſcopum referunt, volentes eum vnanimiter la- „ pidare. Dicebant enim, Diu pietas Sancti tuam celauit luxuriam: nec „ Deus nos diutiùs ſinit manus tuas indignas oſculando, pollui. Illo „ quoque econtrariò viriliter hæc negante, Afferte, inquit, infantem ad „ me. Cumque oblatus fuiſſet infans, triginta dies ab ortu habens, ait ad „ eum Epiſcopus: Adiuro te per Ieſum Chriſtum filium Dei omnipo- „ tentis, vt ſi ego te generaui, coram cunctis edicas. Et ille, Non es, „ inquit, tu pater meus. Populis autem rogantibus, vt quis eſſet pater, „ interrogaret, ait Sacerdos: Non eſt hoc meum. quod ad me pertinuit, „ ſollicitus fui. Vobis ſi aliquid ſuppetit, per vos quærite. Tunc illi magi- „ cis hæc artibus facta aſſeuerantes, inſurgunt contra eum in vna conſpi- „ ratione: & trahentes eum dicebant, Non diutiùs nobis falſo Paſtoris no- „ mine dominaberis. Ille autem ad ſatisfaciendum adhuc populo, prunas „ ardentes in byrrum ſuum poſuit: & ad ſe ſtringens, vſque ad Sepulchrum „ B. Martini, vnà cum populorum turbis accedit. Proiectiſque ante Sepul- „ chrum prunis, veſtimentum eius inuſtum apparuit. Illo quoque ſic „ proſequente, Sicut iſtud veſtimentum ab his ignibus videtis illæſum, ita „ & corpus meum à mulieris coitu eſt impollutum. Illis verò non cre- „ dentibus, ſed contradicentibus, trahitur, calumniatur, eijcitur, vt ſermo „ Sancti adimpleretur: Noueris te in Epiſcopatu multa aduerſa paſſurum.

Primatus Romani Pōtificis. Hoc enim eiecto, Iuſtinianum in epiſcopatu conſtituunt. Denique Briccius Romanæ Vrbis Papam expetijt, flens & eiulans, atque dicens: Meritò

Meritò hæc patior, quia peccaui in Sanctum Dei, & eum delirum & amentem ſæpè vocaui: cuius videns virtutes, non credidi. Poſt cuius abſceſſum, aiunt Turonici Sacerdoti ſuo: Vade poſt eum, & exerce negocium tuum: quia ſi eum proſecutus non fueris, ad noſtrum omnium contemptum humiliaberis. Iuſtinianus verò egreſſus à Turonis, Vercellas Italiæ ciuitatem adgreſſus, obijt peregrinus. Turonici eius obitum audientes, & in ſua malitia perdurantes, Armentium in eius loco conſtituunt. At Briccius Epiſcopus Romam veniens, cuncta quæ pertulerat Papæ refert. Qui ad Sedem Apoſtolicam reſidens, plerunque Miſſarum ſolennia celebrans, inibi quicquid in Sanctum Dei deliquerat, deflendo diluit. Septimo igitur regreſſus anno à Roma, cum auctoritate Papæ illius, Turonos redire diſponit: & veniens ad vicum cuius nomen eſt Laudiacum, ſexto ab vrbe miliario, manſionem accepit. Armentius verò febre corripitur, & media nocte ſpiritum exhalauit. Quod protinus Briccio Epiſcopo per viſum reuelatum eſt. qui ait ſuis: Surgite velociùs, vt ad tumulandum fratrem noſtrum Turonicum pontificem occurramus. Cumque illi venientes portam Ciuitatis ingrederentur, ecce iſtum per aliam portam mortuum efferebant. Quo ſepulto, Briccius in cathedram ſuam regreſſus eſt, ſeptem poſtea feliciter viuens annos. [Num ſatis vident adhuc Proteſtantes, quænam fuerit iſtorum hominum Religio, eademque in eis quantis fuerit certiſſimis viſionibus, alijſque miraculis diuinitus approbata?

Miſſa.

Viſiones porrò (vt ſic vocem) repertiuas, quibus oſtenſa & inuenta ſunt ſacra quædam Religionis noſtræ monimenta, quæ Proteſtantes iterum ſepelire & abolere nituntur, innumeras eſſe norunt qui Veterum Scripta luſtrarunt. Inuentionem enim ſacroſanctæ Crucis Dominicæ per S. Helenam matrem Conſtantini Magni (vt nihil dicam de Signis eiuſdem Crucis tum huic ipſi [a] Conſtantino, tum [b] alijs, vel in cælo vel alibi, mirabiliter & frequenter oſtenſis) quis ferè Veterum non teſtatur? [c] Conſtantinus ipſe Imperator, Euſebius, Ambroſius, Chryſoſtomus cum Theophylacto, Ruffinus, Eutropius, Paulinus, Seuerus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Caſſiodorus, Imperator alius Iuſtinianus, Nicephorus, Simeon Metaphraſtes, præter [f] alios plurimos. Illamque etiam diuinis admonitam [d] viſionibus (quod hîc agimus) opus hoc ſalutare perpetraſſe, iſtorum multi non tacent. Reliquias etiam Sanctorum Chriſti à Deo diutiſſimè ſine corruptione ſeruatas, tandemque in Viſio-

a Euſ. in vita Conſt. lib. 1. cap. 22. 23. Soc. l. 1. c. 1. b Soc. lib. 2. cap. 24. & li. 3. ca. 17. Theod. li. 3. cap. 17. Soz li. 2. c. 2. & li. 4. ca. 4. & li. 5. ca. 12. Naucler. gen. 32. 58. 41. 51. Surius an. 1501. 1502. 1538. Copus Dial. 4. c. 9. 16.

c Conſt. apud Euſ. in vit. li. 2. c. 29. Euſ. in Chron. Amb. de ob. Theod. Chryſ. Hom. 8. in Io. 19. Theop. in Io 19. Ruf. li. 1. ca. 7. 8. Eut. Rerum Rom li. 11. Paul. epiſt. 11. ad Seuer. Seuer. Sac. Hiſt. li. 2. Soc. li. 1. ca. 13. Theod. l. 1. c. 17. 18. Soz l. 2. c. 1. Caſ. Trip. l. 2. c. Iuſt. in Nouel. cõſt. 28. Nic. l. 8. c. 29. Metaph. in vita Helenæ. f Dam in Pent. in Euſebio. Euſeb p. epiſt. 3. d Euſ. in Chron. Ruf. lib. 1. cap. 7. Soc. lib. 1. cap. 13.

nibus reuelatas viris pijs, & ſic inuentas, & venerationi habitas ad infinitam humani generis vtilitatem, atque ad mirabilem propagationem cultus Chriſti, quis Veteres legens vel ignorat, vel gratiſſimo erga Deum animo (niſi qui Chriſtum negauerit) non amplectitur? Nunquid enim incerta aut ignota loquor? De Reliquijs ſanctorum Martyrum Geruaſij & Prothaſij nóminc S. Auguſtinus de Vnit. Eccleſiæ ſcribit:] [e] per totum orbem in Locis Sanctis quæ frequentat noſtra Communio, tanta mirabilia vel exauditionum vel ſanitatum fiunt: ita vt latentia per tot annos corpora Martyrum (quod poſſunt Donatiſtæ à multis interrogantes audire) Ambroſio fuerint reuelata; & ad ipſa corpora Cæcus multorum annorum ciuitati Mediolanenſi notiſſimus oculos lumenque receperit? [Sicut autē hîc illud contra Donatiſtas, ita de Ciuit. Dei idem contra Gentiles narrat, ſe quoque tunc Mediolani fuiſſe cōmemorans: Miraculū [inquit] quod Mediolani factū eſt cùm illic eſſemus, quando illuminatus eſt cæcus, ad multorum notitiam potuit peruenire, quia & grandis eſt ciuitas, & ibi erat tūc Imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt, concurrente ad corpora Martyrū Prothaſij & Geruaſij. Quæ cum laterent & penitus neſcirentur, Epiſcopo Ambroſio per ſomnium reuelata reperta ſunt, vbi cæcus ille depulſis veteribus tenebris diem vidit. [Ipſeque Ambroſius eodem tempore quo geſtum eſt, contra Arianos (& in eis contra Proteſtantes) tractat eleganter ad populū:] Hoc biduo continuatam video ſanctitatis veſtræ celebritatem. cui tamen celebritati veſtræ, qui ſolent inuident. ideoque cauſam celebritatis odêre, atque amentiæ in tantum prodeunt, vt negent Martyrū merita, quorū opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum. ſiquidem tanta eſt incredulorū perfidia, vt tolerabilior ſit diaboli confeſſio. Dicebat enim diabolus, Ieſu fili Dei viui, quid veniſti ante tēpus torquere nos? Et cum hæc audirent Iudæi, ipſi tamen Dei filium denegabant. Et nunc audiſtis clamantes dæmones & cōfitentes Martyribus quod pœnas ferre non poſſint, & dicentes, Quid veniſtis vt antè tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Arriani dicunt, Non ſunt iſti martyres, nec torquere diabolum poſſunt, nec aliquem liberare: [id quod Proteſtantes longè maiori perfidia, non ſolùm de iſtis, ſed de omnibus dicunt martyribus] cum tormenta dæmonū ipſorū voce probentur; & beneficia Martyrū remedijs cæcorum, & abſolutorū indicijs declarentur. Negant cæcum illuminatum: ſed ille non negat ſe ſanatum. Ille dicit, video qui non videbam. ille dicit, Cæcus eſſe deſiui, & probat facto. Iſti beneficiū negant, qui factum negare non poſſunt. Notus homo eſt, publicis cùm valeret mancipatus obſequijs, Seuerus nomine, lanius miniſterio. Depoſuerat officiū, poſtquā inciderat impe-

[e] Aug. de Vnit. Eccl. cap. 16.

De Ciu. Dei lib. 22 c. 8. Et Ret. li. 1. cap. 13.

Ambr. Ser. 91. & Epi. 85.

Matth. 8.

impedimentum. Vocat ad teſtimoniũ homines quorum antè ſuſtentaba- «
tur obſequijs. Eos iudices ſuæ viſitationis accerſit, quos habebat teſtes & «
arbitros cæcitatis. Clamat, quia vt contigit fimbriam de veſte Martyrum, «
qua Sacræ Reliquiæ veſtiuntur, redditũ ſibi lumen ſit. Nónne ſimile illud «
eſt quod in Euangelio legimus (Vnius enim potentiam laudamus autho- *Ioan. 9.*
ris &c.) Iudæos cum viderent in illo cæco ſanitatis remedium, requiſiſſe «
Parentum teſtimoniũ.&c. Deteſtabilior iſtorum quàm Iudæorũ pertina- «
cia.&c. Sed quæro qui non credant, vtrùm [quia non] poſſint à martyribus «
aliqui viſitari? [id quod Proteſtantes aſſerunt. ſed] hoc eſt [inquit,] Chriſto «
non credere. Ipſe enim dixit, Et maiora his facietis: An ab iſtis martyribus, *Ioan. 14.*
quorum merita iamdudum vigent, corpora dudum reperta ſunt? Quæro «
hîc, vtrùm mihi, an ſanctis Martyribus inuideant? Si mihi, nunquid à me «
aliquæ virtutes fiunt: nunquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi «
inuident, quod meũ non eſt? Si Martyribus: oſtendunt alterius fidei fuiſſe «
Martyres quàm ipſi credunt. Neque enim aliter eorũ operibus inuiderent, «
niſi fidem in his fuiſſe eam quàm iſti non habent, iudicarent. &c. Non ac- «
cipio à diabolo teſtimonium, ſed confeſſionem. &c. Dicebat diabolus, vt «
ſcriptum legimus, Scio te quis ſis. tu es filius Dei viui. Dicebant Iudæi, *Luc. 4.*
Neſcimus quis ſit. Dicebant hodie & heri dæmones, Scimus quia martyres *Ioan. 9.*
eſtis. Et Arriani dicunt, Neſcimus, nolumus intelligere, nolumus credere. «
Dicunt dæmones Martyribus, Veniſtis perdere nos? Arriani dicunt, Non «
ſunt dæmonum vera tormenta, ſed ficta & compoſita ludibria. &c. «

Iſtam autem de Arrianis Mediolanenſibus hiſtoriã magis aperit Au-
guſtinus in Cõfeſſionibus, vbi rurſus Viſionis huius Ambroſianæ meminit.
Iuſtina Valentiniani Regis pueri mater, hominẽ tuũ [inquit Deo] Ambro- *Aug. Conf. lib. 9. cap. 7.*
ſium perſequebatur hæreſis ſuæ cauſâ, quâ fuerat ſeducta ab Arrianis. Ex-
cubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cũ Epiſcopo ſuo, ſeruo tuo. Tunc «
hymni & pſalmi vt canerentur ſecundum morem Orientaliũ partium, ne *Cãtus Pſalmorum & Hymnorum.*
populus mœroris tædio cõtabeſceret, inſtitutũ eſt; & ex illo in hodiernum
retentũ, multis iam, penè omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imi- «
tantibus. Tunc memorato Antiſtiti per viſum aperuiſti, quo loco laterent «
Martyrũ corpora, Protaſij & Geruaſij, quæ per tot annos incorrupta in the- «
ſauro ſecreti tui recõdideras, vnde opportunè promeres ad coërcendã ra- «
biem fœmineã, ſed regiam. Cũ enim propalata & effoſſa digno cũ honore «
transferrentur ad Ambroſianã Baſilicã, non ſolùm quos immundi vexabãt «
ſpiritus, cõfeſſis eiſdem dæmonibus ſanabãtur, verumetiam quidam plures «
annos cæcus, ciuitatique notiſſimus, cũ populi tumultuãtis lætitiæ cauſam «
quæſiſſet atque audiſſet, exiliuit, eoque ſe vt duceret, ſuũ ducem rogauit. «

Pſal. 115. Quò perductus, impetrauit admitti, vt ſudario tangeret feretrum pretio-
" ſæ in conſpectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod vbi fecit, atque
" admouit oculis, confeſtim aperti ſunt. Inde fama diſcurrens, inde lau-
" des tuæ feruenter lucentes, inde illius inimicæ animus etſi ad credendi
" ſanitatem non applicitus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt.
" Gratias tibi Deus meus. Eandem reuelationem S. Ambroſij Paulinus
Paul. Epiſt. 12. ad Seuer. etiam commemorat, qui & ab eo de ijſdem Reliquijs donum acceperat, quod de more in ſua quadam Baſilica collocaret. Vnde Altari inſcripſit hos verſus:

Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas,
Martyr & illuſtris ſanguine Nazarius,
Quoſq; ſuo Deus Ambroſio poſt longa reuelat
Secula Prothaſium cum patre Geruaſio.

De Ciui. li. 22. ca 8. Nec minùs teſtatam & probatam reliquerunt Antiqui Inuentionem quoque Reliquiarum S. Stephani Protomartyris glorioſiſſimi. Vnde Au-
Aug. tom. 10. de Diuer. ſer. 34. Eſt in Nouis Ser. 91. guſtinus in Sermonibus Nouis editis Louanij an. 1564. quorum & ipſe De Ciuitate Dei, & Poſſidonius in Indiculo Operum Auguſtini meminerunt: Triumphauit [inquit,] coronatus eſt. Latuit tanto tempore
" corpus eius, proceſſit quando Deus voluit, illuminauit terras, tanta mi-
" racula fecit, mortuus viuos facit mortuos, quia nec mortuus. Ergo hoc
" commendo charitati veſtræ, vt ſciatis quod eius orationes multa impe-
" trant, non tamen omnia. Nam inuenimus etiam in Libellis qui dantur,
" fuiſſe illi difficultates impetrandi, & accepiſſe tamen poſtea beneficium
" non deficiente ſupplicis fide. Non ceſſatum eſt, oratum eſt, & dedit
" poſtea Deus per Stephanum. Sunt verba orantis Stephani, & reſpon-
" ſum eſt illi, Pro qua oras, non eſt digna, hoc & hoc fecit: & tamen in-
" ſtitit, rogauit, accepit. Dedit nobis intelligere, quia in cuius nomine fa-
" ciebat, antequam carnem deponeret, in eius nomine faciunt orationes
" eius vt beneficia impetrentur, quibus nouit ea dari debere: ille autem
Ib. Ser 38. In Nouis, 94. tanquam ſeruus orat. [Et rurſus de eadem inuentione, cum alia hiſtoria memorabili:] Sciunt multi, quanta Miracula per beatiſſimum martyrem
" Stephanum in ciuitate Italiæ Ancona fiant. Et audite quod miremini:
" Memoria [id eſt, Reliquia] eius antiqua ibi erat, & ipſa eſt ibi. Sed for-
" taſſe dicis, Corpus eius nondum apparuerat, memoria ibi vnde erat?
" Latet quidem cauſa, ſed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo chari-
Act. 7. " tati veſtræ. Quando lapidabatur ſanctus Stephanus, aliqui etiam inno-
" centes, & maximè de ijs qui iam in Chriſto crediderant, circunſtabant:
" dicitur lapis veniſſe in cubito, & excuſſus inde veniſſe ante quendam re-
ligioſum,

ligioſum. Tulit illum, & ſeruauit. Homo erat de nauigantibus; ſors nauigationis attulit illum ad littus Anconæ, & reuelatum eſt illi ibi debere reponi Lapidem illum. Ille obediuit reuelationi, & fecit quod iuſſum eſt. & ex illo cœpit ibi eſſe Memoria S. Stephani, & rumor erat, quia brachium S. Stephani ibi eſt, neſcientibus hominibus quid contigiſſet. Verùm autem intelligitur propterea ibi fuiſſe reuelatum, vt ibi [id eſt, Anconæ] poneret Lapidem qui de cubito Martyris excuſſus eſt, quia Græcè cubitum *ancon* dicitur. Sed qui ſciunt quæ ibi miracula fiant, ipſi nos doceant. Non ibi cœperunt fieri iſta miracula, niſi poſteaquam corpus S. Stephani apparuit. Ecce ibi non eſt curatus iſte iuuenis, vt noſtris oculis ſeruaretur. [Loquitur autem de quodam Paulo qui Hippone ad reliquias S. Stephani in Baſilica Auguſtini tum ſanatus ab horribili omnium membrorum tremore (quem cum nouem fratribus maledictus à Matre incurrerat, Deo ſic eorum erga matrem inobedientiam vindicante) dederat libellum de more recitandum, in eoque dixerat :] Ex nobis autem omnibus decem fratribus, [patria eorum fuit Cæſarea Cappadociæ, vbi S. Baſilius erat Epiſcopus] qui naſcendi quoque ordine primum ſequitur, ad glorioſi martyris Laurentij memoriam, quæ apud Rauennam nuper collocata eſt, ſicut audiuimus, meruit ſanitatem. Ego autem qui naſcendi ordine ſum ſextus illorum, cum hac ſorore mea [Palladiam nominat Auguſtinus de Ciuitate Dei] quæ me ætate ſubſequitur, vbicunque gentium, vbicunque terrarum loca eſſe ſacra in quibus Deus operaretur miracula, comperiſſem, magno deſideratæ ſanitatis amore carpebam iter. Sed vt de cæteris celeberrimis Sanctorum locis taceam, ad Anconam Italiæ ciuitatem, vbi per glorioſiſſimum martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perueni. Sed ideo ibi curari non potui, quia huic loco diuina prædeſtinatione ſeruabar. Nec Vzalim ciuitatem Africæ prætermiſi, vbi B. Martyr Stephanus magna prædicatur frequenter operari. Veruntamen ante hos tres menſes, id eſt, Calendarum † Iuniarum die, tam ego quàm ſoror mea, quæ hîc mecum eſt eâdem adhuc paſſione detenta, euidenti ſumus viſione commoniti. Ait enim mihi quidam aſpectu clarus, & candido crine venerabilis, quòd intra tertium menſem deſiderata eſſet mihi ſanitas affutura: Sorori autem meæ in Viſione ſanctitas tua [ad Auguſtinum epiſcopum ſermonem dirigit] in ea effigie, in qua te præſentes videmus, apparuit: per quod nobis ſignificatum eſt, ad iſtum locum nos venire debuiſſe. Nam & ego beatitudinem tuam ſæpiùs poſtea videbam per alias ciuitates in itinere quo veniebamus, talem prorſus, qualem modò conſpicio. Admoniti

Nota antiquitatem iſtius religionis.

lib. 22. cap. 8.

† Ianuariarum.

Auguſtinus viſus.

» ergo euidenti auctoritate diuina, ad hanc venimus ciuitatem ante dies fer-
» mè quindecim. &c. Orabam ego quotidie cum magnis lachrymis in loco
» vbi eſt memoria glorioſiſſimi Stephani. Die autem Dominico Paſchæ, ſicut
» alij qui præſentes erant viderant, dum orans cum magno fletu cancellos
» teneo, ſubitò cecidi. Alienatus autem à ſenſu, vbi fuerim neſcio. Poſt pau-
» lulum aſſurrexi, & illum tremorem in corpore meo non inueni. Huic
» itaque tanto Dei beneficio non ingratus, hunc libellum obtuli: vt & pro
» mea ſorore orare dignemini, & pro me agere Deo gratias. [Deuotiſſima
» ſunt quæ poſt huius libelli recitationem Auguſtinus dixit ad populum;
» vbi inter cætera quæ modò citaui:] Nos autem, fratres [inquit] ſatagamus
» Domino Deo noſtro gratias referre pro illo qui ſanatus eſt; & pro illa quæ
» adhuc tenetur, preces fundamus. Benedicamus Deum, qui nos dignos
» habuit, vt hoc videremus. Quid enim ſumus, quia ego iſtis apparui neſ-
» ciens? Illi me videbant, & ego neſciebam: & admonebantur vt ad iſtam
» ciuitatem venirent. Quis ſum ego? Homo ſum vnus de multis, non de
magnis. [Præceperat autem poſt recitatum libellum, & ante Sermonem
Lib. 22. cap. 8. (vt De Ciuitate Dei ait) eos de conſpectu populi abire. fecerat enim ſtare
ambos in gradibus Pulpiti, cum legeretur Libellus.] Illa igitur vbi de gra-
» dibus deſcendit, in quibus ſteterat, ad ſanctum martyrem orare perrexit.
» Quæ mox vt cancellos attigit, collapſa ſimiliter [vt perendie frater] ve-
» lut ad ſomnum, ſana ſurrexit. &c. Tum verò tantus ab vtroque ſexu ad-
» mirationis clamor exortus eſt, vt vox continuata cum lachrymis non vi-
» deretur poſſe finiri. &c. Exultabant in Dei laudem voces ſine verbis,
» tanto ſonitu, quantum aures noſtræ ferre vix poſſent. Quid erat in cor-
» dibus exultantium, niſi fides Chriſti, pro qua Stephani ſanguis effuſus
eſt? [Iſtas igitur tam miraculoſas tamque glorioſas reliquias S. Stephani,
ſua ætate inuentas eſſe, D. Auguſtinus per hæc teſtatur: quemadmodum
Soz. lib. 9. cap. 16. & Sozomenus in fine Hiſtoriæ ſuæ. Modum autem mirificum quo re-
pertæ ſunt, licet videre in Epiſtola Luciani Presbyteri Hieroſolymitani,
Vide in Breuiario Feſtum Inuentionis S. Stephani, Auguſt. 3. cui reuelatæ ſunt, quemque Gennadius etiam in Catalogo teſtatur ſcrip-
ſiſſe Græcè hiſtoriam Inuentionis ipſarum. Edita autem eſt illa Epiſtola
Louanij anno 1564 à Ioanne Vlimmerio, vnà cum Sermonibus Nouis S.
Auguſtini (quorum iam memini) & Epiſtola Auiti, & duobus libris
Euodij Vzalenſis Epiſcopi (cuius ſæpè meminit Auguſtinus) de Signis
S. Stephani. Sancti autem Gamalielis reuelantis dicto Presbytero corpora
S. Stephani, S. Nicodemi, ſuum, & aliorum, & iam tertiò apparentis, ver-
In Epiſt. Luciani. ba in præfata Epiſtola ſunt iſta:] Exurge igitur, & vade ad Epiſcopum,
& dic illi, vt aperiat nobis, & faciat locum orationis, vt interceſſione

noſtra

noſtra miſereatur Dominus populo ſuo. [Multorum aliorum Sanctorum inuentiones huiuſmodi miraculoſas atque diuinas, ex huiuſmodi poſſem indubitatis authoribus recitare. Sed me prolixitas terret; & in his tribus Hiſtorijs, nimirum Crucis Dominicæ, & Reliquiarum ſanctorum martyrum Geruaſij & Protaſij, atque ſanctiſſimi protomartyris Stephani, ſatis euidenter vident omnes, noſtram fuiſſe, & non Proteſtantium, Religionem, quæ & illis primæuis tẽporibus erat ſanctiſſimorum virorũ cum Chriſtianis omnibus; eamdemque à cæleſtibus ciuibus, & à Deo ipſo fuiſſe mirabiliter cõprobatã: proptereaque nullam habuiſſe cauſam Proteſtantes, cur Reliquias iſtiuſmodi diuinitus reuelatas, tantiſque miraculis coruſcantes, per ſacrilegam audaciam atque perfidiam iterum abolerent. Tam innumerabilium enim Sanctorum, ipſiuſque Dominicæ Crucis Reliquijs in conſpectu Dei pretioſiſſimis, quas illi vel in Gallia (vbi nec ſanctiſſimorum Irenæi, Hilarij, Martini corporibus pepercerunt) vel in Anglia, vel in Scotia, vel in Germania, vel alibi tradidere flãmmis & aquis, his (inquam) tam ſacris pignoribus nunquid ſuperſtitioſè abuſi ſumus? vel nunquid iſta abuſibus adhibere ſolent Chriſtiani remedia, vt res ipſæ ſacrilegè tollantur è medio? Imò nunquid Reliquijs aliter vſi ſumus, quàm prædicti maiores noſtri, quibus ſic prorſus vtendæ à Domino ſunt oſtenſæ? Reuera aliter vſi ſumus, ſed & aliter vtimur. væ enim peccatis noſtris. Non quidem ſuperſtitioſè, vt mentiuntur Hæretici; ſed nec religioſè, vt debuimus, res tam ſacras habuimus: quin imò eas nimis irreligioſè contempſimus, & contemnimus: ideoque vt eas aperuit deuotioni S. Helenæ, S. Ambroſij, & aliorum ſanctiſſimorum Maiorum noſtrorum, ita noſtræ indignitati eaſdem rurſus eripi per ſacrilegos hæreticos patitur: non ſolùm autem illas, verumetiam totam religionem fidemque catholicam. Vtinam autem pro pietate ſua & pro meritis Chriſti ſui Sanctorumque eius deſinat tandem facere nobis ſecundum peccata noſtra; & ad Apoſtolorum, Patrum, cæterorumque Sanctorum vnitatem, fidem ac religionem, cunctorum corda conuerteret.

Sur. anno 1562.

Cui vt magis adhuc propter Viſiones duntaxat perſpiciant Hæretici ſibi eſſe meritò connitendum, de ſacroſancta Miſſa (licet abundè ſufficiant quæ in Monica & Auguſtino & alijs ſuprà inde annotaui) pluſculum adijciam: maximè, quia video (quod flens commemoro) fieri id in patria mea olim florentiſſima atque ſanctiſſima, nunc heu nimium deſolata (ſicut & in cæteris Hæreticorum regnis) quod olim Auguſtinus ſapienter & gra-

Auguſt. ep. 180. de fuga in perſecutione. & grauiter annotauit:] Diabolus plerumque fideles Apoſtatas eſſe perſuaſit, quibus quotidianum miniſterium Dominici corporis defuit. [Sicut igitur ne hoc contingat, hortatur ibi Sacerdotes, ne fugiant omnes in perſecutione, & plebem deſerant ſibi commiſſam; ſed maneant potiùs, contempto etiam vitæ periculo, quò huic quotidiano cæteroque neceſſario ſufficiant miniſterio, vt queant Chriſtiani (quod ſuprà in Matre ſua
Confeſſ. li. 9 cap. 13. ſanctiſſima laudauit) Altari, vbi offertur Sacrificium pretij noſtri, ſine vllius diei prætermiſſione ſeruire, animas ſuas, ne excidant, ibi ligantes: [ita multum hìc iuuabit, narrationem quandam S. Gregorij Papæ irrefra-
Greg. Dial. lib. 4. cap. 56. gabilem plurimùm ponderare. Habet autem eam & in Dialogis: ſed fuſiùs ſuper Euangelia; tractans illud quod eſt apud Lucam de Rege contra
Hom. 27. in Euang. Luc. 14. Regem, qui adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ
,, pacis ſunt. Vbi Gregorius: Longè [inquit] eſſe dicitur, qui adhuc præ-
,, ſens per iudicium non videtur. [Et,] Penſate fratres quàm benignum ſit,
,, quòd is qui ſuo aduentu valet opprimere, tardat venire. Mittamus ad
,, hunc legationem flendo, tribuendo, ſacras hoſtias offerendo. Singula-
,, riter namque ad abſolutionem noſtram oblata cum lachrymis & beni-
,, gnitate mentis ſacri Altaris hoſtia ſuffragatur: quia is qui in ſe reſurgens
Rom. 6. ,, à mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in ſuo Myſterio pro nobis
,, iterum patitur. Nam quoties ei hoſtiam ſuæ Paſſionis offerimus, toties
,, nobis ad abſolutionem noſtram, Paſſionem illius reparamus. [Ibique
,, præmiſſo ſtupendo Miraculo circa quendam captiuum,] pro quo iam ve-
,, lut mortuo hoſtias hebdomadibus ſingulis vxor eius curabat offerri: cuius
,, toties, vincula ſoluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniuge oblatæ
,, fuiſſent hoſtiæ pro animæ eius abſolutione: [quemadmodum multo pòſt
Bed. Hiſt. lib. 4. cap. 22. Anno 679. factum eſt etiam in Anglia noſtra in fratre cuiuſdam Abbatis, vt narrat Beda: Poſt hoc igitur Miraculum incipit S. Gregorius narrare Viſionem (quam volo) non minùs certam, quàm mirabilem: Multi [inquit] ve-
,, ſtrûm fratres chariſſimi Caſſium Narnienſis vrbis Epiſcopum nouerunt:
,, cui mos erat quotidianas Deo hoſtias offerre, ita vt pænè nullus dies vitæ
,, eius abſcederet, quo non omnipotenti Deo hoſtiam placationis immo-
,, laret. Cui cum Sacrificio valde etiam concordabat vita. Nam cuncta
,, quæ habebat, in eleemoſynis tribuens, cum ad horam offerendi Sacrificij
,, veniſſet, [ſeu, inter ipſa Sacrificiorum arcana] velut totus in lachrymis
,, defluens, ſemetipſum cũ magna cordis contritione mactabat. [quod idem & de S. Cuthberto noſtro, Monacho & Epiſcopo Lindisfarnenſi, refert
Bed. in vita S. Cutbert. cap. 16. Beda, alludens quoque ad hanc ipſam Gregorij de S. Caſſio narrationem.
,, Tantum enim [inquit] compunctioni erat deditus, tantum cæleſtibus erat de-

erat deſiderijs, vt Miſſarum ſolennia celebrans nequaquam ſine profuſio- *Idem Hiſt.*
ne lachrymarum implere poſſet officium. Sed congruo ſatis ordine dum *Ang. lib. 4.*
Paſſionis Dominicæ myſteria celebraret, imitaretur ipſe quod ageret, ſe- *cap. 28.*
ipſum videlicet Deo in cordis contritione mactando. [Vir certè tam ap- "
probatus Deo infinitis tum in vita tum poſt mortem miraculis, vt] tranſ- "
actis ſepulturæ eius annis vndecim, [aperto ſepulchro eius propter Leua- *In vita ca.*
tionem (de more Eccleſiæ) ſanctorũ oſſium,] inuentum ſit corpus totum, *42.*
quaſi adhuc viueret, integrum, & flexibilibus artuum compagibus multò *In Hiſt lib.*
dormienti quàm mortuo ſimilius: ſed & veſtimenta omnia quibus indu- *4. cap. 30.*
tum erat, non ſolùm intemerata, verumetiam priſca nouitate & claritudi- "
ne miranda parerent. [De quo ipſo teſtatur Dialogus tertius Alani Copi "
noſtri quod eſt adhuc multo admirabilius. Nam] eius nuper [inquit, ſcili-
cet poſt octingentos etiam annos] in Anglia corpus integrum repertum *Cop. Dial.*
vir quidam magnæ doctrinæ & venerandæ grauitatis mihi ex illius teſti- *3. cap. 29.*
monio indicauit, qui beatas Cuthberti Reliquias ipſe fide dignus conſpe- "
xerat. [Illachrymationem autem iſtam deuitorum in celebratione Miſſa- "
rum, quanta etiam Cyprianus ipſe cum verborum tum ſpiritus ſuauitate
commemorat; vt Panem iſtum Angelorum omne delectamentũ habere
demonſtret, & omnium exuperare dulcedinum voluptates! Vide [inquit] *Sap. 7.*
quo modo his qui Chriſti commemorant Paſſionem intra Sacra Officia, *Cyp. de Cœ-*
quaſi per quoſdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, *na Dom.*
& ſuper omnes delicias lachrymis nectareis anima delectatur; quantam *num. 5.*
ſuauitatem animæ inquirenti vbi ſit Deus ſuus, ſuſpiria contemplatio- "
nis eliciant. [& cætera ibi multa hac de re, quæ dimitto, ne longiùs me "
ab inſtituta de Caſſio narratione abducant. Proſequitur ergo Grego- "
rius, dicens de eo: Cuius & vitam & exitum à quodam venerabilis vitæ "
Diacono qui fuerat ab eo nutritus, referente cognoui. Aiebat enim, "
quòd quadam nocte, eius presbytero per viſum Dominus aſtitit, di- "
cens: Vade & dic Epiſcopo: Age quod agis, operare quod operaris, non "
ceſſet pes tuus, non ceſſet manus tua; Natali Apoſtolorum [id eſt, feſto "
SS. Petri & Pauli] venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. "
Surrexit Presbyter; ſed quia è vicino Apoſtolorum Natalitius dies im- "
minebat, tam propinqui exitus diem Epiſcopo nunciare pertimuit. "
Alia nocte Dominus redijt, eiuſque inobedientiam vehementer incre- "
pauit, atque eadem iuſſionis ſuæ verba retexuit. Tunc Presbyter "
ſurrexit vt pergeret: ſed rurſus infirmitas cordis impedimento facta "
eſt indicandæ reuelationis: & ad admonitionem quoque iteratæ iuſ- "
ſionis obduruit pergere; & quæ viderat, manifeſtare neglexit. "

LL Sed

» Sed quia magnam manſuetudinem contemptæ gratiæ maior ſequi ſolet
» ira vindictæ, viſione tertia Dominus apparens, iam verbis addidit ver-
» bera; & tam diſtricta cæde mactatus eſt, vt in eo duritiam cordis emol-
» lirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad
» Epiſcopum, cumque iam ex more iuxta B. Iuuenalis martyris Sepul-
» chrum ad offerendum Sacrificium conſiſtentem reperit, ſecretum à cir-
» cunſtantibus petijt, ſeque eius pedibus ſtrauit. Cumque eum vbertim
» flentem Epiſcopus vix ad ſe leuare potuiſſet, lachrymarum cauſas cognoſ-
» cere ſtuduit. Ille verò relaturus ordinem Viſionis, prius veſtimento ex
» humeris deuoluto, detexit plagas corporis, vt ita dicam, teſtes veritatis
» & culpæ; monſtrauit quanta animaduerſione diſtrictionis membra illius
» accepta verbera liuore inflicto ſulcauerant. Quæ mox vt Epiſcopus vi-
» dit, exhorruit, & quis talia facere præſumpſiſſet, cum magnæ obſtupe-
» factionis vocibus inquiſiuit: At ille reſpondit, hæc ſe pro ipſo fuiſſe per-
» peſſum. Excreuit cum terrore admiratio: ſed nullas iam Presbyter in-
» quiſitioni eius moras adijciens, ſecretum reuelationis aperuit, eique iuſ-
» ſionis Dominicæ ea quæ audierat verba narrauit, dicens: Age quod agis,
» operare quod operaris, non ceſſet manus tua, non ceſſet pes tuus: Na-
» tali Apoſtolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Qui-
» bus auditis Epiſcopus ſe in orationem cum magna cordis contritione
» proſtrauit; & qui oblaturus Sacrificium ad Horam Tertiam venerat, hoc *Hora canonica.*
» pro extenſæ orationis magnitudine, ad Horam Nonam vſque protelauit.
» Atque ex illo iam die magis magiſque aucta ſunt ei lucra pietatis. Factuſ-
» que eſt tam fortis in opere, quàm certus ex munere: quippe qui eum cui
» ipſe debitor fuerat, ex ea promiſſione iam cæperat habere debitorem.
Peregrinatio Romana. Huic autem conſuetudo fuerat, annis ſingulis Natalitio Apoſtolorum
» die Romam venire. Iamque ex hac reuelatione ſuſpectus, venire iuxta
» morem noluit. Eodem ergo tempore ſolicitus fuit; ſecundo quoque
» anno, vel tertio in mortis ſuæ expectatione ſuſpenſus, quarto, quinto-
» que, & ſexto ſimiliter. Qui deſperare iam de veritate reuelationis pote-
» rat, ſi verbis fidem verbera non feciſſent. Cùm ecce anno ſeptimo vſque
» ad expectati Natalis ſacras vigilias incolumis peruênit: ſed leuis hunc in
» Vigilijs calor attigit: atque ipſo die Natalitio filijs ſuis ſe expectantibus,
» Miſſarum ſolennia implere ſe poſſe recuſauit. Illi verò qui de eius erant
» pariter egreſſione ſuſpecti, ſimul ad eum omnes venerunt, ſeſe vnani-
» miter adſtringentes, vt die eodem nequaquam acquieſcerent Miſſarum
» ſolennia celebrari, niſi pro eis apud Dominum idem Antiſtes ſuus inter-
» ceſſor accederet. Tunc ille compulſus, in Epiſcopij Oratorio Miſſas fecit,

& manu

& manu ſua Corpus Dominicum pacemq́ue omnibus tribuit. Qui cuncto miniſterio oblati Sacrificij peracto, ad lectulum redijt, ibique iacens, dum ſacerdotes ſuos ac miniſtros circumſtetiſſe cerneret, quaſi vale vltimum dicens, de ſeruando eos vinculo charitatis admonebat, & quanta debuiſſent concordia inter ſe vniri, prædicabat. Cùm ſubitò inter ipſa ſanctæ exhortationis verba, voce terribili clamauit, dicens: Hora eſt. Moxque aſſiſtentibus ipſe manibus ſuis linteum dedit, quod ex more morientium, ſibi contra faciem tenderetur. Quo tenſo, ſpiritum emiſit: ſicq́ue ſancta illa anima ad gaudia æterna perueniens, à carnis corruptione ſoluta eſt. Quem fratres chariſſimi, quem vir iſte in morte ſua imitatus eſt, niſi eum quem in vita ſua fuerat contemplatus? Dicens enim, Hora eſt, de corpore exijt: quia & Ieſus peractis omnibus cum dixiſſet, Conſummatum eſt, inclinato capite tradidit ſpiritum. *Ioan. 19.* Quod ergo Dominus ex poteſtate, hoc egit famulus ex vocatione. [Ac tum infert:] Ecce quotidianæ hoſtiæ illa cum eleemoſynis & lachrymis miſſa legatio, quantam cum Rege veniente gratiæ pacem fecit. Relinquat ergo omnia qui poteſt. Qui autem relinquere omnia non poteſt, cùm adhuc longè eſt Rex, legationem mittat; lachrymarum, eleemoſynarum, Hoſtiarum munera offerat. Vult enim placari precibus, qui ſcit quia portari non poſſit iratus.

[Tanti iam viri conſilium hoc ſalutiferum, Viſione roboratum tam certa, tam Diuina, vt inter cætera ex coniuncta apparet prophetia, ſeptennio pòſt impleta, quis ſapiens, quis ſaltem credens illum Regem aduenire, non ſequatur potiùs quàm deſerta Religione hac Chriſtiana atque Catholica animam ſuam prodat dæmonibus cum Hæreticis? Et iſta quidem Viſio quotidianas commendat nobis Miſſas, vt vel celebrare eas vel (ſecundum Matrem S. Auguſtini) intereſſe eis ſine vllius diei prætermiſſione velimus. Hanc autem alia præcedit in Dialogis eiuſdem S. Gregorij Viſio æquè indubitata, æquè mirabilis, qua nobis earundem etiam pro defunctis (& id quoque ſecundum Auguſtinum atque Matrem vt iam oſtendi, & ſecundum totam ſemper Eccleſiam) quotidiana oblatio perſpicuè commendatur. Eratq́ue in hac hiſtoria Gregorius ipſe actor. de quo viro qui humiliter & abiectè ſentit (nihil enim de Hæreticorum malitia diabolica dicam) profectò ignorat eum. Sufficiat nunc hoc ſolum de eo commemoraſſe, iſto maximè Viſionum loco, quòd [a] bis ei apparuit ſanctus Angelus, & bis ipſe Angelorum & omnium dominator Dominus. Hic igitur vir mirificus refert, [b] quòd in Monaſterio ſuo quidam Monachus Iuſtus nomine, extrema decumbens ægritudine, indicauit fratri ſuo germano nomine Copioſo, viro ſeculari, quòd occultatos tres

[a] Ioan. Diaconus in vita, lib. 1. cap. 10. & lib. 2. cap. 22. 23.
[b] Gregor. Dial. lib. 4. cap. 55.

» aureos haberet. Quod mox vt mihi nuntiatum eſt [inquit Gregorius] tantum malum de fratre noſtro, æquanimiter ferre non valui: quia eiuſdem mei Monaſterij ſemper regula fuerat, vt cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus eis ſingulis nulla habere propria liceret. [Excogitauit igitur vir ſanctiſſimus conſilium prudens, quo & Iuſtus adduci poſſet, adductuſque eſt ad pœnitentiam facti, & cæteri Monachi à ſimili culpa committenda deterrerentur. Erat autem illud, partim vt ſolus carnalis frater eius morienti adeſſet: à quo vt cauſam cognouit, cur eum deſeruiſſent fratres,] de reatu ſuo vehementer ingemuit, atque ipsâ ſuâ triſtitiâ è corpore exiuit: [partim vt monachi corpus eius in ſterquilinio ſepelirent vnà cum

Act 8. tribus aureis, omnes ſimul clamantes,] Pecunia tua tecum ſit in perditione. [Sed cum poſt mortem eius triginta iam eſſent dies deuoluti, cœpit animus meus [inquit Gregorius] defuncto fratri cõpati, eiuſque cum dolore graui ſupplicia penſare, & ſi quod eſſet ereptionis eius remediũ quærere. Dixi igitur præpoſito Monaſterij mei triſtis; Vade, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium ſtude, vt nullus omnino prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur. Qui protinus abſceſſit, & dictis paruit. [Et ecce quid ſecutũ ſit:] Nobis autem [inquit] alia curantibus atque dies euolutos non numerantibus, idem frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri ſuo germano Copioſo per viſionem apparuit. Quem ille cùm vidiſſet, inquiſiuit dicens: Quid eſt frater, quomodo es? Cui reſpondit: Nunc vſque malè fui, ſed iam modò bene ſum: quia hodie cõmunionem recepi. Quod idem Copioſus pergens protinus indicauit fratribus in Monaſterio. Fratres verò ſolicitè cõputauerũt dies: & ipſe dies extiterat quo pro eo triceſima oblatio fuerat impleta. Cũque & Copioſus neſciret quid pro eo fratres agerent, & fratres ignoraſſent quid de illo Copioſus vidiſſet: vno eodemque tempore dum cognoſcit ille quid iſti egerant, atque iſti cognoſcũt quid ille viderat; concordante ſimul Viſione & Sacrificio, res apertè claruit, quia frater qui defunctus fuerat, per ſalutarem hoſtiam euaſit ſupplicium.

Quanquam autem videam, neminem vllo modo æquum iudicem qui hæc omnia legat, ampliùs dubitaturum vel quæ fuerit iſtorum hominum ac temporum Religio, vel vtrum ea non fuerit ſatis diuinis Viſionibus confirmata: tamen patientia Lectoris me adhuc modicum ſuſtinebit, quaſdam etiam meæ Gentis Viſiones memorantem. Vnam autem ſolam ex antiquitate referam: cæteræ huius erunt temporis. Quoniamque iuuat Proteſtantes multa de Apoſtolis iactitare, ſpero equidem quòd principibus Apoſtolorum Petro & Paulo acquieſcent. Refert igitur Beda, in quodam Mo-

dam Monaſterio Suſſexiæ iam tum incipientis baptizari, nonnulla mirabilia oſtenſa fuiſſe: è quibus [inquit] vnum, quod mihi reuerendiſſimus antiſtes Acca ſæpius referre, & à fideliſſimis eiuſdem Monaſterij fratribus ſibi reuelatum aſſerere ſolebat, memoriæ mandare commodum duximus. *Bed. Hiſt. Ang. lib. 4. cap. 14. Monaſterium.*

Eodem fermè tempore quo ipſa Prouincia [Auſtralium Saxonum] nomen Chriſti ſuſceperat, multas Britanniæ prouincias mortalitas ſæua corripiebat: quæ cum præfatum quoque Monaſterium, cui tunc regendo reuerendiſſimus ac religioſiſſimus Chriſti ſacerdos vocabulo Eappa præfuit, nutu diuinæ diſpenſationis attingeret, multiquè paſſim de hac vita raperentur, viſum eſt fratribus triduanum ieiunium agere, & Diuinā ſuppliciter obſecrare clementiam, vt miſericordiam ſibi dignaretur impendere: ſiue periclitantes hoc morbo à præſenti morte liberaret, ſeu raptos è mundo à perpetua animæ damnatione ſeruaret. Erat tunc temporis in eodem Monaſterio puerulus quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate, non pauco tempore recubans in lectulo iacebat. Cum ergo ſecunda memorati Ieiunij ac Supplicationum dies ageretur, contigit fortè ipſum puerum horâ fermè ſecundâ diei in loco in quo æger iacebat ſolum inueniri: cui Diuina diſpenſatione ſubitò beatiſſimi Apoſtolorum Principes dignati ſunt apparere. Erat enim puer multum ſimplicis ac manſueti animi, ſynceraque deuotione Sacramenta fidei quæ ſuſceperat, ſeruans. Salutantes ergo illum verbis pijſſimis Apoſtoli dicebant: Noli timere fili mortem, pro quo ſolicitus es: nos enim te hodierna die ad cæleſtia regna ſumus perducturi. Sed primùm expectare habes, donec Miſſæ celebrentur, ac Viatico Dominici Corporis ac Sanguinis accepto, ſic infirmitate ſimul ac morte abſolutus ad æterna in cælis gaudia ſubleueris. Clama ergo ad te Presbyterum Eappan, & dicito illi, quia Dominus exaudiuit preces veſtras & deuotionem, ac ieiunia propitius aſpexit: neque aliquis de hoc Monaſterio, ſiue de adiacentibus ei poſſeſſiunculis hac clade vltrà moriturus eſt; &c. quod Diuina vobis miſericordia, per interceſſionem religioſi ac Deo dilecti regis Oſwaldi, qui quondam [nimirū ante annos ferè quadraginta] genti Nordan-Humbrorū, & regni temporalis auctoritate, & Chriſtianæ pietatis, quæ ad regnum perenne ducit, deuotione ſublimiter præfuit, cōferre dignata eſt. Hac etenim die idem Rex ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad ſempiterna animarum gaudia aſſumptus in cælum, & electorum eſt ſociatus agminibus. Quærant in ſuis codicibus, in quibus defunctorum eſt adnotata depoſitio, & inuenient illum hac (vt diximus) die raptum eſſe de ſeculo. *Ieiunia & Supplicationes. SS. Petrus & Paulus viſi in Anglia. Prædictio. Miſſæ viaticum. Prædictio. Interceſſio S. Oſvvaldi, qui occiſus eſt an. 642. hæc autem mortalitas circa an. 680.*

Celebratio d. ei S. Oſwaldi. Celebrent ergo Miſſas per cuncta Monaſterij oratoria huius, ſiue pro
" gratiarum actione exauditæ ſuæ deprecationis, ſiue etiam in memoriam
Patroni ſpeciales. præfati regis Oſwaldi, qui quondam ipſorum genti præerat; ideoque pro
" eis, quaſi pro ſuæ gentis aduenis ſupplex orabat ad Dominum: Et cunctis
" conuenientibus ad Eccleſiam fratribus, communicent omnes Sacrificijs
" cæleſtibus, & ita ſoluto ieiunio corpus quoque ſuis reficiant alimentis.
" Quæ verba cùm omnia vocato ad ſe presbytero puer narraſſet, interro-
" gauit eum ſolicitus, quales eſſent habitu vel ſpecie viri, qui ſibi apparuiſ-
" ſent. Reſpondit, Præclari omnino habitu & vultu erant; lætiſſimi ac
" pulcherrimi: quales nunquam antè videram, neque aliquos hominum
" tanti decoris ac venuſtatis eſſe poſſe credebam. Vnus quidem attonſus
Tonſura clericalis. erat vt clericus, alius barbam habebat prolixam: dicebantque quòd vnus
Tutela Sanctorum. " eorum Petrus, alius vocaretur Paulus, & ipſi eſſent miniſtri Domini ac
" Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ad tuitionem noſtri Monaſterij miſſi ab
" ipſo de cælis. Credidit ergo verbis pueri Presbyter; ac ſtatim egreſſus re-
" quiſiuit in Annali ſuo, & inuenit eadem ipſa die Oſwaldum regem fuiſſe
" peremptum. Vocatiſque fratribus parare prandium, Miſſas fieri, atque
" omnes communicare more ſolito præcepit: ſimul & infirmanti puero de
" eodem Sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandauit.
Prædictiones impletæ. Quibus ita geſtis, non multo pòſt eadem ipſa die puer defunctus eſt; ſua-
" que morte probauit vera fuiſſe verba, quæ ab Apoſtolis Chriſti audierat.
" Sed & hoc verbis eius teſtimonium perhibuit, quòd nemo præter ipſum
" tempore illo ex eodem eſt Monaſterio raptus de mundo. Ex qua nimi-
" rum Viſione multi, qui hæc audire potuerunt, & ad exorandam in ad-
" uerſis Diuinam clementiam, & ad ſalutaria ieiuniorum remedia ſubeun-
" da, ſunt mirabiliter accenſi. Et ex eo tempore non ſolùm in eodem Mo-
" naſterio, ſed & in plæriſque locis alijs cœpit annuatim eiuſdem Regis ac
" militis Chriſti Natalitius dies Miſſarum celebratione venerari. [Nec id
quidem nouo quopiam, ſed antiquo & ſolenni more vniuerſalis Eccle-
ſiæ: iuxta quod iam olim ſanctus dixerat Cyprianus, de tribus loquens
Cyp. Epiſt. 34. martyribus, Celerina, Laurentino, & Ignatio:] Sacrificia pro eis ſemper,
" vt meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniuer-
" ſaria commemoratione celebramus. [Vnde rurſus idem Clero ſuo ſcribit
Epiſt. 37. de Confeſſoribus in carcere morientibus:] Denique & dies eorum qui-
" bus excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias
" Martyrum celebrare poſſimus. quanquam Tertullus & fideliſſimus & de-
" uotiſſimus frater noſter pro cætera ſollicitudine & cura ſua, ſcripſerit, &
" ſcribat ac ſignificet mihi dies quibus in carcere beati fratres noſtri ad im-
morta-

mortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt; & celebrentur hîc à nobis „
oblationes & Sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiſcum „
Domino protegente celebrabimus. „

Ab iſta Cypriani mentione quam facit de Confeſſoribus ſuo tempore ſua Carthagine incarceratis, commodiſſimus mihi venit tranſitus ad paucas de multis Viſiones hominum gentis meæ, quas & de noſtro tempore ſum pollicitus. Nam vt Africanas ſub Cypriano Eccleſias, ſic & Anglicanas noſtras hoc tempore Dominus dignatus eſt honore Confeſſorum conſtanter vſque ad longiſſimos carceres & grauiſſimas mortes pro fide certantium. quorum etiam fidem atque certamina per Viſiones quoque cæleſtes eâdem ipſe dignatione probauit. Anno 1561, Nouemb. 27, Londini aderant multi fide digniſſimi & egregij viri Richardo Allingtono filio clariſſimi Equitis aurati Egidij Allingtoni, iam morienti. qui teſtantem eum & referentem audierunt, quòd ſibi puero inter decimum & decimumtertium ætatis annos apparuiſſet ſæpiſſimè in pomario Patris in agro Cantabrigienſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus pendens in cruce, cum ſuauiſſima dulciſſimi erga eum amoris oſtenſione. Poſtmodum verò Londinum miſſus à Patre vt ius Municipale diſceret, ducta demum vxore, antiquum orandi ſtudium citò dereliquit; multiſque ſe interim vitijs, & vſuris maximè, maculauit. Quarum rerum conſcientiâ cruciatus poſtremò miſerè, paucis ecce menſibus ante iſtam ægritudinem iterum Viſionem antiquam conſpicit, admonentem eum priſtinæ gratiæ, & aliorum nonnullorum, hortantem denique vt ſe à negocijs ſecularibus explicaret. Quod quidem cùm ita facere non tardaret, incidit paulo pòſt in morbum iſtum quo defunctus eſt. Prima autem nocte ægritudinis dum familia dormiente iacéret ipſe inſomnis, ſpectris horribilibus multum territus diuque vexatus, recordatus tandem pietatis erga ſe Domini Ieſu, & eodem in adiutorium inuocato, conſuetam ſuam Crucifixi meruit viſionem: qui tum ei in charta cunctas quas acceperat, & à quibus acceperat, oſtendit vſuras. Quibus ille non ſine magna admiratione conſpectis, reſpondit humiliter, dicens: Domine, vera ſunt omnia. quid igitur vis vt faciam? Dominus itaque conſolatus eum, iuſſit, vt vſuras ſingulis reſtitueret. quarum ſumma erat quater mille & quingentorum aureorum. Porrò trecentos & ſexaginta aureos, quos à Hiſpanis, Gallis, Italis, & alijs tranſmarinis acceperat, donari iuſſit viris ſanctis in carcere conſtitutis. nam pauloantè cœperat illic Hæreticæ deſolationis abominatio graſſari. Qui ille cuncta vel factis vel mandatis adimplens, tribus etiam eorundem Confeſſorum, nimirum Epiſcopo, Abbate, & Decano conſti-

Ric. Allingtoni Viſiones.

tutis

tutis executoribus teſtamenti ſui, inter continuas orationes cum magna pace ſpiritum Deo reddidit.

Poſt hunc, circa annum 1569 quidam iam diu Hæreſibus ſuis immorans, licet diu multumque ſolicitatus in contrarium à quibuſdam Catholicis quos amatus amabat, tam graui correptus eſt morbo, vt vitam non ſperaret. In tanto igitur periculo auſus eſt à Deo ſignum petere, rogans vt propitius ſibi foret, & veram qua ſaluaretur religionem diuinitus reuelaret. Quæ cogitanti apud ſe, & in cordis ſecreto precanti, ecce iuxta lectulum ignis apparuit corporalis, & in circuitu ignis multæ manus, quæ arreptos Libros Caluinicæ Communionis (in Anglia nimis notos) & oculis eius vt videret atque agnoſceret, admotos, in ignem deinde coniecerunt; omnibuſque exuſtis euanuerunt. Hominis nomen, & habitationem indicare poſſem, ſi liceret, teſtium quoque fideliſſimorum, quibus non ſine Dei nutu poſt quatuor demum annos (tam diu enim celauerat) reuelauit, terribiliter denſeque conteſtans Deum qui eum iudicaturus eſſet, ſe non conficta, ſed geſta narrare: idque etiam tum in ſuis hæreſibus perſeuerans. ex quo ipſi quidem maior imminebat cumulus damnationis, niſi reſipuiſſet (eſt enim iam Catholicus, vt audio, ac reconciliatus Eccleſiæ) ſed Viſioni maior inde certiorque allata eſt fides, vt facilè vident omnes. quippe qui tam diu reticere, tam difficulter reuelare voluerit, & quando reuelauit, & poſtquam reuelauit, in hæreſi permanere, neque tamen vnquam quod dixerat retractare, ſed vt tunc hæreticus, ita etiam nunc catholicus, cum omni conſtantia & aſſeueratione identidem confirmare.

Vix dum biennium eſt, quòd alius quidam, qui cùm eſſet Catholicus, diu ſe à Caluinica abſtinuerat communione, poſtmodum tamen minis quorundam delatorum, timens infœlix temporalium amiſſionem, contra Chriſtum & contra conſcientiam ad Hæreticorum eccleſiam venit. qui illic conſpexit, cùm Miniſter Satanæ miſero populo traderet pollutum panem, canem atrum atque horribilem de manu Miniſtri ſemper accipere, quod ille communicaturis obtulerat. qua terribili & infernali viſione ſic ibi perculſus animo ac conſternatus eſt diſſimulator, vt rediens domum, paulo pòſt ſit mortuus. Nec tamen exurgent quidam à ſopore mortifero, quos propter mammôna mox periturum menſæ dæmoniorum & calicis dæmoniorum iuuat vſque communicatio. Sed iam exeamus Angliâ ſchiſmaticâ, & catholicos Anglos trans mare ſequamur. Sexto igitur Motiuo iam ſuprà narraui feliciſſimam mortem cuiuſdam iuuenis Angli nobilis, vocabulo Culpeperi, qui hoc ipſo anno 1575

Lutetiæ

Lutetiæ Pariſiorum vrbe catholiciſſima tentatus ab Anglis Hæreticis, & à Catholicis cũ Deo conſtabilitus in fide, vidit moriens gloriam ſancti Angeli cuſtodis ſui, & cælũ ſibi apertum, quemadmodũ & olim S. Stephanus protomartyr. Quid enim prohibet in eadem fidei & Eccleſiæ vnitate paruum cũ magno componere? Venio denique Duacum in Belgio, & ad has ipſas ædes in quibus cum ſeptuaginta ferè catholicis Anglis, ſtudioſis omnibus, exul habito. Nuperrimè igitur die Dominica, quæ erat 23 Octobris, quinque presbyteri fratres mei, recèns initiati, Primitias ſuas (vt vocant) ſeu primas Miſſas celebrabant ſine cantu in vno Altari ſucceſſiuè, quod eſt S. Nicolai, in Tẽplo D. Iacobi: præſentibus in eodem Sacello ad cõprecandum omnibus ferè ex Ciuitate Anglis. In quinta autem, id eſt vltima Miſſa, tribus ferè horis ante meridiem, contigit diuinitus inſigne miraculũ, & omni memoria, quantũ viderim, inauditum. Subdiaconus quidam Anglus de familia noſtra, vir omni (vt, quantũ hominibus licet, ſcimus) fide digniſſimus, à tergo Sacerdotis inter cæteros à principio Miſſæ genibus prouolutus, cùm tandem conſecratam & eleuatam ſacram in ſpecie panis Hoſtiam verbis ſibi conſuetis humiliter ſalutaſſet, dicens, Aue ſalus mundi, æternum Patris Verbum, Hoſtia vera, viua caro, Deitas integra, vita æterna: cœpit inter conſecrationem ſacri Calicis cogitare, quòd poſſet ibi quoque non ſolùm, aſſueto ſibi more, ad Sanguinem verba dirigere, dicens, Salue nobiliſſime Sanguis &c, ſed etiam quaſi ad Corpus verba vſurpare priora, quandoquidem ſecundum fidem Catholicam totus in vtrâuis ſpecie Chriſtus ſit. Suboriebatur autem ſimul hæſitatio quædam, quomodo tenue ac fluidum vinum in craſſum & ſolidum humanum corpus conuerteretur. Nec mora, conſecratum iam Calicem Sacerdos ſupra caput oſtendit, videtque mox præfatus Subdiaconus per latus Calicis, quaſi nullo corpore interpoſito, Virum nudum ſtantem in Calice modeſtiſſimè atque caſtiſſimè, ſuaui quadam luce maximè ſecundum caput & humeros circumfuſum: facie ad ſummum Altare conuerſa, vbi Parochiana tum Miſſa fiebat, vultu in terram coniecto, pedibus in imo calice poſitis, vertice autem ad ſummum Calicis pertingente: & Sacerdote diutiùs fortè in ſublimi tenente, conſiderat caput ad ſiniſtrum humerum modicè inclinatũ, barbam nec ſpiſſam nec promiſſam, comam ſubnigrã gena & ceruice pendentẽ, auricula interparente, macilentã cum grauitate faciem, ſublongũ naſum, ſuras tibiarũ: denique ſingula mẽbra (niſi quod manibus obuelabat) vſque ad vngues digitorũ pedum, præſenti memoria, ſaniſſimis oculis, admirabundus exactè & accuratè diſcernit; donec etiam Sacerdotis tandem deponentis calicem humeris condebatur.

Act. 7.

Christus viſus in calice.

Conieci tque mox oculos ſuos in circunſtantes, quos ſimiliter hæc ſecum vidiſſe putauerat. Sed nullo in eorum vultibus ſigno apparente, contuitus eſt varia quoque Sacelli ornamenta: Ex quibus facilè animaduertens, nullam ſe in oculis fallaciam paſſum eſſe, rem apud ſe tacitus illo toto die magnopere mirabatur. Incurrit autem ſub noctem ex ipſa (vt videtur) cogitatione febrim peracutam, ex qua etiam quibuſdam moriturus videbatur. Sequenti tamen die conualuit. Porrò die tertio per Presbyterum in cuius hoc Miſſa viderat, delata res ad me conſilij causâ, & per me delata ad ſapientiſſimum virum D. Gulielmum Alanum Collegij noſtri Præſidem, ab illo cùm diligentiſſimé examinata eſt, tum Dominica ſequenti omnibus Anglis ſuis in Dei gloriam pro concione, & paulo pòſt Paſtori etiam Eccleſiæ diuulgata.

Quas omnes Viſiones ſiue noſtri temporis ſiue prioris (quemadmodum & alias ſimiles harum innumeras) quia in Eccleſia Catholica vel pro Eccleſia Catholica ſunt, ſecundum ſupradictam S. Auguſtini regulam meritò approbamus; ſicut etiam propter varias quas in eis cernimus fideliſſimas circunſtantias: intelligimuſque ex ijſdem manifeſtiſſimè, cùm noſtram fuiſſe illam ſanctorum Auguſtini, Monicæ, Cypriani, Martini, Ambroſij, omniumque Maiorum noſtrorum Religionem; tum etiam eandem Religionem à Deo ipſo, atque à ſanctis & Angelorum, & hominum, vt Apoſtolorum atque Martyrum, ſpiritibus approbari. Et quanquam hæc conſideratio ſatisfacere poſſit omnibus non nimium obduratis, maximè qui meminerint Deum nobis in Scripturis ſacris eodem Viſionum medio Chriſtum ſuum, eiuſque Apoſtolos commendaſſe: tamen ſecundum ipſum Dominum Ieſum qui (vt monet Auguſtinus) cùm reſurrexiſſet à mortuis, & Diſcipulorum oculis videndum manibuſque tangendum corpus ſuum offerret; nihilominus ne quid fallaciæ ſe
» pati arbitrarentur, magis eos teſtimonijs Legis & Prophetarum & Pſal-
» morum confirmandos eſſe iudicauit, oſtendens ea de ſe impleta, quæ
» fuerant tanto antè prædicta: [& ſecundum S. Petrum Apoſtolum, qui cùm ſuam Dominicæ Transfigurationis Viſionem commemoraſſet, in-
» deque dixiſſet confidenter,] Non enim fabulas ſecuti, notam fecimus
» vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſentiam, [ſubiecit ni-
» hilominus, dicens, Et habemus firmiorem Propheticum ſermonem: cui
» bene facitis attendentes: [& nos ſimiliter poſt tam multas licèt certiſſimas & diuiniſſimas Viſiones, quibus nihil habent Aduerſarij contradicere, magis tamen Scripturas ſanctas adferimus & opponimus; ex illarum plurimis atque apertiſſimis (vt nulla fallaciæ ſit ſuſpicio) teſtimonijs ſanctam

Auguſt. de Vni. Eccl. cap. 16.
Luc. 24.
2. Pet. 1.

nobis

nobis Eccleſiam, & cum Eccleſia veritatem omnem, vt in primo noſtro Motiuo videre eſt, iuſtiſſimè vendicantes. quemadmodum & propter id quod in prima Viſione S. Pauli (vt quod huius eſt Motiui repetam) Scriptura eadem teſte dictum eſt à Domino Ieſu de cælo, Eccleſiam viſibilem contra quam pugnauit Paulus, ita eſſe inexpugnabilem, vt perinde fecerit ille, ac ſi contra ſtimulum nudas iactaret calces. Quod cum ita ſit, ſeu viſiones ſeu quidlibet aliud proferre contra hanc ſemper viſibilem Eccleſiam eiuſque religionem, vel Arriani, vel Lutherani, vel Caluiniani, vel cæteri videantur Hæretici: Viſiones ſui capitis ſunt, figmenta ſunt, commenta ſunt; diuina nullo modo ſunt, & hoc ipſo ſolo quòd contra Eccleſiam ſunt (vt ſecundum Scripturas prædictas S. Auguſtinus tradidit) nullatenus approbanda. *Act. 9.*

MOTIVVM DECIMVM-TERTIVM.

Eximiam noſtram honorationem Crucis Chriſti, adeoq; & Signorum eiuſdem, ſemper apud Maiores noſtros habitam eſſe tanquam ſolidiſsimum pro ipſius Chriſti Deitate Motiuum contra Paganos: indeq; clarum eſſe quòd Proteſtantes non ſolùm contra nos, ſed etiam contra primitiuos Chriſtianos, & contra Chriſtum ipſum, ſtent apoſtaticè cum Paganis.

QVANQVAM in pleriſque Motiuis antegreſſis ſatis euidenter demonſtratum ſit, Proteſtantes non ſolùm errorum atque Hæreſûm ſectatores eſſe (nam id ex ſingulis etiam claruit Motiuis) verumetiam deſertores Chriſti eſſe ac manifeſtos Apoſtatas: id tamen ipſum nunc quinque alijs Motiuis (poſteaque etiam pluribus) multo adhuc euidentiùs demonſtrabitur. Cùm enim, vt nobis nunc contra Hæreticos pro fide Catholica, ita olim Maioribus noſtris pro ipſo Chriſto & pro Diuinitate eius negocium fuerit contra Iudæos contraque Paganos: illa eorum tela pro Chriſto fuerunt, quæ iam æquè feriant Proteſtantes. Quæ vna res prudenter conſiderata cui quomodocunque Chriſtiano non perſuaſerit, amplectendam eſſe Religionem noſtram, & tanquam ſolam Chriſti Religionem agnoſcendam, quippe cuius ex viſceribus Chriſtianorum contra Paganos pro Chriſto argumenta promantur? Proteſtantium autem ediuersò deteſtandam eſſe Apoſtaſiam, quam nimirum defendere tuerique non aliter poſſunt, niſi Paganorum & Iudæo-

rum agant negocium, & Chriſtianorum contra illos argumenta ſoluere (quod tamen nunquam poterunt) collaborent. Vnum namque inter cætera pro Deitate Chriſti argumentum ſumpſerunt Chriſtiani Maiores, noſtri ab inſigni & eximio honore, in quo & Crux ſalutaris Chriſti, & ipſa eius Signa, apud Chriſtianos habentur; quemadmodum etiam Prophetæ prædixerant. Hinc etenim S. Chryſoſtomum in Libro qui inſcribitur Aduerſus Gentiles demonſtratio, quòd Chriſtus ſit Deus, copioſiſſimè & robuſtiſſimè argumentantem cernimus, & paraphraſticè colligentem è Scripturis hunc ſenſum:

Chryſoſt. tom. 5. col. 1032.

» Ne timueris horum gratiâ, quòd crucifixus, quòd flagellatus, quòd » colaphis cæſus, quòd conſputus, quòd à latronibus conuitijs inceſſi» tus, quòd tyrannidis & blaſphemiæ nomine occiſus. [Et quare non ti» mebo?] Ita ſe habebunt [inquit] res eius poſt mortem & reſurrectio» nem, vt nemo contradicat, quin ſummo honore antecellat. [poſt quæ » addit ex perſona ſua dicens:] Hoc certè & factum eſt, & prædictum.
Eſa. 11. » Erit radix Ieſſe (inquit Propheta) & qui exurgat vt regat gentes, in ipſo » Gentes ſperabunt. Et erit quies eius, honor. [Hæc prædictio: vbi imple» tio? Sequitur Chryſoſtomus dicens: Hoc autem mortis genus diadema» te quouis glorioſius eſt. Nam Regis poſitis diadematis, Crucem ſuſci» piunt, mortis ſymbolum, In purpuris crux, in diadematis crux, in pre» cibus crux, in armis crux, & in menſa ſacra crux, & in toto orbe crux, » & ſuper ſolem fulget crux. Et erit requies eius, honor. [Subiungit au» tem egregiam comparationem, & dicit: Diuerſo modo in rebus huma» nis contingere ſolet. Nam cùm hi qui hìc in magna gloria, rebuſque flo» rentibus agunt, moriuntur, pereunt cum eis ſimul alia omnia. Id quod » non ſolùm in diuite, ſed & in principe, atque adeò & in Regibus ipſis quis » videt. Nam leges eorum irritantur, ſtatuæ obſcurantur, memoria extin» guitur, nomen eorũ in obliuionem venit, à cognatis deſpiciuntur. Et licèt » pridem mouerint arma, concitarint ſeditiones populorũ & vrbium, reuo» cauerint proſcriptos, occiderint dominos, ſimul tamen conciderunt hæc » omnia, quamuis glorioſa priùs fuerint. At ſecus in Cruce euenit. Ante cru» cem in luctu res erant, Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui profugerunt, » Ieſus ſolus inter amicos comprehenſus eſt; multi qui crediderant, retror» ſum abierunt. Cæterum vbi occiſus eſt & mortuus, vt diſcas quòd non ſit » purus homo, non ſolùm res eius non interciderunt, ſed multo clariores » illuſtrioreſque & ſublimiores ſunt redditæ. [Et poſt pauca, vt magis com» moueat Gentiles ad fidem Chriſti, interrogat: Quale autem ſymbolum » mortis huius? [Ac declarat dicens: Signũ erat mortis maledictæ, mortis

omnium

omnium deſamatiſſimæ. Hoc enim ſolum mortis genus maledictioni ob-
noxium fuit. [Quod quid ſibi velit, cõparando inter ſe ſuppliciorum ge-
nera, oſtendit:] vt exempli gratia quid dicam; qui olim peccabant, com-
burebantur, lapidabantur, & alijs modis vitam finiebant, vt ſupplicijs tan-
tùm: Crucifixus autem, & in ligno ſuſpenſus, non ſolùm hoc ferebat, vt
graue aliquod ſupplicium, cui adiudicatus erat; ſed & vt maledictum
quoddam. Nam maledictus omnis dicit [& Moyſes, & Paulus] qui pen- *Deut. 21.*
det in ligno. [Vnde etiam apud Sapientem dicunt hoſtes Chriſti:] Morte *Gal. 3.* *Sap. 2.*
turpiſſima condemnemus eum. [Ex quo etiam vulgatum illud iam ab
antiquo maledictum:] In malã crucem. [Paulus item rurſus cùm dixiſſet,
Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, [exaggerauit *Phil. 2.*
addens,] mortem autem crucis. [Et hinc erat illud in Paſſione eius, quòd]
portans crucẽ ſuã egrederetur. [Nam (vt ex hoc ipſo Chryſoſtomo notat *Chryſoſt.*
ibi Theophylactus) abominabile putabant omnino vel Lignum attingere: *Hom. 84. in Ioan. 19.*
& propterea condemnato & maledicto maledictũ lignũ imponunt. &c. Et *Theop. in*
in principio quidẽ Dominus ipſe crucem gerẽs exiuit, quia Lignũ maximè *Ioan. 19.*
abominabile erat, & nemo alius attingere volebat. Poſtquã autem exiuerũt,
obuiam venerunt Simoni venienti ex agro, & ita impoſuerunt ei lignum.
[Ex hoc igitur ſubſumit Chryſoſtomus pro Deitate Chriſti, & ait: Verun-
tamen hoc maledictũ, hoc abominabile, hoc extremi ſupplicij ſymbolum;
Crux, diadematibus & coronis clarius factũ eſt. Neque enim ſic regia coro-
na ornatur caput, vt Cruce, quæ omni cultu dignior; & quã omnes priùs
abhorrebant, eiùs figurã tantopere quærunt: atque adeò vbique ea inueni-
tur, apud principes, apud ſubditos, apud mulieres, apud viros, apud virgi-
nes, apud nuptas, apud ſeruos, apud liberos: ſubinde omnes ea ſe ſignant,
inſcribendo in nobiliſſimum mẽbrum noſtrum. In fronte enim noſtra,
quaſi in columna, quotidie figuratur. Sic in ſacra menſa, ſic in Sacerdo-
tum ordinationibus, ſic iterum cum Corpore Chriſti in myſticis cœnis *Iterũ: quia prius in Paſſione.*
fulget. Hanc vbique celebrari videre licèt, in domibus, in foro, in ſolitu-
dine, in vijs, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigijs,
& inſulis, in lectis, in veſtibus, in armis, in thalamis, in ſympoſijs, in
vaſis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in cor-
poribus brutis malè affectis, in corporibus à dæmonibus obſeſſis, in bel-
lis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in Monacho-
rum ordinibus: adeò certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira
eſt hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubeſcit, cogitans quòd ma-
ledictæ mortis ſymbolum fuerit; ſed omnes ipſo magis ornantur, quàm
diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus.

MM 3 Et non

" Et non ſolùm non fugitur, ſed & deſideratur & adamatur; & omnes de
" ea ſoliciti ſunt, & vbique fulget, & ſparſa eſt in parietibus domorum, in
" culminibus, in libris, in ciuitatibus, in vicis, in locis quæ habitantur, &
quæ non habitantur. [Ex quibus premit Paganos, in eis opprimens etiam
" Proteſtantes, & dicit tota cum fiducia:] Vellem audire à Pagano, vnde
" ſymbolum tam maledictæ mortis ac ſupplicij omnibus tam deſiderabile,
" ſi non magna Crucifixi virtus? [Et magis adhuc:] Quòd ſi nihil hoc eſſe
" putas, ſed adhuc impudens manes, & veritati te opponis, & ad lumen
" cæcutis: ex alio argumento diſce, quale hoc ſit, & quantæ virtutis.
" [Quónam illo tandem?] Sunt [inquit] lictoribus multa tormentorum
" genera, ligna, lora, vngues, plumbum, quibus torquent corpora, & mem-
" bra dilacerant, & diſtrahunt: & quiſnam vellet hæc in domum ſuam in-
" ferre? quis vellet manu contingere? vel quis vellet ad carnifices, dum
" hæc agunt, propius accedere, vt videat? An non plures ita abominan-
" tur, vt neque aſpectum, neque tactum ſuſtineant, aliqui nauſeant, & in-
" auſpicatum cenſent, proculque fugiunt, & oculis auerſantur? Tale
" quippiam vtique & Crux olim erat, atque illis multo grauior, vt ſuprà
" memini. Nam non mortis tantùm, ſed maledictæ mortis ſymbolum erat.
" Vnde ergo, dic mihi, omnibus tantum eius ſtudium, & cura, quòd ita
" deſiderata cunctis, & omnibus deſiderabilior? Ipſum ergo hoc Lignum,
" in quo poſitum Sanctum Corpus Domini, & crucifixum: quarénam
" habere totus orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habent,
" hoc auro includant, tam viri quàm mulieres, & ceruicibus ſuis aptant,
" hinc valde honeſtati, & magnifici, muniti & protecti, licèt condemna-
" tionis fuerit lignum? Sed qui omnia operatur & præparat, qui orbem
" terrarum à peccato tanto transfert, & terram cælum facit: etiam rem
" hanc, licèt contemptam, & omnibus mortibus turpiorem, ſupra cælos
" eleuauit. Hæc igitur omnia præuidens Propheta dicebat: Et erit re-
Iſa. 11. quies eius, honor. [Ex quo tam generali ſtudio Crucis ipſius, & Signo-
rum eius, videmus primùm, Chriſtianos illius primitiui temporis non
fuiſſe Proteſtantes. Videmus deinde, Proteſtantes, dum hoc ſtudium
Chriſtianorum damnant, cooperatores eſſe Paganorum: ſed id tamen
fruſtrà & incaſſum, vt tertiò videmus. Nam etſi abeant Apoſtaticè, &
ſtent contra nos in acie Paganorum, quid quæſo pro eis huic S. Chryſo-
ſtomi & cæterorum Chriſtianorum argumento valeant reſpondere? qua
poſſint arte telum à Paganorum corpore depellere? Satis interim Chri-
ſtianis prudentibus eſt ad deteſtandum tales Hæreticos & Apoſtatas,
quòd videant eos eſſe ſocios & participes Paganorum, deſertores & ad-
uerſarios

uerſarios Chriſtianorum, ac labefactatores ipſius Diuinitatis Chriſti: ſicut econtrà nos ſumus, noſtraque Religio eſt, (vt hinc vident omnes) è qua iſtiuſmodi Chriſtianorum tela pro Chriſto promuntur, & torquentur in Paganos.

Ego quidem ſic exiſtimo, & ſic mihi perſuadeo, quòd cùm multa ſint peſtifera dogmata Hæreticorum huius temporis, quæ pro ſua ſubtilitate captum vulgi ſuperent, tum voluerit Chriſtus Dominus pro incredibili erga plebem ſuam pietate, quædam eorum eſſe tam craſſa, & tam abſurda, vt ex ijs infimi etiam atque indoctiſſimi poſſent de Proteſtantibus facere iudicium. in quibus quidem, hoc quod contra honorificum viuificæ Crucis vſum dogmatizant, inter prima pono. Quis enim tam ſimplex eſt, qui vel neſciat ſolere Chriſtianos omnes ſignare ſe Signo Crucis, vel videns nouum iſtud inſignatorum genus non eos protinus *Inſignatis.* intelligat & Chriſtianis omnibus & Chriſto ipſi contrarios eſſe? Sanè non ignoro, hoc regnum tenebrarum iſta iam diuturnitate ſua quorundam oculos incredibiliter excæcaſſe; ita vt ipſam lucem non videant, & quæ notiſſima ſunt, ignorent. Deum enim teſtor, quòd non mentior. Audiui Catholicum quendam Anglum familiarem meum, virum genere & doctrina non ignobilem, omniquè fide digniſſimum, narrantem, quòd cùm ante paucos annos Londini in Anglia noſtra ageret, acceſſit ad cubiculum eius iuuenis quidam annorum penè viginti, honeſtiſſimo loco natus, & Londini in ipſa luce Angliæ diu verſatus: qui in dicti Catholici Muſæo conſpecta lignea imagine Crucifixi, ſtetit attonitus, & admirabundus interrogauit, quidnám eſſet. Catholicus ediuerſo obſtupuit ad interrogationem, & cùm ſatis mirari ignorantiam tantam non poſſet, rogauit viciſſim, an non audiſſet, Chriſtum Dominum pro ſe crucifixum eſſe. Ad quod ille: Audiui [inquit] millies: ſed obſecro, num id iſto " modo factum eſt? profectò nunquam cogitaueram. [O miſerabilem & " cordi meo acerbiſſimam meæ Angliæ cæcitatem! Si iuuenis nobilis, tot annorum, illo loco educatus, myſterium ſalutis ſuæ non intellexit, quibus putamus teneri tenebris innumerabiles & minores & maiores, obſcurè natos, & obſcurè educatos: maximè cum non ſolùm à conſpectu omnium, & ex omni loco, Hæretici Cruces iam diu omnes amouerint, verumetiam & Miniſtri & ipſi pſeudoëpiſcopi eorum, ac nominatim Sandeſius olim Vigornienſis (vbi ego natus ſum) nunc autem Londinenſis lupus, è pulpitis non dubitent ad populum declamare, quòd non in cruce mortuus ſit Dominus, ſed in vulgari iſto omnium gentium patibulo, cuius tres poſtes ad modum oſtij ſunt diſpoſiti, quia ſcilicet huic,

& non

& non cruci, ſimilis eſt Hebræorum poſtrema litera, quam Tau appellant. de quo mox videbimus. Interim iſtorum impudentiam dicam an inſaniam, deteſtabuntur (vt ſpero) Chriſtiani omnes, & docti & indocti, cùm ex his quæ admonuimus vel recordentur vel animaduertant, Maiores noſtros gloriantes ineffabiliter in Paſſione Crucifixi noſtri & ſe ſignaſſe cruce, & in omnibus locis ſacris & communibus crucem collocaſſe. idque cum tanta declaratione Diuinæ in Chriſto maieſtatis, vt Pagani & Iudæi, nec ſi à Proteſtantibus adiuuentur, valeant ſe defendere.

Oſtendi autem iam in ſuperiori Motiuo, ipſam Crucem Domini diuinitus oſtenſam eſſe tempore Conſtantini Magni primi Imperatoris Chriſtiani, cum eatenus latuiſſet (ſicut in Motiuo 18 dicetur) & ſic inuentam eſſe à S. Helena matre eius: quinetiam ipſi Conſtantino oſtenſam eſſe in cælo (ſicut & ſæpè aliàs) obſcurantem fulgore ſuo ſolem ipſum. Porrò eundem à Chriſto ipſo mandatum accepiſſe, faciendi cruces, narrat præter alios Euſebius. Quæ licet inconcuſsè (vt omnes vident) probent vſum Crucis, tamen ne imperiti exiſtiment, non ante Conſtantinum ſimiliter factitatum eſſe à Chriſtianis, antiquiora nobis repetenda ſunt. Non omnia quidem quæ de antiquo vſu Crucis ſcripta ſunt, ſtatui huc adferre (ſunt enim infinita.) Sed quemadmodũ modò induxi Chryſoſtomum Conſtantino iuniorem ratiocinantem ex vſu Crucis contra Paganos, ita nunc non alios quàm Conſtantino antiquiores, eoſque non niſi vbi contra hoſtes Chriſti eodem vtuntur argumento, cõmemorabo. vt ſic videant omnes apertiſſimè Chriſtianos ſemper ita vt Chryſoſtomus dixit, vſos eſſe cruce; & illo quaſi telo iam olim per latera Paganorum & Iudæorum etiam Proteſtantes confodiſſe.

Euſ. de vita Cõ. lib. 1. cap.

Scripſit igitur multo antè Conſtantini tempora S. Cyprianus tres libros Teſtimoniorum è Scripturis contra Iudæos. In quorum primo, cùm ad hoc capitulum demonſtrandum, „Quòd circuncíſio prima carnalis euacuata ſit, & ſecunda ſpiritalis repromiſſa ſit, „Scripturas varias poſuiſſet, ſubiecit hanc quoque rationem, dicens: tum quòd illud ſignaculum fœminis non proficit; Signo autem Domini omnes ſignantur. In ſecundo deinde libro demonſtrat è Scripturis hæc duo capitula, „Quòd in paſſione crucis & ſigno, virtus omnis ſit & poteſtas. Et, „Quòd in hoc ſigno crucis ſalus ſit omnibus qui in frontibus notentur. Id enim [inquit] apud Ezechielem dicit Deus: „Tranſi mediam Hieruſalem, & notabis ſignum ſuper frontes &c. [Id quod ſumpſit ille more ſuo ex antiquiore ſe Tertulliano, qui ſimiliter ſignationem noſtram per crucem in frontibus

Cypr. Teſt. lib. 1 cap. 8. *Lib. 2. cap. 21. 22.* *Ezech. 9.*

notat

notat aduerſus eoſdem Iudæos, vt etiam aduerſus Marcionem, ex hoc ipſo Propheta, dicens, tam Apoſtolos, quàm & deinceps omnes fideles ſignatos illâ notâ de qua Ezechiel: Dicit Dominus ad me, Pertranſi in medio portæ in media Hieruſalem, & ſigna Tau in frontibus virorum. Ipſa eſt enim [inquit Tertullianus] litera Græcorum Tau, noſtra autem T, ſpecies Crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris apud veram & Catholicam Hieruſalem, [id eſt (vt ipſe ſubiungit) in Eccleſia Chriſti. Debuiſſent autem ſcioli Hæretici legiſſe S. Hieronymum ad hunc Ezechielis locum, qui intuentes ſolùm quomodo nunc pingatur litera Hebræorum Tau, non veriti ſunt negare Dominum ſuum Cruci pro ſe affixum. Nam] antiquis Hebræorum literis (quibus vſque hodie, [inquit Hieronymus,] vtuntur Samaritani) extrema Thau litera crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorũ frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur. [De qua Crucis forma piget me recitare antiquiorum adhuc teſtimonia, Irenæi nempe ac Iuſtini Martyrum, dicentium, quòd] ipſe habitus crucis duos habuerit fines in longitudinem, & duos in latitudinem, [cum ſedili quodam in medio: & huius ipſius Tertulliani, qui non ſolùm comparat (vt vidimus) literæ Græcæ Tau, & latinæ T, ſed etiam ibidem malo nauis cum antenna. Sed piget me (inquam) his diutius immorari, etſi illos ſeu inſcitiæ ſeu potius impudentiæ non pudet. Quorum tamen perfricta frons ſatis refricatur ab ipſis ſignatis Chriſtianorum frontibus, quæ vtique non ad aliam vnquam niſi crucis Dominicæ ſimilitudinem ſunt ſignatæ; atque id omnino vniuerſaliter, quemadmodum nunc oſtendi, non modò poſt tempora Conſtantini, ſed ſemper etiam ante illum. Vnde & idem Tertullianus dicit: Ad omnẽ progreſſum, atque promotum; ad omnem aditum, & exitum; ad veſtitum, & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos conuerſatio exercet, frontem ſignaculo terimus. [Et ad quid obſecro aliud alludit ipſa Canonica Scriptura Apocalypſis, cum dicit S. Ioannes: Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem Signum Dei viui: Et clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens, Nolite nocere terræ neque mari, neque arboribus, quoadvſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. [Ac primùm quoad Iudæos fideles:] Et audiui [inquit] numerum ſignatorum, centum quadragintaquatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſraël. [Deinde quoad Gentiles fideles:] Poſthæc vidi [inquit] turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis. [Nónne manifeſtiſſimè inſinuat, omnes omnino

Tertul. aduer. Iudæ. Idẽ aduer. Marc.

Hier. in Ezec. 9.

Iren. lib. 2. cap. 42. Iuſt. cont. Tryph. Iudæum.

Tert. de Corona militis.

Apoc. 7.

NN Chri-

Chriſtianos ſignandos ab illo Angelo & ſocijs eius in frontibus ſuis? Et quo obſecro ſigno, niſi crucis Dominicæ? Vnquàm ne auditum eſt aliud in Chriſtianorum frontibus ſignaculum? ita vt ipſi etiam Anglo-proteſtantes noſtri ſignationem iſtam frontium exiſtimauerint in Baptiſmi ceremonijs retinendam. Et quid ni æquè, rogo (ſecundũ primæuum & perennem omnium Chriſtianorum morem) in reliquis item Sacramentis, & in toto communis vitæ vſu? Id quod certè Anglopuritani videntes eſſe conſequens, nempe vt vel in Baptiſmo non fiat, vel æquè aliàs fiat, propter hanc in Baptiſmo, & alias huiuſmodi ceremonias retentas, ſeparauerunt ſe à fratribus ſuis ac ſenioribus proteſtantibus, & quo modo olim Donatiſtarũ Maximinianiſtæ, partem de parte fecerunt. Sed de alijs ceremonijs Eccleſiaſticis dicã in Motiuo vigeſimoſecundo. Nunc autem iuſtiſſimam contra omnes Hæreticos Signi Crucis defenſionem eſſe ſatis demonſtraui, quòd ſemper in quotidiano Chriſtianorum vſu fuerit; idque cum inuictiſſimo contra Paganos & Iudæos argumento Diuinitatis Chriſti Domini Crucifixi noſtri. proptereaque inſignatos iſtos huius tẽporis Hæreticos per hoc ipſum oſtendere ſe diſſimiles Chriſtianis omnibus, & Paganorum potiùs ac Iudæorum ſocios.

Quicunque igitur veri Chriſtiani, id eſt Catholici ſumus, & quicunque ſimiliter eſſe volunt, ſicut contra Iudæos & Paganos, ita eâdem operâ contra Hæreticos iſtos, in Cruce Domini gloriemur: certiſſimè ſcientes, quòd ſic cum Maioribus noſtris omnibus in Cruce gloriari, nihil aliud ſit (vt ſentiunt Pagani & Iudæi, in ſupradicta D. Chryſoſtomi demonſtratione, ad mirabilem animi ſui confuſionem atque angorem) quàm in ipſo Domino gloriari. Meminiſſe enim debemus, quòd cùm ſalus noſtra non ſit à nobis, ita vt in nobis ipſis gloriemur, ſed à gratia Dei per meritum Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pro ingenti philanthropia ſua in ſalutem noſtram crucifigi voluit, ita vt in ſingulis prop-
„ terea Epiſtolis D. Paulus hos duos inuocet, & dicat, Gratia vobis & pax
„ à Deo Patre noſtro, & à Domino noſtro Ieſu Chriſto; [aliaque huiuſmodi multa: tum certè hanc ſalutarem gloriationem noſtram nunquam potuerimus vel poſſimus commodiore aut elegantiori exprimere ratione, quàm (vt habet traditio) ad ſingulos actus noſtros fingentes crucem
„ in frontibus, & ſimul dicentes, In nomine Domini, aut, In nomine Pa-
„ tris & Filij & Spiritus ſancti. Quæ propterea ceremonia ſaluberrima merito inter Chriſtianos obtinuit, vt (ſecundum Chriſtianam vocabulorum appropriationem, quæ communia Baptiſmi, Euchariſtiæ, & huiuſmodi, vocabula vſurpat in vna tantum re ſacra) ſingulari prærogatiua Benedictio

appelle-

appelletur. Eſtque hoc ita manifeſtum, ita ſenſibile, vt hinc idem Chryſoſtomus alibi exhortans ſuos, liberè profiteri Paganis, quòd adorant Crucifixum, iuſſerit ne in Signo crucis erubeſcerent; quemadmodum & nos nunc, ſi idem apud Turcas & Iudæos profiteri volumus, quo quæſo meliori modo poſſumus? Neminem igitur (ait Chryſoſtomus) pudeat horum ſalutis noſtræ ſymbolorum atque ſignorum: Paſſio certè Domini noſtræ beatitudinis caput eſt atque origo, qua viuimus, & per quam ſumus. Sed veluti coronam, ſic læto animo Crucem Chriſti circumferamus. Omnia enim quæ ad ſalutem noſtram conducunt, per ipſam conſummantur. Nam cùm Regeneramur, crux Domini adeſt; cùm ſacratiſſimo alimur cibo; cùm in Ordine conſecrandi ſtatuimur; vbique ac ſemper [ab ipſo etiam Apoſtolorum tempore, ſicut iam oſtendi, & aliàs ex ipſo Dionyſio Areopagita Diſcipulo S. Pauli oſtendam iterum] id victoriæ inſigne nobis aſſiſtit. Quapropter [inquit] & in penetralibus, & in parietibus, & in feneſtris, & in fronte quoque, ac mente, magno ſtudio crucem inſeramus. Id enim ſalutis noſtræ, id communis libertatis, id manſuetudinis atque humilitatis Domini ſignum eſt. &c. Noli ergo tanto tu bono verecundari, ne, quando in maieſtate ſua veniet Chriſtus, de te verecundetur. Tunc enim Signum hoc ſuper radios ſolis coruſcans [quemadmodum & iam ſæpè alias, vt ſuprà oſtendi] ante Chriſtum videbis. Præcedet enim tunc profectò Crux magnam vocem aſpectu emittens, & ad vniuerſos homines pro Domino reſpondens, atque oſtendens nihil ex parte Domini defuiſſe. [Ac tum interpoſitis egregijs laudibus Crucis quas ſumit ab admirandis eiuſdem operibus, venit ad concluſionem quam prædixi: Si ergo [inquiens] Gentilium quiſpiam abs te petierit, Crucifixum ne adores? noli dubitare, clara voce & læta facie dicere: Et adoro, & adorandi nunquam faciam finem. & ſi ridebit, largas tu effunde lachrymas de inſania eius. Agas immortales Domino gratias, cuius beneficio hæc ſuſcepimus, quæ nullus abſque Diuina gratia dicere poteſt. Nam idcirco hic etiam ridet, quia homo animalis non ſuſcipit ea quæ ipſius Spiritus ſunt. &c. Sed nos clara & magna voce dicamus, & tunc maximè quando aſſunt Gentiles, eximiâ fiduciâ exclamemus: Gloria noſtra, caput & origo beatitudinis, libertas, & corona, Crux eſt. [Sic igitur pro eodem ducitur, gloriari in Signo crucis, & in Crucifixo; contraque erubeſcere Signum crucis, & erubeſcere Crucifixum.

Chryſ. Hom. 55. in Mat. 16.

Inf. Moti. 22. nu. 30. 32. 34.

Luc. 9.

Matth. 24.

Moti. 12.

1. Cor. 2.

Quod niſi manifeſtiſſimũ ſit, dicant Proteſtantes, quod Pagani & Iudæi dicere non poſſunt, dicant (inquam) illi pro iſtis, quòd non gloriabantur Maiores noſtri in Crucifixo, id eſt in Chriſto, dum ſic in Cruce

eius, & in Signis Crucis eius gloriati ſunt. Quòd ſi conabuntur dicere, tametſi optabunt nullos plus gloriari in Crucifixo quàm iſtos qui ſic abominantur Crucem eius; tamen ſimul etiam ridebunt eorum vanitatem, vtpote cernentes non poſſe vllam eſſe maiorẽ in Crucifixo gloriationẽ, quàm quod omnia & ſingula quæ vllo modo ad eum pertinent, tanti facimus, non ſolùm Crucem eius, ſed etiam Signa crucis eius, & fimbriam veſtimenti eius, imò & imaginem fimbriæ eius (idque meritò, vt ex Euſebio patet, vbi narrat de herba tum demum valde miraculoſa quando tetigiſſet fimbriam imaginis Chriſti quam Cæſareæ Philippi collocauerat † Euangelica Hæmorrhoûſa) non ſolùm autem iſta, ſed & ſudaria, imò & ipſas vmbras ſeruorum eius. Nunquid enim non aperient tandem cæci oculos ſuos, & agnoſcent, iſta omnia, & alia ſimilia quæ in Eccleſia catholica, quia Chriſti ſunt, lætiſſimo veneramur animo, eximiam, & ſupereximiam, ſed meritiſſimam & debitiſſimam ipſius Chriſti gloriam eſſe? Quòd ſi ipſis vſque cæcis eſſe libet, tamen veris Chriſtianis non poſſunt non placere Chriſtianiſſima exempla Maiorum; in quibus eſt illa iucundiſſima vox ſanctiſſimi Hieronymi ad Marcellam Romanam ex perſona Paulæ & Euſtochij inuitantium eandem Hieroſolymam, & precantium, vt aliquando eam in locis iſtis ſanctiſſimis conſpiciant, ſimulque cum ea peragant iſthîc illa religionis officia, quæ ibidem Chriſtiani ſolent: Ergóne erit [inquiunt] illa dies, quando nobis liceat Speluncam Saluatoris intrare? In Sepulchro Domini flere cum ſorore, flere cum matre? [ipſam Marcellam intelligunt, & addunt,] Crucis deinde lambere lignum? [aliaque ibi multa Chriſtianiſſima, & religioſiſſima, ideoque iucundiſſima. In quo genere illud etiam valde memorabile eſt, non ſolùm propter religioſum exemplum, verùm etiam propter Diuinum miraculum, quod de Apameenſibus Chriſtianis in irruptione Choſrois Pagani regis Perſarum ſcribit Euagrius: Vt primùm Apameenſes [inquit] intellexere Antiochiam igne incenſam, „ Thomam [Epiſcopum ſuum] virum non doctrinâ modò, ſed rectè factis „ etiam facilè præſtantiſſimum, rogabant, vt ſalutare vitaleque Lignum „ Crucis, licèt id conſuetudo minimè pati videretur [non enim ſolebat palàm oſtendi, ſed honoris causâ, vt fit, in ſecreto aſſeruari] in me„ dium proferret, inque omnium oculis ſtatueret, quò iam cùm ſupre„ mum vitæ diem viderentur obituri, illud contemplarentur, amplexa„ renturque, vtpote in quo † ſola hominum ſalus poſita eſſet: atque adeò „ ad alteram vitam iam profecturi, Crucem venerandam haberent pro „ viatico, quæ poſſet eos ad meliorem locum incolumes prouehere.

Euſeb. Hiſt. lib. 7. cap. 14.

† Matth. 9. Act. 19. & 5.

Hier. ad Marc. eſt Epiſtola 16 Tom. 1.

Peregrinatio ad S. Crucem.

Euag. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 25.

† ſola.

Itaque

Itaque Thomas facit quod rogatum eſt, certiſque diebus ad eam rem præſtitutis, vitale Crucis lignum profert, vti omnes vicini ibi in vnum conuenire poſſent, & ſalutis inde promanantis participes fierent. Eò etiam parentes mei [inquit Euagrius] vnà cum alijs commearunt, meque id temporis ad ſcholam euntem ſecum duxerunt. Poſtquam verò data nobis fuit poteſtas honorandi crucem, adorandi, amplexandique, Thomas, ſublatis manibus, Lignum Crucis, quo vetus peccati maledictio deleta fuit, totum Sanctuarium circumiens (vti in ſtatis Adorationis diebus fieri ſolebat) omnibus oſtendit. Ac Thomam de loco in locum progredientem ingens flamma ignis ſplendeſcentis, non ardentis ſequebatur, adeò vt totus locus, in quo conſiſtens venerandam Crucem populo oſtendebat, conflagrare videretur. Atque hoc factum eſt non ſemel aut iterum, ſed ſæpiùs, cùm Thomas omnem illum locum circuiret, & populus congregatus, eum, vt illud fieret, rogaret. Quæ res ſalutem, quæ poſtea Apameenſibus contigit, præſignificauit. Ob quam cauſam Imago in teſtudine Sanctuarij ſtatuta fuit, quæ inſcriptione in baſi inciſa hoc miraculum illis, qui eiuſdem ignari erant, commonſtrauit. [Porrò in eâdem irruptione (vt memoriæ proditum eſt) Coſdroas iſte cepit præter alias multas Chriſtianorum vrbes, ipſam quoque ſanctam Hieroſolymam, vnde & in Perſidem ſuam abſportauit vitale Lignum crucis, illud ſcilicet ipſum quod olim S. Helena incluſum auro depoſuerat in Hieruſalem; (neque enim in principio, vt ait Seuerus, obſiſtentibus Iudæis potuerat conſecrari: & poſtea dirutæ ciuitatis oppreſſa ruderibus, non niſi tam fideliter requirenti meruit oſtendi:) ipſum de quo modò fecit S. Hieronymus Paulam & Euſtochium (pro more Chriſtianorum) dicere ad Marcellam, ſe in Sepulchro Domini flere, & Crucis lambere lignum. Sed hoc iterum quatuordecim pòſt annis Heraclius Imperator qui ſucceſſit Phocæ mirabiliter deuicto Coſdroa, recepit ab eius filio, & reduxit in Hieruſalem miraculo maximo concurrente. Vnde extitit, ſicut priùs à S. Helena Feſtum Inuentionis S. Crucis, ita nunc Feſtum Exaltationis eiuſdem, quæ & hactenus in Eccleſia Catholica obſeruantur. In quibus venerabilibus Feſtis, ſicut & in ſanctiſſimis ferijs Paſſionis Dominicæ per Quadrageſimam, eadem Eccleſia Dei, pro religioſiſſimo more Maiorum diuinis (vt admonui) miraculis approbato, contra inimicos Chriſti glorians & placens ſibi in Cruce viuifica, cum omni humilitate adorat, & cum tota ſpiritualium gemituum ſuauitate concrepat, dicens inter cætera:

Peregrinatio ad S. Crucem.

Faſcic. Tēp. in Heraclio: Sigibert. Palmer. Breu. in Feſto exalt. S. Crucis. Sept. 14.

Sulp. Seuer. Hiſt. Sacræ lib. 2. pag. 152.

Crux fidelis inter omnes,
Arbor vna nobilis:
Nulla ſylua talem profert
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clauos
Dulce pondus ſuſtinet.

Et iterum:

O Crux aue ſpes vnica,
Hoc Paſsionis tempore
Auge pijs iuſtitiam,
Reiſque dona veniam.

Quas ſanctiſſimæ Crucis laudes digniſſimas & Chriſtianiſſimas, quemadmodum & ipſa duo Feſta S. Crucis antiquiſſima & à Deo ipſo commendatiſſima, vnà cum tota veneratione & Chriſtiano vſu eiuſdem Diuinæ Crucis & Imaginum eius, irreligioſiſſimi Hæretici penè apoſtatantes à Chriſto, deſerenda ſibi exiſtimauerunt. Quod eorum facinus impijſſimum vt eos alieniſſimos oſtendit à Chriſtianis omnibus, & primis (vt demonſtraui) & vltimis; ita Paganis & Iudæis, quibus Crucifixus ipſe reprobus eſt (qui eſt Deus benedictus in ſecula) probari quidem poterit: Chriſtianis verò cordibus probari nunquam poteſt, maximè ſcientibus, quòd hæc tam eximia veneratio S. Crucis, quam omnes Chriſtianorum ordines ab antiquo frequentant, manifeſtiſſima & ſolidiſſima exiſtat demonſtratio contra Iudæos contraque Paganos (vt S. Chriſoſtomum audiuimus docentem) quòd Chriſtus noſter Crucifixus ſit Deus ſolus omnipotens. Sed clariorem adhuc hac in parte defenſionem Religionis noſtræ, & redargutionem defectionis Hæreticæ, Motiuum proximum continebit.

MOTIVVM DECIMVM QVARTVM.

Miraculoſam virtutem Crucis Chriſti, adeóque & Signorum eiuſdem, apud eoſdem Maiores noſtros habitam eſſe tanquam ſolidiſsimum pro ipſius Chriſti Deitate motiuum contra Paganos: indeq́; rurſus clarum eſſe, quòd Proteſtantes non ſolùm contra nos, verum etiam contra Primitiuos Chriſtianos, & contra Chriſtum ipſum, ſtent apoſtaticè cum Paganis.

QVEMADMODVM igitur celeberrimus (de quo dixi) honor Crucis, ita planè, multoque magis, admirabilis virtus eiuſdem inuictum ſuppeditauit Maioribus noſtris argumentum, quo Chriſtum Dominum noſtrum, eiuſque Deitatem adorandam contra eoſdem Paganos & Iudæos adſtruerent atque defenderent. Sunt autem innumerabilia Crucis miracula, quæ à probatiſſimis Auctoribus literis conſignata, paſſim occurrant legentibus: Sed non alia ego hoc in loco commemoro, quàm quæ veteres Chriſtiani ipſis olim Paganis atque Iudæis obiecerunt: ex quibus etiam ipſis non niſi pauca decerpam, quatenus breuitas inſtituta poſtulat. Itaque ex hoc iterum perſpicere poſſunt omnes, Religionem noſtram Catholicam eſſe, quæ Chriſto contra inimicos eius militat: Proteſtantes autem è diuerſo, dum iſta Crucis miracula blaſphemare audent, negocium agere Paganorũ atque Iudæorum, & Chriſtianis omnibus, ipſiq́ue Chriſto hoſtiliter aduerſari.

Primum igitur in hoc genere ſit miraculum, quod S. Auguſtinus in fœmina ſibi notiſſima per ſignum Crucis patratum eſſe, Paganis pro Chriſto obijcit in illo ſuo contra eoſdem nobiliſſimo opere De Ciuitate Dei: ex quo etiam tam euidens erit, opera Crucis eſſe opera ipſius Chriſti vt id Paganus quoque facillimè agnouerit: & propterea Hæreticos talia dicentes magica eſſe, Chriſtum ipſum horribiliter blaſphemare. Sic autem ad verbum habet Auguſtinus: In ciuitate Carthagine Innocentia *Auguſt. de Ciui. Dei lib. 22. cap. 8.* religioſiſſima fœmina de primarijs ipſius ciuitatis, in mamilla cancrum habebat: rem (ſicut Medici dicunt) nullis medicamentis ſanabilem. Aut ergo præcidi ſolet & à corpore ſeparari membrum, vbi naſcitur; aut vt " aliquanto homo quietius viuat, fomentis eſt peſtis mitiganda frequenti- " bus. Nam vt inde mortem quantumlibet tardius affuturam confidamus, " ſecundum Hippocratis (vt fertur) ſententiã, omnis eſt omittenda curatio. "

Hoc-

» Hoc illa à perito medico, & ſuæ domui familiariſſimo acceperat, & ad
» ſolum Deum ſe orando conuerterat. [Vnde igitur tam deplorati morbi
» curatio?] Admonetur in ſomnis [inquit] appropinquante Paſcha, vt
» in parte fœminarum obſeruanti ad Baptiſterium, quæcunque illi bapti-
» zata primitus occurriſſet, ſignaret ei locum Signo Crucis Chriſti: Fecit,
» & confeſtim ſanitas ſecuta eſt. [Iam vt videant Proteſtantes, ſe ipſo quo-
que Pagano medico irreligioſiores erga Chriſtum eſſe, ecce quod ſequi-
» tur:] Medicus ſanè [inquit Auguſtinus] qui ei dixerat, vt nihil curatio-
» nis adhiberet, ſi paulo diutius vellet viuere, cùm inſpexiſſet eam poſtea
» & ſaniſſimam comperiſſet, quam priùs habere illud malum tali inſpectio-
» ne cognouerat: quæſiuit ab ea vehementer quid adhibuiſſet curationis,
» cupiens (quantum intelligi datur) noſſe medicamentum, quo Hippocra-
» tis definitio vinceretur. Cumque ab ea quid factum eſſet audiſſet, voce
» velut contemnentis, & vultu, ita vt illa metueret ne aliquod contume-
» lioſum verbum proferret in Chriſtum, religioſa vrbanitate reſpondiſſe
» fertur: Putabam [inquit] magnum aliquid te mihi fuiſſe dicturam. At-
» que illa iam exhorreſcente, mox addidit: Quid grande fecit Chriſtus ſa-
Ioan. 11. nare cancrum, qui quatriduanum mortuum ſuſcitauit? [Non illa (cre-
do) religioſa vrbanitate reſpondiſſent Hæretici, nec Chriſto qui quatri-
duanum Lazarum ſuſcitauit, factum tribuiſſent, ſicut nec modò tribuunt:
cùm id tamen res ipſa Pagano illi medico clamauerit, idemque vt cæte-
ris quoque Paganis omnibus clamaret, hac Auguſtinus narratione
ſtuduerit.

Aliud porrò miraculum Signi Crucis narrat pro Chriſto contra Paganos S. Gregorius Nazianzenus in prima Oratione qua eloquentiſſimè & meritiſſimè inuectus eſt in Iulianum Imperatorem qui non ſolùm à Chriſtiana fide noſtra ſacrilegus apoſtata, verumetiam eiuſdem fidei calidiſſimus perſecutor, & Paganiſmi vaniſſimus inſtaurator euaſerat. Hic igitur nondum Imperator, Imperij cupiditate exardeſcens, cùm totâ Græciâ conquireret vates & ariolos, ſciſcitaturus ab illis, votiné compos futurus eſſet: incidit fortè in quendam, qui hoc ei prædicere pollicitus ſit. quem habens comitem, deſcendebat [inquit Gregorius, partimque Theodoretus] in quoddam adytum horrendum [in fano quodam Idolorum. Vbi euocatis dæmonibus, & ſpecie qua ſolent apparentibus,] cùm Iulianum terrores adoriri cœpiſſent, ac ſubinde plures & formidoloſiores, re inopinata perculſus, ad Crucem vetuſque remedium confugit, eoque ſe aduerſus terrores conſignat, eumque, quem perſequebatur, in auxilium aſciſcit: [id eſt, Chriſtum, † quia ſcilicet ad Signum Crucis eius con-

Naz. Orat. 1. in Iulia. Idem Theod. Ec. Hiſt. lib. 3 c. 3. Freculp. lib. 4. c. 9. Tom. 2. Niceph. lib. 10. cap. 3. † ad ſignum

ćius confugit.] Ac quæ ſequuntur [inquit] magis tremenda. Valuit ſignaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. [Sed non ſic reſipuit Apoſtata.] Quid [enim] deinde? Reuiuiſcit malum, rurſus ad audaciam redit, rurſus aggreditur, rurſus ijdem terrores vrgent: rurſus obiecto ſignaculo dæmones conquieſcunt, perplexuſque hæret diſcipulus, [dicens, ſe virtutem Crucis vehementer admirari, cuius nempe vel figuram dæmones ferre non poterant.] At ſacrorum antiſtes & magiſter ipſius lateri hærens peruerſè veritatem exponit: Abominationi illis fuimus, inquit, non terrori. [Siquidem non ob eam cauſam, quam tu affers, formidabant: ſed tuum factum deteſtati, ſe ab oculis noſtris remouerunt. Denique] vincit quod peius eſt: hæc enim loquitur, & locutus perſuadet, perſuaſumque diſcipulum ad perditionis barathrum ducit. [Quamobrem cùm ſimilia de hoc Signo loquantur Hæretici, caueant omnes qui ſibi ab eis perſuaderi ſinunt, & cogitent quòd ſimiliter ad perditionis barathrum ducuntur. Quomodo enim à Chriſto ſperent ſalutem, qui eam ſequuntur religionem quæ cum Iuliano Apoſtata, & præſtigiatore illo opponit ſe argumentis Diuinitatis Chriſti? Sed & multo adhuc antiquius eſt argumentum hoc, quod pro Chriſto contra Gentiles ſumitur à potentia Signi Crucis, vtpote quod etiam Lactantius, & magiſter eius Arnobius vſurpauerint: qui & teſtantur, Gentes infideles etiamtum (vt videant Proteſtantes antiquitatem Maiorum ſuorum) eandem blaſphemam euaſionem attentaſſe. Sic ſcribit Lactantius:] Nunc [inquit] huius Signi potentiam, quantum valeat, exponamus. Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum, ſciet, qui viderit, quatenus adiurati per Chriſtum, de corporibus, quæ obſederint, fugiant. Nam ſicut ipſe cùm inter homines ageret, vniuerſos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas, & malis incurſibus furiatas, in ſenſus priſtinos reponebat: ita nunc ſectatores eius, eoſdem ſpiritus inquinatos, de hominibus, & nomine Magiſtri ſui, & Signo Paſſionis excludunt. Cuius rei non difficilis eſt probatio. Nam cùm Dijs ſuis immolant [Gentiles,] ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant, Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates. Et hæc ſæpè cauſa præcipua iuſtitiam perſequendi, malis Regibus fuit. Cùm enim quidam miniſtrorum Noſtri ſacrificantibus Dominis aſſiſterent, impoſito frontibus Signo, Deos illorum fugauerunt, ne poſſent in viſceribus hoſtiarum futura depingere. Quod cùm intelligerent aruſpices, inſtigantibus iiſdem dæmonibus quibus proſecrarant, conquerentes, profanos homines ſacris intereſſe, egerunt Principes ſuos in furorem, vt [qua-

crucis. i. ad Christum fugere.

Lact. lib. 4. cap. 27.

† al. expurgarent. vt [quaſi] † expurgarent Dei templum, ſeque vero ſacrilegio contami-
» narent, quod grauiſſimis perſequentium pœnis expiaretur. [Atque hic triumphum canit de Gentilibus, eademque opera de Proteſtantibus, di-
» cens: Nec tamen ex hoc ipſo cæci homines intelligere poſſunt, aut hanc
» [Christianorum] eſſe veram religionem, cui [per Signum crucis] ad
» vincendum tanta vis ineſt, aut illam [Gentilium] falſam, quæ ſubſiſte-
» re, aut congredi non poteſt. [Videant igitur Proteſtantes, quid pro ſe & pro Gentilibus contra Chriſtum & contra Chriſtianam religionem huic argumento reſpondeant: niſi fortè placeat eis ipſa Gentilium reſ-
» ponſio, quam Lactantius his verbis ibi refert: Sed aiunt, hoc Deos non
» metu, verùm odio facere. Cui reſpondet Lactantius: quaſi quiſquam
» poſſit odiſſe niſi eum, qui aut noceat, aut poſſit nocere. imò verò con-
» gruens maieſtati fuit [ſi quam maieſtatem haberent Dij iſti,] vt eos quos
» oderant, præſentibus pœnis afficerent potiùs, quàm fugerent. Sed [inquit,
» veram reddens cauſam] quoniam neque accedere ad eos poſſunt, in qui-
» bus cæleſtem notam viderint, nec ijs nocere, quos Signum immortale
» munierit, tanquam inexpugnabilis murus: laceſſunt eos per homines, &
Arnob. lib. 10. cont. Gentes. manibus perſequuntur alienis. [Eodemque modo antea reſponderat Arnobius, Gentiles alloquens:] Chriſti [inquit] nomen auditum fugat
» noxios ſpiritus, imponit ſilentium vatibus, haruſpices inconſultos reddit,
» arrogantium magorum fruſtrari efficit actiones, non horrore, vt dicitis,
» nominis, ſed maioris licentia poteſtatis.

Euſebius etiam Cæſarienſis Oratione de laudibus Conſtantini eodem argumento triumphat contra Gentiles, & in ijs contra Proteſtantes,
Euſ. Or. de laud. Conſt. pag. 365. Imperatoribus ſuperioribus qui perſecuti fuerant Chriſtianos, his verbis inſultans: Quò tandem ſe receperunt, qui his tanquam dijs confiſi,
» inanique adducti perſuaſione, animos ita ſuſtulerunt, vt bellum contra
» veritatis defenſores ſuſciperent? Certè miſeri miſerè & infœliciter pe-
» rierunt. Quem locum iam occupat turba Gigantum, qui cum Deo bel-
» lum gerebant? Illi profectò multitudine deorum confiſi &c. cum in-
» gentibus copijs conciderunt. Hic noſter [id eſt, Conſtantinus] lorica
» pietatis ſeptus munituſque, ſalutari & vitali Signo Crucis, veluti pro-
» pugnaculo, aduerſarariorum multitudini oppoſito, ab hoſtibus, à dæ-
» monibuſque victoriam reportauit. Deinde grata animi voluntate indu-
» ctus, preces ad gratias agendas, Deo auctori victoriæ impertijt: claraque
» voce, adeoque columellis erectis, omnibus hominibus hoc Signum
» triumphale prædicauit: inque media vrbe [Roma] quæ omnium prin-
» ceps eſt, hoc inſigne trophæum contra omnes hoſtes erexit: edixitque

palàm,

palàm, vt omnes hoc ſalutare Signum, quod nulla vetuſtate conſici deleriq́ue poteſt, cùm Romani, tum totius orbis terrarum Imperij munimentum agnoſcerent. Quod quidem cùm omnes homines ſcire, tum milites imprimis docuit. [Et paulo pòſt:] Imperator autem triumphale Signum honorat, diuinitatem quæ in eo eſt, re ipſa expertus. Nam iſto, hoſtium multitudines in fugam verſæ: iſto, Dei aduerſariorum inanis oſtentatio compreſſa: iſto, petulantes maledicorum impiorumq́ue linguæ ad ſilendum compulſæ: iſto, barbara hominum genera ſubiugata: iſto, poteſtates dæmonum aſpectum fugientium abactæ: iſto, ſuperſtitioſæ aſtutiæ & erroris ludibria refutata. Iſti denique cumulatam omnium bonorum quibus fruimur, expletionem acceptam referens Imperator, columellas triumphales, quibus illius decus illuſtretur, vbique terrarum collocauit. [Iterumq́ue nonnullis interpoſitis:] Nam hoc ſalutare Signum [inquit] reuera fuit (eſt quidem iſtud & incredibile dictu, & cogitatu planè admirabile) quod ſolum ſimulac in terris viſum fuit, omnes commentitias fabulas quæ ab initio de dijs confictæ fuiſſent, omnium oculis ſubiecit: & ſicut errorem tenebris obruit & obliuione, ſic lumen mente ſola perceptum, quo hominum animi illuſtrantur, vnum videlicet ac verum Deum, omnibus patefecit. Hæc Euſebius contra Gentiles ex Signo Crucis. Et ſimilia omnino Chryſoſtomus, in Libro qui inſcribitur Contra Gentiles, quòd Chriſtus ſit Deus, ita dicens, & premens Gentiles:- *Chryſ. tom. 5. p. 1033.*

Crucem vbique celebrari videre licet, &c, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dæmonibus obſeſſis, &c. Vellem audire à Pagano &c. Vnde ergo, dic mihi &c. Ipſum ergo hoc Lignum, in quo poſitum ſanctum Corpus Domini, & crucifixum, quarénam habere totus Orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, & ceruicibus ſuis aptent, hinc valde honeſtati, & magnifici, muniti, & protecti, licèt condemnationis fuerit lignum? &c. Hoc enim mortis ſymbolum, multæ benedictionis argumentum eſt factum, & omnigenæ ſecuritatis murus, tempeſtiua diaboli plaga, dæmonum frænum, chamus contrariarum virtutum. Hoc mortem ſuſtulit, hoc inferni æreas portas confregit, hoc ferreos vectes contriuit, diaboli arcem expugnauit, peccati neruos execuit, totum orbem condemnationi ſubiectum eripuit, plagam à Deo immiſſam aduerſus naturam noſtram remiſit: quæque non potuit mare cum diuideretur, & petræ cùm rumperentur, & aër cùm mutaretur, & manna quod quadraginta annis tot milibus dabatur, & Lex, & alia ſigna, tam in eremo, quàm in Palæſtina facta: ea potuit

OO 2 Crux,

Crux, non in vna Gente, ſed in toto Orbe, & in omnibus quas ſol aſpectat terris. Crux maledicti ſymbolum, quod omnes fugiebant, quod omnes deprecabantur, quod probroſiſſimum dicebant omnes, tantum ac tale poſt Crucifixi mortem robur accepit. Diſce ergo, quanta eius ſit virtus, quomodo ſine bello & facilè omnia operetur. [Et alibi rurſus idem eloquentiſſimus & Chriſtianiſſimus Pater: Neminem [inquit] pudeat horum ſalutis noſtræ ſymbolorum atque Signorum. Sed veluti coronam, ſic læto animo Crucem Chriſti circunferamus. Omnia enim quæ ad ſalutem noſtram conducunt, per ipſam conſummantur. &c. Quam non ſimpliciter digito in corpore, ſed magna profectò fide in mente priùs formare oportet. Nam ſi hoc modo eam faciei tuæ impreſſeris, nullus ſceleſtorum dæmonum cùm haſtam videat, qua letale vulnus ſuſcepit, congredi tecum audebit. Nam ſi cùm ſolummodo loca in quibus capite damnati pœnas perſoluunt, videmus, ingenti horrore concutimur: quid paſſurum putas diabolum, ſi mucronem tenere te viderit, quo vires eius Chriſtus diſſoluit, & quo caput draconis magnò ictu rotauit. Noli ergo tanto tu bono verecundari, ne, quando in maieſtate ſua veniet Chriſtus, de te verecundetur. &c. Hoc ſignum & priſcis, & noſtris temporibus clauſas ianuas reſerauit, hoc venenorum vires extinxit, hoc cicutæ vim diſſoluit, hoc feroces beſtias repreſſit, hoc letales ſerpentum morſus curauit. Etenim ſi portas inferni perfregit, ſi cælorum oſtia recluſit, ſi Paradiſi renouauit ingreſſum, ſi diaboli neruos recidit: quid mirum eſt, ſi peſtifera venena, atroces beſtias, aliaque huiuſmodi ſuperauit? Hoc igitur in mente tua inſculpe, & animarum amplectere ſalutem. Hæc enim Crux terrarum orbem conuertit atque ſanauit, hæc errorem abegit, veritatem reduxit, terram in cælum reſtituit, ex hominibus angelos effecit. Hæc crux non terribiles, ſed deſpicabiles hominibus dæmones effecit. Hac cruce mors in ſomnum redacta eſt, hac omnia quæ nobis aduerſabantur, humi deiecta conculcantur. Si ergo Gentilium quiſpiam abs te petierit, Crucifixumne adores? noli dubitare, clara voce & læta facie dicere: Et adoro, & adorandi nunquam faciam finem. &c. Clara & magna voce dicamus, & tunc maximè quando adſunt Gentiles, eximiâ fiduciâ exclamemus: Gloria noſtra, caput & origo beatitudinis, libertas, & corona, Crux eſt.

Crucifixi virtus cognoſcitur ex virtute Crucis. Chryſoſt. Hom. 55. in Matth. 16. Vide & Athan. Ora. de Incar. Verbi.

Ex his igitur animaduertere licet, quales Chriſtiani ſint Proteſtantes, in quorum præſentia, maximè vbi dominantur, non minùs

verecun-

verecundantur, nec minùs periclitantur Chriſtiani ob vſum Signi Crucis, quàm vnquàm in præſentia & perſecutione Gentilium. cùm tamen idem prorſus ſit (vt videmus) erubeſcere in Signo Crucis & erubeſcere in Crucifixo; contraque idem prorſus gloriari in Signo Crucis & gloriari in Crucifixo. ideoque meritò ſibi timere iram Crucifixi debeant, quotquot Hæreticos iſtos ſibi ſectandos putant, nec conſiderant, quòd tantùm abeſt vt veri Chriſtiani ſint, vt planè è diuerſo Chriſtianorum caſtris ſe opponant, & Gentilium caſtra ſequantur, & propterea iiſdem Chriſtianorum telis, quibus Gentiles, & ipſi confodiantur. Id quod ſicut iam per Honorem Crucis, & per Robur Crucis oſtendi, ſic deinceps per Honorem etiam Sanctorum, & per Potentiam Sanctorum clariſſimè demonſtrabo.

MOTIVVM DECIMVM-QVINTVM.

Eximiam noſtram venerationem Sanctorum Chriſti, adeoq; & Reliquiarum ipſorum, apud eoſdem Maiores noſtros vſurpatam eſſe tanquam ſolidiſſimum pro ipſius Chriſti Deitate motiuum contra Paganos: indeq; rurſus adhuc clarum eſſe, quòd Proteſtantes non ſolùm contra nos, verùm etiam contra primitiuos Chriſtianos, & contra Chriſtum ipſum, ſtent apoſtaticè cum Paganis.

RVRSVS igitur qui veram hoc tempore inuenire Religionem, qua ſaluentur, cupiunt, hoc quoque intelligant & conſiderent fuiſſe inter cætera argumentum Maiorum noſtrorum, quo à Paganis euincerent Diuinitatem Ieſu Chriſti Domini noſtri, quia ſcilicet is in tam ſublimi honoris faſtigio ſanctiſſimos ſeruos ſuos apud omnes collocauit, vt qui terrena dignitate maximè præfulgent, veluti Reges & Imperatores ipſi, cæterique omnes, eoſdem Chriſti Seruos deuotiſſimè adorēt, eiſque humillimè ſupplicent, & ad eorū etiam Sepulchra atque Reliquias ſtudioſiſſimè concurrant, ſeque felices exiſtiment, ſi corpora ſua poſt mortem non ſolum iuxta Sanctorum corpora, verum etiam propè eorum Eccleſias & Baſilicas ſepeliri contingat. Ex quibus facilè animaduertunt Proteſtantes, quod longè à Chriſtiana religione receſſerint ipſi,

qui nec iſtos Chriſti ſeruos illuſtriſſimos, nec ipſam adeo glorioſiſſimam
Rom. 5. Matrem eius ſemper-virginem Mariam dignantur ſic venerari. quam tamen intelligere deberent à D. Paulo vocante Adam formam Chriſti, in illo eodem ordine cauſam eſſe ſalutis generis humani, in quo ordine
Iren. lib. 3. cap. 33. & lib. 5 circa medium. Eua cauſa erat perditionis eiuſdem: quemadmodum S. Irenæus alicubi, & tota Eccleſia Catholica (quæ tertia Eua eſt) in varijs ſuis hymnis pie & ſapienter agnoſcat; ſic implens illam eiuſdem ſanctiſſimæ Deiparæ prophetiam (quâ & contra omnes Hæreſes ſtatuitur clariſſimè Eccleſiæ ſemper
Luc. 1. „ viſibiliter perſeuerans) Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes „ generationes: quia fecit mihi magna qui potens eſt. Vnde & Scholæ catholicæ meritiſſimò docent, alios quidem Sanctos dulia, Matrem verò Dei hyperdulia colendam eſſe, vtpote quæ vna inter omnes mulieres ſingulariter benedicta & ſingulariter benedictionis cauſa fuit, ſicut econtrà Eua vna ex omnibus ſingulariter maledicta, & ſingulariter maledictionis cauſa extitit.

Sic igitur (vt dixi) ab honore Sanctorum argumentatur pro Deitate Chriſti Chryſoſtomus in ſupradicto libro qui inſcribitur, Contra
Chryſoſt. tom. 5. col. 1032. Gentiles, quòd Chriſtus ſit Deus, ſuper illud Eſaiæ Prophetæ, Et erit
Eſa. 11. requies eius, honor, premens Gentiles honore Sepulchrorum Chriſti, & Apoſtolorum eius, atque ita dicens:

„ Et locus quidem quo Corpus hoc poſitum fuit, breuis erat & valde „ anguſtus: auguſtior tamen & venerabilior mille Regum palatijs, imò „ etiam Regibus ipſis. Et erit requies eius, honor. Non in ipſo tantùm, „ ſed & in Diſcipulis ſuis hoc contigit. Nam qui ducebantur & circunducebantur, qui contempti erant & vincti, & qui innumera patiebantur „ dum viuebant: vbi defuncti ſunt, Regibus ipſis erant magis venerabiles. „ Etiam Romæ, quę vrbium eſt regaliſſima, relictis omnibus, ad Sepulchra „ Piſcatoris & Pellionis currunt & Reges, & Præſides, & Milites. Et in „ Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi prope „ Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur, „ fiantque Piſcatorum oſtiarij Reges. Neque hinc in morte confunduntur,
Col. 1029. ſed honeſtantur & ipſi, & eorum nepotes, & pronepotes. [Et aliquanto
Pſalm. 44. antè ſuper illud Pſalmi, Conſtitues eos principes in omni terra, ita vr- „ get:] Quòd autem Regibus maiores ſint Petrus & Paulus, declarauit „ euentus. Nam Regum leges, etiam ipſis viuentibus, irritantur: At Piſcatorum illorum, etiam mortuis ipſis, ratæ ſunt, & immobiles manent: „ licèt multis legibus, animaduerſionibus, armis, ſupplicijs, argutijs, ver- „ borum eloquentia, &c, refringere plurimi conati ſint. Et quia illi

con-

conſtituti Principes, etiam deſiderabiliores ſint ſubditis; non ſicut multi « Principes, terribiles, moleſti, & atroces: ideo ſubdit, dicens: Propterea « populi confitebuntur tibi in ſeculum, hoc eſt, gratias dicent tibi, gratias « multas tibi offerent, quod tales principes dediſti. Quemadmodum au- « tem Chryſoſtomus in genere vniuerſis Gentilibus, ita Auguſtinus hoc idem in ſpecie Madaurenſibus Gentilibus proponit, vt eis Diuinitatem Chriſti, iudicium generale, & totam Religionem Chriſtianam inde per- ſuadeat: admonens eos nimirum & commemorans, ſicut cætera multa, ita hoc ipſum vt videmus impletum, ſic fuiſſe prædictum. Vnde pri- mùm generaliter ſic dicit: Omnia quæ præteritis temporibus erga huma- « num genus Maiores noſtri geſta eſſe meminerunt, nobiſque tradiderunt: « omnia etiam quæ nos videmus, & poſteris tradimus, quæ tamen perti- « nent ad veram Religionem quærendam & tenendam, diuina Scriptura « non tacuit; ſed ita omnino cuncta tranſeunt, vt tranſitura eſſe prædicta « ſunt. [Deinde ſpecialiter quædam recenſet. ac primùm quidem de Iudæo- rum deſertione, quoad completionem: Videtis certè [inquit] popu- « lum Iudæorum auulſum à ſedibus ſuis, per omnes ferè terras diſſemina- « tum atque diffuſum. [& ſubiungit prædictionem:] Et origo eiuſdem po- « puli & incrementa, & regni amiſſio & per cuncta diſperſio, ſicut præ- « dicta, ita facta ſunt. [Secundò de Gentium vocatione, quoad comple- tionem:] Videtis certè ex ipſo populo [Iudæorum] verbum Dei legem- « que prodeuntem per Chriſtum, qui ex illis mirabiliter natus eſt, omnium « Gentium fidem occupaſſe atque tenuiſſe [& ſubiungit prædictionem:] « Iſta hæc omnia prænunciata legimus, vt videmus. [Tertiò de Hæreti- corum defectione, quoad completionem:] Videtis certè multos præci- « ſos à radice Chriſtianæ ſocietatis, quæ per Sedes Apoſtolorum, & Suc- « ceſſiones Epiſcoporum, certa per orbem propagatione diffunditur, de « ſola figura originis ſub Chriſtiano nomine quaſi areſcentia ſarmenta glo- « riari, quas Hæreſes & Schiſmata nominamus. [& ſubiungit prædictio- « nem:] Præuiſa, prædicta, ſcripta ſunt omnia. [Quartò denique id de quo hoc loco agimus, quoad completionem:] Videtis certè Simulachro- « rum templa partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clau- « ſa; partim in vſus alios commutata: Ipſaque Simulachra vel confringi, « vel incendi, vel includi, vel deſtrui: Atque ipſas huius ſeculi Poteſtates, « quæ aliquando pro Simulachris populum Chriſtianum perſequebantur, « victas & domitas, non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis, « & contra eadem Simulachra pro quibus Chriſtianos occidebant, impe- « tus ſuos legeſque vertiſſe, & Imperij nobiliſſimi eminentiſſimum culmen «

Aug. Epiſt. 42. ad Madaurenſes.

[id eſt,

„ [id eſt, Romanos Imperatores] ad Sepulchrum Piſcatoris Petri ſubmiſſo
„ diademate ſupplicare. [& ſubiungit etiam iſtorum prædictionem:] Hæc
„ omnia Scripturæ diuinæ [quas nos infrà citabimus Motiuo 18. de Idolorum deſtructione, & Motiuo 19. de Regum religione] quæ in manus omnium iam venerunt [etiam Gentilium. nam priùs fuerunt in manibus
„ Iudæorum tantùm] ante longiſſima tempora futura eſſe teſtatæ ſunt.
„ [Vnde identidem contra Gentiles triumphat, dicens: Hæc omnia tanto
„ robuſtiore fide lætamur fieri, quanto maiore authoritate prædicta eſſe in Sanctis Literis inuenimus. Vnde alibi quoque inſultat Gentilibus, & di-
„ cit: Oſtendatur mihi Romæ in honore tanto Templum Romuli, in quanto ibi oſtendo Memoriam Petri, [& ſequitur:] In Petro quis honoratur, niſi ille Defunctus pro nobis? [Et rurſus alibi:] Beatiſſimum Petrum Piſcatorem modò genibus prouolutis adorat Gentium multitudo credentium. [Eant igitur iam Proteſtantes, & contra Chriſtianos ſuccurrant ſocijs ſuis Paganis, quidque huic Motiuo quod à Supplicatione Imperatorum ad Sepulchrum Petri ſumitur, reſpondeant, ſuggerant. Ac tum ſimul eant egregij ſcilicet Chriſtiani, taleſque ad Chriſtum ſequantur duces. Id quod quàm abſurdum & impium ſit, quis quomodolibet Chriſtianus non animaduertat? Sapiant igitur maturè omnes, & ad religionem Catholicam redeant, quæ ſola religio Chriſtiana eſt, ſicut ex his facillimum eſt videre: cùm interim Hæreticorum impietas (quid enim dicam, religio) planè Paganica ſit, vel certè Paganicæ impietati tam vicina, vt breuiſſimo interuallo abſit: quippe quam tam multis in rebus à Chriſtianiſmo defeciſſe, & tam multis rurſum gradibus ad Paganiſmum acceſſiſſe videamus.

In Pſalm. 44.
De Sanctis, Ser. 25.

Sed poſt Chryſoſtomum & Auguſtinum audiamus adhuc Theodoretum tractantem hunc eundem locum, in illo doctiſſimo Opere quod compoſuit pro Chriſtiana religione contra Gentiles, & inſcripſit De curatione Græcarum affectionum. Libro igitur octauo, qui titulum habet De Martyribus, demonſtrat Gentilibus Deitatem Chriſti ex eo,] quòd
„ Martyres ſuos inextincta gloria illuſtrauit. Nam cùm cætera [inquit]
„ omnia paulatim marceſcere abolerique inſtituerit, horum tamen gloriam
„ incorruptam ſeruauit. Ac animæ quidem triumphatorum Martyrum, in
„ cæleſti nunc patria vitam agunt, Angelorum choros inter ſitæ. Eorum
„ verè corpora non ſingula quidem ſingulis monumentis conduntur, ſed
„ ciuitates, oppida, paganique conuentus, hæc inter ſe ſortitò partiti ſunt,
„ laborantibuſque animis ac ægrotis corporibus ſalutares eos confiteri non
„ ceſſant. Nihiloque ſecius vrbium cuſtodes, ac locorum præſides venerantur,

Theod. de cur. Græc. aff. lib. 8.

rantur, quorum precibus & interuentu apud Deum vtentes, per eos de- "
mum diuina munera conſequuntur. [Ex quibus alijſque ſimilibus paulo "
pòſt inuehitur in Gentiles, ſimulque in Proteſtantes, dicens : Vos au-
tem, Græci homines, ne hæc quidem adducunt, vt Deum regem Mar- "
tyrum laudetis, ſed cum deriſu [1]. damnatis eum qui à cunctis latè mor- "
talibus eis honor defertur, [2]. abominandum ſcelus admittere vos pu- "
tantes ſi ad eorum buſta propiùs accedatis. [Vbi multis commemora-
tis, quibus mortuis Gentiles ipſi etiam diuinos honores tribuerunt, tan-
dem ſic concludit contra eos :] Quid igitur, viri Græci, qui defunctos "
tot numero homines appellatis Deos, aduerſus nos indignationem con- "
cipitis, cùm nullos quidem noſtrorum hominum referamus in Deos, "
quanquam debitos honores Martyribus perſoluamus, vt Dei teſtibus "
ſeruiſque amantiſſimis ? [Tum & de altero, id eſt, de eorum Sepul-
chris incipit rationem reddere, dicens : Cur & eum inquinari pollui- "
que cenſetis, qui ad loculos defunctorum accedat? [Vbi oſtendit, ipſos
Gentiles ad Sepulchra mortuorum etiam diuinos honores exhibuiſſe,
& de nobis è diuerſo dicit : Atqui nos, ô Græci homines, nec hoſtias "
Martyribus, nec libamina vlla deferimus : ſed vt ſanctos homines "
Deique amiciſſimos honoramus. tanto enim amore creatorem Deum, "
generiſque humani vindicem proſequuti ſunt, vt amabile illis fuerit, "
pro accepta ſemel religione, iugulum percuſſori porrigere. [Sic igitur "
explicato diſcrimine Paganorum & Chriſtianorum in veneratione ho-
minum defunctorum, & deinde oſtenſo Martyres cùm apud Deum beatè
viuere, tum hominum negocia curare : accedit propiùs ad eorum ho-
norem maximum amplificandum : vt inde demonſtret Gentilibus,
quàm meritò adorandus ſit Chriſtus, & agnoſcendus Deus, qui
Seruos ſuos in tanto dignitatis culmine potuit collocare. Hinc enim
docet, quòd quantacunque de ſuis philoſophis prædicent Genti-
les, tamen neque Socrates eos conſequutus ſit honores, quos Mar- "
tyres Chriſti conſequutos videmus, neque Anaxarchus, neque Zeno "
Eleates, neque cæterorum vllus. Secundò idem docet de bellicis eo-
rum ducibus : Neque item illi [inquit] quibus illuſtria & celeber- "
rima excitata ſunt virtutis trophæa, [ſiue illi fuerint Græcorum duces, "
vt] Miltiades, Cimon, Pericles, Themiſtocles, Ariſtides, Braſidas, "
Ageſilaus, Lyſander, Pelopides, Epaminondas : [ſiue] Romanorum "
præclariſſimi, [vt] Scipio, Brutus, Cato, Sylla, Marius, Pompeius, "
& ipſe Cæſar. [Neque enim vel iſti (inquit] quaſi Martyres, ho- "
nore affecti ſunt. [Deinde ab iſtis ad Reges aſſurgit, dicens : "

PP Quid

» Quid ego autem bellicos duces commemoro, cùm ne ipſi quidem Reges
» ita vnquam honeſtati cultique fuerint? Non Cyrus, non Darius, non
» Xerxes, non Alexander: Non Auguſtus, non Veſpaſianus, non Traia-
» nus, non Hadrianus, non Antoninus. &c. Quis eſt enim homo, [inquit]
» qui Sepulchrum Xerxis, Dariíve cognorit? Quis Alexandri? ne Au-
» guſti quidem Cæſaris tumulus aliorúmve ſupereſt qui poſt eum Roma-
» num imperium moderati neſcierunt tantæ Dignitatis datorem Deum.
» &c. cùm tamen eorum ſtultiores quidam Deos ſeſe declararint, vt An-
» tiochus, & Caius; ſibique ipſis adhuc viui Templa conſtruxerint, vt
» Veſpaſianus, & Hadrianus. Verùm [inquit] iſti & vitali ſimul aura &
» impio honore priuati ſunt. [Sed contrà de noſtris ait:] Martyrum verò
» Templa, conſpicua cernuntur, magnitudineque præſtantia, omni præ-
» terea ornatus genere variata, ſplendoremque quodammodo pulchritu-
» dinis ſuæ latè fundentia. Neque verò hæc per annum ſemel, aut bis, aut
» quinquies aduentamus, ſed in eis ſæpenumero dies feſtos peragimus, ſæpè
» diebus ſingulis eorum Martyrum Domino laudes hymnoſque cantamus.
» Quique homines proſpera ſunt valetudine, conſeruari eam ſibi à Marty-
» ribus petunt: qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, ſanitatem ex-
» poſcunt. Inſuper & ſteriles viri & mulieres, dari ſibi filios petunt: qui
» verò parentes ſunt, integra ſibi & propria cuſtodiri quæ conſequuti ſunt,
» dona. Item qui peregrè aliquo proficiſcuntur, petunt Martyres ſibi co-
» mites eſſe in via, vel potiùs itineris duces: qui verò iam ſoſpites redie-
» runt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Non [inquit,
propter calumniam Paganorum, eandemque Proteſtantium] qui ſe ad
» deos accedere arbitrentur, ſed qui orent Dei Martyres tanquam diuinos
» homines, interceſſoreſque ſibi eos apud Deum aduocent ac precentur.
Pauloque poſt repetit, ac inculcat, quantam vim habeat hoc Motiuum
» ad demonſtrandum, Chriſtum quem Martyres coluerunt, verum eſſe
» Deum, ſic declarans: Age enim, quæſo, animo reputemus, quinam
» fuerint, quóve orti loco, quos tanto honore Deus dignatus eſt. Num
» fortè illuſtres quidam clarique homines, qui ſe generis nobilitate iacta-
» rint; aut qui diuitiarum copiâ circumfluxerint; potentatúve aliquo ce-
» lebres facti ſint? Minimè quidem gentium. Nihil enim illi horum habue-
» runt, ſed priuati homines gregarijque fuerunt. Nonnulli verò ipſorum,
» tenuem ſeruitutem famuli ancillæque ſeruierunt, &c. Ex ijs itaque viris
» ac mulieribus, conſtituti ſunt Martyrum chori. [An igitur iſtos tam hu-
miles ac abiectos potuit Chriſtus honoratiores facere ſupradictis magna-
» tibus Paganorum? Ita planè. Nam Philoſophi [inquit] præclarique Ora-
tores

tores oblinioni iam dati ſunt; Imperatorum verò ac magnorum Ducum «
ne nomina quidem multi hodie norunt: cùm tamen Martyrum nomina, «
magis quàm familiarium, cuncti mortales ſciant. Quin etiam naſcenti- «
bus filijs ea imponi curant, ita cuſtodiam illis tutelamque certiſſimam «
comparantes. Verùm aſſurgit adhuc altiùs Theodoretus, ac dicit: Sed
quid ego Philoſophos, Imperatores, Duceſque commemoro, cùm eorum «
quoque qui paſſim dij ferebantur, memoriam è mente hominum Mar- «
tyres aboleuerint? Eorum namque Templa, vnà cum ſuis Lucis ſic de- «
ſtructa iam ſunt, vt ne vlla quidem veſtigia ſuperent, nedum quâ formâ «
illorum aræ conſtiterint ſcire homines poſſunt. Earum verò rerum ma- «
teria, templis ariſque Martyrum excitatis expiata eſt. Suos enim mor- «
tuos Dominus Deus noſter, in Templa pro dijs veſtris induxit. Ac illos «
quidem caſſos gloria vanoſque reddidit: ſuis autem Martyribus hono- «
rem illorum dedit. Pro Pandijs enim, Diaſijſque, ac Dionyſijs, hoc eſt, «
Iouis, Liberique patris ſolennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, «
Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, alijſque ſanctis Martyribus «
ſolennitates populari epulo peraguntur. Proque illa veteri pompa, pro «
turpi obſcœnitate ac impudentia, fiunt modeſtæ, caſtæ, ac temperantiæ «
plenæ feſtiuitates, non illæ quidem mero delibutæ, non comeſſationi- «
bus leues, non cachinnis ſolutæ, ſed diuinis canticis perſonantes, ſacriſ- «
que ſermonibus audiendis intentæ. In quibus ad Deum preces non ſine «
ſanctis lachrymis ac ſuſpirijs ſummittuntur. [Poſt quæ omnia hortatur
Gentiles, & concludit:] Cum itaque talem tantamque vtilitatem ex ho- «
nore Martyribus collato prouenire, homines, videatis, fugite, quæſo, «
errorem dæmonum, præuioque ductu Martyrum facibuſque vtentes, «
viam capeſſite, quæ ad Deum perducit, vt immortali æuo illorum choris «
& præſentia perfruamini. [Quod & nos eodem modò hortamur omnes
ſeductos ab Hæreticis, & ipſos etiam Seductores: quos omnino equidem
puto ignorantiâ tam claræ & tam perſpicuæ Catholicæ veritatis feciſſe,
vt cauſam malam initio ſuſceperint: qui propterea ſi nunc ſaltem mo-
niti reſipuerint, ſpem habent veniæ. ſin minùs, eò grauiorem portabunt
damnationem, quò magis nunc intelligunt, cauſam ſuam quam tuentur
aduerſum nos, cauſam eſſe Paganorum: & cauſam noſtram quam habe-
mus aduerſum illos, cauſam eſſe primorum Chriſtianorum Maiorum
noſtrorum, imò cauſam eſſe ipſius Chriſti, cuius Deitatem huiuſmodi
argumentis è catholica Religione noſtra depromptis, ſolidiſſimè confir-
matam audiunt. Quod vt magis adhuc agnoſcant, maiora etiam ſubiun-
gam in Motiuo proximo, ea videlicet quæ ijdem Maiores noſtri pro Dei-

tate Chriſti contra Paganos ex virtute item & potentia Sanctorum admirabili luculentiſſimè diſſeruerunt.

MOTIVVM DECIMVM-SEXTVM.

Miraculoſam virtutem Sanctorum Chriſti, adeóq; & Reliquiarum ipſorum, ab ijſdem Maioribus noſtris vſurpatam eſſe tanquam ſolidiſſimum pro ipſius Chriſti Deitate motiuum contra Paganos: indeq; clarum denuo eſſe, quòd Proteſtantes non ſolùm contra nos, ſed etiam contra Primitiuos Chriſtianos, & contra Chriſtum ipſum, ſtent apoſtaticè cum Paganis.

IN ſuperiori Motiuo demonſtraui, honorem Sanctorum & Reliquiarum à Chriſtianis hominibus celeberrimè frequẽtatum, inuictum præbuiſſe Maioribus noſtris argumentũ, quo Chriſtum Dominum noſtrum, eiuſque Deitatem contra Paganos adſtruerent atque defenderent. Iam verò multo adhuc magis inuictum argumentum erat, quod virtus admirabilis eorundem Sanctorum, ipſarumque adeò Reliquiarũ, eiſdem ſuppeditauit. Chriſtum igitur Paganis euidentiſſime & irrefragabiliter demonſtrabant Deum eſſe, quoniam Sancti & Reliquiæ eorum ſolent euertere Idôla, id eſt, ipſos Deos Paganorum, cũ ipſi interim tantummodo ſerui ſint Chriſti Dei noſtri: & quoniam ſolent eijcere dæmones ex corporibus hominũ quæ poſſederant, & morbos omnes curare, ſæpeque etiam ipſos adeò mortuos ſuſcitare: quoniamque potenter æquè ac ſalutariter reformare ſolent corruptos hominũ & populorum mores, religioneque ac pietate erga Deum animos inflammare. Quamobrem ſuccurrant hic iterum Paganis Proteſtantes, ſi poſſint, & quomodo non hinc demonſtretur Deitas Chriſti, doceant: vel potiùs conſulant ſaluti ſuæ, iſtamque tandem Paganicam deſerant hæreſim, quæ tam multis, tamque fundatis argumentis Diuinitatis Chriſti impiè aduerſatur, proptereaque ſic omnia loca repleuit nouis (vt videmus) Paganis, Atheis, & Achriſtis.

Primùm itaque prædictum audiant Theodoretum ex eodem octauo de Martyribus libro curantem hoc argumento Græcorum ſeu Gentilium affectiones & morbos, eiſque inde Deitatem Chriſti neceſſariò concludentem. Hi ſunt igitur [inquit de Martyribus] hominum duces, principes, pugnatores, cuſtodes, per quos à nobis infortunia auertuntur,

Theod. de cur. Græc aff. lib. 8.

procul-

proculque arcentur quæ à Dæmonibus inferuntur mala. [Et aliquanto poſt pluribus demonſtrat eis, poſſe Sanctorum animas etiam cùm extra corpus hoc fuerint, hominum curare negocia. Vnde in ſequentibus oſtendit, Chriſtianos quacunque re indigentes, ſiue ſanitate, ſiue liberis, ſiue ducatu itineris, orare eoſdem Dei Martyres in Templis eorum, non tanquam Deos (vt Pagani ante Hæreticos calumniati ſunt) ſed tanquam diuinos homines & interceſſores apud Deum; & vota eis facere: Poſteaque qui petita beneficia conſequuti ſunt, redire ad eoſdem Martyres cum gratijs & muneribus quæ vouerant: ſic dicens: Piè verò fideliterque " præcatos ea maximè conſequi quæ deſiderant, teſtantur illa quæ voto- " rum rei dona perſoluunt, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia. " Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum ſimu- " lachra ſuſpendunt, ex argento auróve confecta. Gratiſſimè namque ac- " cipit eorum Dominus qualiacunque ſunt dona, nec exigua nec vilia " dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Ex quibus " iam infert Theodoretus contra Paganos & concludit virtutem Martyrum, & ex illorum virtute rurſus infert diuinitatem Chriſti: Hæc itaque [inquit] omnium ſpectaculo exporrecta, teſtantur mor- " borum depulſionem, cuius ipſa certiſſima ſigna ſunt, à ſanitatem con- " ſequutis allata. Hæc (inquam) ſepultorum ibi Martyrum quæ ſit virtus, " oſtendunt. Martyrum autem virtus, quem ipſi coluerunt Deum, ve- " rum eſſe Deum declarat.

S. Auguſtinus ſimiliter in celeberrimo illo contra Paganos Opere ſuo de Ciuitate Dei, vt perſuadeat eis Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti, poſt Miracula Apoſtolorum, commemorat eis (inter alia) multa miracula ſuo tempore perpetrata per Reliquias Viginti Martyrum, per Reliquias ſanctorum Geruaſij & Protaſij, & per Reliquias S. Stephani Protomartyris: quæ à me ſuprà in Motiuo De Miraculis magis ſpecialiter indicata ſunt. Inter miracula autem S. Stephani, cùm vnum retuliſſet factum Hippone ſe præſente in quadam muliere nomine Palladia, quæ vbi de gradibus exedræ deſcendens, in quibus eam Auguſtinus " ſtare fecerat, ad ſanctum Martyrem orare perrexerat, mox vt cancel- " los Martyris attigit, ſanata eſt horribili & diuturno tremore membrorum: Tum verò [inquit Auguſtinus] tantus ab vtroque ſexu admiratio- " nis clamor exortus eſt, vt vox continuata cum lachrymis non videre- " tur poſſe finiri. &c. Exultabant in Dei laudem voces [eoque magis, quia " perendie ſanatus fuerat ibi ſimiliter per Martyrem frater eius Paulus] " ſine verbis tanto ſonitu, quantum aures noſtræ ferre vix poſſent. "

Auguſt. de Ciu. lib. 22. cap. 5. 8.

Moti. 10.

„ [Poſt quæ ſubnotat contra Paganos, dicens:] Quid erat in cordibus exul-
„ tantibus, niſi fides Chriſti, pro qua Stephani ſanguis effuſus eſt? [Et
„ mox generaliter:] Cui [inquit Paganis] niſi huic fidei atteſtantur iſta
„ miracula, in qua prædicatur Chriſtus reſurrexiſſe in carne, & in cælum
„ aſcendiſſe cum carne? Nam & ipſi Martyres huius fidei martyres, id eſt,
„ huius fidei teſtes fuerunt, &c. pro iſta fide mortui ſunt, qui hæc à Do-
„ mino impetrare poſſunt, propter cuius nomen occiſi ſunt. Pro hac fide
„ præceſſit eorum mira patientia, vt in his miraculis tanta iſta potentia ſe-
„ queretur. Nam ſi carnis in æternum reſurrectio, vel non præuênit in
„ Chriſto, vel non ventura eſt, ſicut prænunciatur à Chriſto, vel ſicut præ-
„ nunciata eſt à Prophetis, à quibus prænunciatus eſt Chriſtus: quare Mar-
„ tyres tanta poſſunt, qui pro ea fide, qua hæc Reſurrectio prædicatur, occiſi
ſunt? Reſpondeant his Hæretici pro Paganis, ſi queant, & oſtendant, ex iſta virtute & potentia Martyrum non rectè à Theodoreto & Auguſtino concludi Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Diuinitatem Chriſti.

Sed omnibus in tractando hoc genere argumenti, quod pro Deitate Chriſti ſumitur à potentia Martyrum & Reliquiarum, S. Chryſoſtomus antecellit: in eo ſcilicet Libro qui inſcribitur De Vita S. Babylæ contra Gentiles. Quod igitur Theodoretus & Auguſtinus generaliùs allegarunt Paganis de virtute Martyrum Chriſti, idiam exemplo declarabitur in Babyla Chryſoſtomi. Eſt autem exemplum hoc longè celeberrimum, & digniſſimum quod à Chriſtianis omnibus cognoſcatur, vtpote quo omnes Gentiles & Iudæi, ac in eis etiam omnes huius temporis hæretici, penitus confundantur. Porrò S. Chryſoſtomus vixit in illo & loco & tempore, quo res geſta eſt; facitque in ipſo libro quoad partem narrationis quæ maximè videbatur indigere, id eſt, circa incredibilem Iuliani turpitudinem, proteſtationem hanc, quæ tamen proteſtatio æquè ad totam narrationem valet: propterea enim [inquit] ſuperſtitibus etiam nunc teſtibus hæc ſcribo, vt ne quis vetera recenſentem me, inter eos qui rei ignari ſint, magnâ licentiâ mentiri exiſtimet. Ex ijs enim qui ea viderunt, ſuperant adhuc & ſenes & iuuenes: quos omnes obſecro & obteſtor, ſi quid à me hiſtoriæ adiectum fuerit, in medium prodeant, meque redarguant. Sed ſcilicet tantum abeſt, vt me de meo adieciſſe quicquam ſint redarguturi, vt deprehenſuri etiam ſint, multa certè à me prætermiſſa. [Neque verò ſolus Chryſoſtomus hiſtoriæ iſtius ſcriptor & teſtis eſt, verum etiam plerique omnes qui Hiſtorias Eccleſiaſticas conſcripſerunt, vt [a] Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Euagrius, Eutropius, Nicephorus, Simeon Metaphraſtes, Vſuardus: ita vt nemo

Chryſ. tom. 5.

Col. 901.

[a] Ruf. li. 1. cap. 35. Soc. lib. 3. cap. 16. Theod. lib. 3. cap. 9. Soz. lib. 5. c. 18. 19. Euag. lib. 1. cap 16. Eut. l. 10. Rerũ Rom. in Carolo Magno. Nicep. lib. 10. c. 18.

nemo de veritate narrationis poſſit ambigere. Sed antequam accedam ad tractationem Chryſoſtomi, pauca de ipſa hiſtoria breuiter prælibanda ſunt. Erat igitur Babylas epiſcopus ſeu Patriarcha Antiochenus anno Domini 240, tempore Philippi Imperatoris, qui [b] Chriſtianus fuit, & prædeceſſor Decij, multo ante Conſtantinum magnum, qui licet primus Chriſtianus Imperator extitit, non tamen primus Imperator qui Chriſtianus homo fuit, eiuſque martyrium ponit [c] Euſebius ſub Decio, Nicephorus autem tum ſub Decio, tum ſub Numeriano. ſed mihi quidem non videtur dubium, quin ponendum ſit ſub Philippo, quia Chryſoſtomus qui in eadem Antiochia & natus, & presbyter fuit, ideoque optimè ſcire potuit, apertè ſignificat, Imperatorem qui occidit Babylam, fuiſſe Chriſtianum, quatenus ait, quòd pòſt filium Regis cuiuſdam, obſidem, nefariè & perfidè à ſe occiſum, tamen quaſi nullo prorſus à ſe ſcelere facto, effrons, & ipſis etiam ſaxis durior, ad Dei optimi Maximi Templum feſtinabundus accurrit. [ſed mox occurrit ei Babylas epiſcopus,] & homicidam à Dei templo exegit, tanta adeò cum conſtantia, atque animi præſentia, cum quanta paſtor ſcabioſam ac morbidam ouem ab ouili excludit, dum prohibet ne laborantis ouis morbus ad reliquum quoque gregem contagione ſerpat. [Sed & cæteri quoque Scriptores, cum Philippum fuiſſe Chriſtianum narrant, tum virum fuiſſe [d] flagitioſum ſimul oſtendunt: ita vt tandem publicam etiam in Eccleſia egerit pœnitentiam. de qua re tota rurſus à me dicetur plenius in Motiuo 19 De Regibus. Et veriſimile eſt, Auctores nomine Perſecutionis Decij intellexiſſe hoc quoque quod Philippus prædeceſſor eius in eo genere geſſit, ſicut videntur paſſim eodem nomine includere perſecutionem etiam ſucceſſorum eius Galli & Voluſiani. Porrò Babylæ huius poſt martyrium Reliquiæ cuſtoditæ ſunt à Chriſtianis Antiochenis in quodam templo Ciuitatis ſuæ religioſiſſimè, vſquedum centum poſtea annis Gallus Cæſar, frater Iuliani, quoniam Chriſtianus erat [vt narrat Sozomenus] & quia imprimis eos qui pro religione Chriſtiana martyrium obierant, colebat, conſtituit [ſuburbium quoddam Antiochiæ, nomine Daphnen, vbi Gentiles colebant Apollinem, & multa luxurioſè agebant,] purgare tum ſuperſtitione Gentilium, tum intemperantium hominum contumeliâ. Atque cùm perſuaſum haberet, ſe facilè hoc perfecturum, ſi modò Eccleſiam ibi in Delubri loco extrueret: tranſtulit in Daphnen loculum Babylæ martyris, qui Eccleſiam Antiochenam præclarè admodum rexiſſet, martyrioque occubuiſſet. Ex quo quidem tempore dicitur dæmonium [illud Apollinis] nullum oraculum, vti conſueuerat, edidiſſe. [Aliquot autem

pòſt an-

Mel. in vita Babylæ. Vſu. 9. Cal. feb.

b Euſ. lib. 6. cap. 27.

c Euſ. l. 6. cap. 32. Nic. lib. 5. cap. 26. lib. 10. cap. 28.

Chryſoſt. de vita Baby. col. 887.

d Euſ. lib. 6. cap. 27. Nic. lib 5. cap 25. Euag. lib. 5. cap. 7. Moti. 19. num. 32.

Soz. lib. 5. cap. 18.

poſt annis Iulianus iam Imperator & Apoſtata, cùm bellum contra Perſas moliretur, venit Antiochiam. & [e] vbi templa Gentilium, quæ ibi erant [quæ pridem clauſerant Gallus frater eius & alij Imperatores Chriſtiani] aperiri mandauerat, oraculum ab Apolline, qui in Daphne colebatur [iuxta fontem Caſtalium,] accipere maturauit. [Sed (vt narrat Ruffinus) cùm litaret Apollini, & nulla ex his quæ quærebat, reſponſa ſuſciperet, cauſaſque ſilentij percontaretur à ſacerdotibus Dæmonis, aiunt, (quòd illis reſponderat ipſe Apollo, vt patet ex [f] Chryſoſtomo) Babylæ martyris Sepulchrum propè adſiſtere, & ideo reſponſa non reddi. Tum ille, venire Galilæos (hoc enim nomine noſtros appellare ſolitus erat) & auferre Sepulchrum martyris iubet. Igitur Eccleſia vniuerſa conueniens, matres & viri, virgines iuuenéſque immenſa exultatione ſuccincti, trahebant longo agmine arcam Martyris, pſallentes ſummis clamoribus, & cum exultatione dicentes: Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui confidunt in ſimulachris ſuis. Hæc in auribus prophani Principis per ſex millia paſſuum tanta exultatione pſallebat omnis Eccleſia, vt cælum clamoribus reſultaret. Vnde & ille in tantam iracundiæ rabiem deductus eſt, vt altera die comprehendi Chriſtianos paſſim & trudi iuberet in carcerem, ac pœnis & cruciatibus affici. Sic habet nuda hiſtoriæ narratio: ex qua ſola licèt facilè intelligant omnes per ſe admirabilem virtutem Martyrum in Reliquijs ſuis, & inexpugnabilem vim argumenti quod inde contra Iulianum & contra omnes Gentiles, ſimulque etiam contra Proteſtantes, pro Chriſto ipſo, & pro Catholica religione colligitur: tamen quia vtiliſſimum & iucundiſſimum eſt, apponam nunc etiam Chryſoſtomi tractationem, ex ſupradicto Libro, quem ex hac ipſa hiſtoria Babylæ compoſuit & inſcripſit contra Gentiles: vt nemini prorſus cæco eſſe liceat, ſed videant vniuerſi admirabilem ſplendorem religionis noſtræ Catholicæ, omnes ſimul inimicos Chriſti & Eccleſiæ, Gentiles, Iudæos, & Hæreticos confundentis. Ergo hunc in modum S. Chryſoſtomus præfatum Librum exorditur:

Dominus noſter Ieſus ad Crucis ſupplicium iamiam acceſſurus, ac mortem illam viuificam moriturus, nocte ea poſtrema, qua Diſcipulos ad ſe ſuos ſemotis arbitris vocauit, apud eos cùm permulta verba alia fecit, eoſdem plurimarum rerum commonefaciens, tum inter alia & tale quiddam ipſis dixit: Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & his maiora faciet. [Ibique mox horum cum Magiſtris Gentilium comparationem inſtituit, dicens:] Atqui multi olim alij Magiſtri extitere, qui & diſcipulos habuerunt, & miracula item oſtentarunt,

Marginal notes: e Soc. lib. 3. cap. 16. — Ruf. lib. 1. cap. 35. — f Chryſ. de Babyl. col. 904. — Pſalm. 96. — Chryſoſt. Tom. 5. col. 579. — Ioan. 14.

runt, quemadmodum iactitantes gloriantur Gentiles. Veruntamen illorum nemo vnquam eiuſmodi orationem vſurpare, ac ne animo quidem verſare ſuſtinuit. [Adeoque nec Gentilium quempiam talem ſermonem vel affinxiſſe vnquam vlli etiam Deorum ſuorum, aſſeuerat: &, Cauſam [inquit] ſi placet, aperiam: Nam tale quiddam profiteri, idque re ipſa præſtare, ad Diuinam illam virtutẽ ſolam ſpectat. [Ad Chriſtum igitur ſolũ, qui vt Deus potuit, & vt bonus voluit ſuis talem poteſtatẽ cõmunicare, huiuſmodi oratio pertinet. Sed quoniam Gentiles negaturi erant:] Quod ſi quis [inquit] fortè mecũ contendat, vbinam Chriſti oraculũ hoc finem ſuum ſortitum ſit: accepto in manus Libro eo cui Acta Apoſtolorũ nomen eſt: videbit, hinc ægrotos in lectulis decumbentes, Vmbras autem Beatorum illorum ſolo ſtatim corporũ attactu ipſis ſanitatem reſtituere: hinc furioſos permultos nullo prorſus alio quàm tactarum Pauli veſtium remedio eguiſſe, vt à dæmone quo exagitabantur, liberarentur. [Quoniamque rurſus negaturi erant Gentiles, hæc ita facta eſſe: poſt multa ad Apoſtolicæ Hiſtoriæ fidem eis faciendam allata, tandem pro clariori probatione in hunc de Babyla ſermonem deuenit, & dicit: Atque quòd vetera ea [Apoſtolorum] quæ nos auditu accepimus, non minore fide digna ſint, quàm quæ præſentia ſunt, & quæ ipſi videmus: id certè omnes fateantur, niſi ſi qui fortè ſtupidi ac delirantes fuerint. [Ac tum narrare incipit quæ ſuprà tetigi de Imperatore quodam homicida & ſacrilego, quem excommunicauit Babylas, atque ob id ab eo vinctus & interfectus eſt.] ſed vir [inquit] ſanctus morti ſe propinquum dum videret, corpus ſuum vnà cum ferreis illis catenis ſepeliendum mandauit, [oſtendens ſibi illas Chriſti causâ pergratas & peramicas fuiſſe.] Et extant etiam nunc [inquit] cum Babylæ cineribus cõpedes. [Itaque demum accedit ad ea tractanda quæ huius propriè loci ſunt, quæ ſcilicet Babylas poſt mortem quoque geſſit. Sed priùs nonnihil in hunc communem locum diſertè & deuotè diſſerit, Quibus nimirum de cauſis ipſas nobis Sanctorum Reliquias Deus reliquit.] Nam poterat [inquit] Babylas vel exemplo Enoch transferri, vel Heliæ modo rapi, vt qui vtriuſque æmulator fuerat. At Deus, qua eſt in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis ſalutis noſtræ occaſiones dedit, & hanc quoque viam nobis à ſe munitam eſſe voluit, idoneum ad virtutem capeſſendam ſtimulum, relictis ſcilicet interim apud nos Sanctorum Reliquijs. Nam poſt ſermonis facultatem, ipſa certè Sanctorum Sepulchra proximum locum obtinent ad animas hominum in ipſos Sanctos intuentium, ad virtutum earundem æmulationem excitandas.

Act. 5. *Act. 19.* *Col. 115.* *Col. 196.* *Geneſ. 5.* *4. Reg. 2.* *Virtus Reliquiarũ in reformatione morum.*

» At ſicubi quis huiuſmodi conditorijs adſtat, ſuum ſtatim ſenſum ab hac, » quam dico, vi correptum animaduertit. Capſulæ enim aſpectus in ani- » mam inuadens ipſam percellit, & exuſcitat, ac perinde afficit, quaſi qui » illic mortuus iacet, preces ſimul fundat, præſenſque adeſſe cernatur: de- » inde fit, vt qui ſe ſic affectum ſentit, mira alacritate geſtiens, aliuſque » prorſus quodammodo effectus, ita ex eo loco decedat. [Atque vt iſta confirmet, poſt pauca ſubijcit, dicens: Porrò autem quòd hæc dicam » non temerariæ cuiuſdam iactantiæ cauſa, ſed quòd idipſum emolumenti » noſtri gratiâ factum fuerit, abundè orationi noſtræ fidem faciunt tum » quæ quotidiana à Martyribus Miracula eduntur; magna affatim ad illa ho- » minum multitudine affluente, tum illis nihilo inferiora Babylæ præclara » poſt ipſius obitum virtutis egregiæ ſpecimina. Vbi enim ita vt mandauit » ſepultus fuit, & tam longum temporis interuallum ab eius ſepultura in- » terceſſit, vt non niſi oſſa ac cinis in feretro ſuperarent, placuit [inquit] » Imperatori vni ex ijs qui poſtea imperarunt [Gallus is erat, vt prædixi]: » Deo ipſius animum ad id impellente, capſulam in ſuburbium iſtud » Daphnen abduci. [Nam locum alioqui amœniſſimum & viris honeſtis dignum contaminauit (vt oſtendit) partim corruptorum iuuenum turba, qui ibi comeſſationibus, ebrietatibus, & impudicitijs ſeruiebant, partim dæmonis prædicti in Idolo Apollinis habitatio.] Ad tanta porrò [inquit] » iſthæc mala tollenda inuenit Imperator ſapientiſſimum id remedium. » Sanctum Babylæ martyris corpus eum in locum ſi transferretur, exiſti- » mauit perinde fore, ac ſi medicus ad laborantes mitteretur. &c. quem » quidem idoneum [inquit] intelligebat, qui tum dæmonis potentiam » antiquaret, tum iuuenum luxum emendaret. [Sequiturque, & dicit:] qua » vtique ſpe nequaquam falſus eſt. [Ac primum quidem de emendatione luxûs eleganter oſtendit, deindeque tranſit ad alterum, dicens: Atque in eum, quem dixi, modum, Babylas intemperantiæ tyrannidem ſub- » uertit. At quo idem modo & Dæmonis poteſtatem extinxit? [Multa equidem breuitatis cauſa cogor reſecare: ſed Lector diligens in ipſo Libro » cuncta videat.] Illud igitur [inquit Chryſoſtomus] vos annotare poſtu- » lo, Babylam non ſtatim vbi aduenit, dæmonem eieciſſe: ſed primùm » [inquit] illi os obſtruxit, ita vt vel lapidibus ipſis magis mutus redde- retur. [quod quantæ virtutis fuerit, ſequitur, & oſtendit:] Manentem » inibi dæmonem ſic ſuperauiſſe, non minùs fuit, quàm ſi eundem de loco » exegiſſet. quum qui loci illius accolis omnibus [Gentilibus ſcilicet] fu- » cum priùs faceret, ne extincti quidem Babylæ cineres contueri ſuſtine- » ret. Ea eſt enim [inquit] Sanctorum poteſtas, vt illorum ſuperſtitum

Dæm malu in Daphne.

Col 898.

Col. 899.

dæmo-

dæmones ne vmbras quidem aut veſtes ferre poſſint, vitâ autem functo- "
rum & loculos quoque reformident. [Atque hic inſurgit contra Genti- "
les, & ex iſtis audacter infert id quod cœpit, dicens:] Itaque ſiquis quæ
ab Apoſtolis facta fuiſſe prædicantur, fidem non habet: is tandem me- "
moriæ huius miracula intuitus ab impudentia ſua deſiſtat. Nam qui de "
omnibus olim Gentilibus victoriam reportabat [id eſt, dæmon Apollo,] "
à Martyre tanquam ab hero increpitus, ſuppreſſa voce latrare deſijt. "
[Hoc igitur probaturus contra Gentiles, eorum ſcilicet Apollini virtu-
te Babylæ impoſitum eſſe ſilentium, pergit, & dicit:] Ac primùm qui-
dem videbatur [ſponte] mutus eſſe, quòd ſacrificiorum, & aliorum id "
genus cultuum particeps minimè fieret, [ob interdictum Chriſtianorum "
Imperatorum.] Poſt autem conuictus fuit, violenta neceſſitate præpedi- "
tus obmuteſcere. Vnde hoc liquet? [& ante demonſtrationem alloqui-
tur Gentiles iam iſta eius promiſſione iratos:] Sed ne [inquit] tumultue- "
mini. Id enim commonſtrabo, atque ita commonſtrabo, vt ne illis qui- "
dem [ſiue Gentilibus, ſiue Proteſtantibus] quibus maximæ curæ ſemper "
fuit impudenter omnia aſſeuerare, in poſterum eâ impudentiâ abuti li- "
ceat, quoties ſermo inciderit, vel de veterum illorum dæmonum, vel de "
iſtius dæmonis infirmitate. &c. ipſum Dæmonis hac de re teſtimonium "
adhibebimus. Ipſe enim letalem vobis plagam inflixit, veſtramque om- "
nem fiduciam ac libertatem concidit. At vos ne [inquit] illi ſuccenſea- "
tis: neque enim prudens, ſed à maiore quadam poteſtate coactus, tyran- "
nidem ipſe ſuam deleuit. Id verò qua tandem ratione factum eſt? [Atque "
hîc narrationem attexit de Iuliano Apoſtata, quam paucis præmiſi.

Mortuo [inquit] eo Imperatore qui Babylæ corpus in Suburbium "
tranſtulerat [id eſt, Gallo:] huius fratrem [Iulianum] ad Imperij admi- "
niſtrationem perduxit is idem qui illum Imperatorem fecerat [id eſt, "
Conſtantius, filius Conſtantini Magni.] atque hic ſine diademate im- "
perium accipit: hactenus enim demortui quoque fratris poteſtas præ- "
ſcripta erat. Idem hic imperator [Iulianus] quum impoſtor ac ſceleſtus "
eſſet, primùm propter eum [Conſtantium] à quo principatum accepe- "
rat, Chriſtianum ſe eſſe ſimulauit. Deinde eo vita defuncto, abiectâ "
ſtatim perſonâ, fronte perfricta, quam antea ſuperſtitionem intus cela- "
uerat, hanc in medium productam nemini non manifeſtam fecit, diuul- "
gato per vniuerſum terrarum orbem mandato, vt Idolorum templa "
inſtaurarentur, aræ excitarentur, priſtini dæmonibus honores redde- "
rentur, magni item illis prouentus varijs ex locis ſuppeterent. [Et poſt "
nonnulla:] Daphnen itaque idem hic Imperatòr grauitatem ore præfe- Col. 701.

QQ 2 rens

» rens conſcendit, multis quidem cū donarijs, ac ſacrificijs, manante etiam » ſanguinis torrente, quem mactatarum pecudum cædes effecerat. Tum à » dæmone magnâ inſtantiâ oraculum poſcit, poſtulans ſibi ille ijs de rebus » reſponſum vt daret, quas animo agitabat. [Quid igitur tum Apollo? Ibi » [inquit Chryſoſtomus] ſtrenuus ille ſcilicet, bellè admodum cauit, ne in » eum ſermonem deueniret, vt apertè teſtaretur, per S. Babylam, ac vicino- » rum [erant enim & aliorum Martyrum reliquiæ] virtutem obſtructū ſibi » eſſe os, ac propterea loqui nequaquam poſſe: nimirū veritus, ne cultori- » bus ſuis ridiculus fieret. Veruntamen quum idem adunbrare vellet vi- » rium ſuarum à Babyla deuictarū conditionem, eum taciturnitatis titulum aperuit, per quem ridiculus magis reddebatur. Daphnes (inquit) locus cadaueribus ſcatet, id quod oraculū arcet. [Hic ſcilicet erat color Dæmo- nis. pro quo colore pulcherrimè & copioſiſſimè Chryſoſtomus ſubſannat ipſum, euincens inde contra eū & contra Gentiles contraque Proteſtan- tes virtutem Martyris. Et quanto [inquit] præſtabat, peſſimè dæmon, Martyris virtutem non diſſimulare, quam titulum tam impudentem præ- „ texere? Nam hæc quidem Dæmon. Imperator autem [Iulianus] mente „ alienata quum eſſet, perinde vt in ſcena ludens fabulamque agens, eueſti- gio ad B. Babylā fertur. [ex quo Iuliani facto euincit Chryſoſtomus, agni- „ tam ab eis eſſe virtutem Babylæ.] Quam enim [inquit] ob cauſam tu qui- „ dem [ô dæmon] ſuppreſſis nominibus, atque in genere de cadaueribus lo- „ queris: tu verò [Iuliane] quaſi certi alicuius cadaueris nomen exaudiſſes, „ alijs intactis Babylæ vnius cadauer mouendum tibi ſumis? Oportebat „ enim iuxta dæmonis ſententiam conditoria ea omnia quæ in Daphne eſ- „ ſent effodere, & terriculum à deorum aſpectu quàm longiſſimè abducere. „ At non de omnibus, inquis, mortuis dæmon verba fecit. Cur igitur id „ non apertè profeſſus eſt? nempe tibi impoſturæ fabulam agenti, ænigma iſtud reliquit. Equidèm cadauera (inquit) tibi dico, vt ne palàm fiat, „ me victum eſſe: nam & alioqui reformido, Babylam nominatim deſi- „ gnare. At tu intelligito quod à me dictum eſt, atque vnum pro omni- » bus Martyrem amoueto. Ille enim eſt per quem muti efficimur. [Et » paulo pòſt:] Multorum verò canum, ſimiarum, aſinorum oſſa proxi- » mè Templum defoſſa ſunt, quæ potiùs mouenda fuerant, niſi fortè » cenſes homines ſimijs viliores eſſe. [Et iterum poſt pauca:] Superio- re [inquit] tempore velamen ſilentij ſui hoc prætendere poterat, ſui » cultum ab hominibus intermiſſum eſſe. hac autem iam excuſatione ſibi » adempta per noua iſta ſacrificia Iuliani, ad cadauera confugit. Hæc » igitur vbi audiuit fabulæ iſtius actor Imperator, iubet ſtatim capſulam

Similē colorem Apollinis narrat Conſtantinus Magnus apud Euſ. in vita Cōſtant. lib. 2. c. 49. 50.

Paraphraſis.

Col. 903.

detur-

deturbari : quo omnibus dæmonem victum eſſe innoteſceret. [iucundiſ- "
ſimà ſunt omnia : ego non niſi pauca poſſum decerpere. Rurſus igitur
poſt pauca dæmonem alloquitur, dicens : Sed tu fortaſſe peccaſti nihil. "
Imperator verò perperam fabulæ ſubſeruiuit. In genere enim quum de "
cadaueribus audiſſet, ad Babylam ſolum adiens, te ille coarguit, & "
impoſturam tuam denudauit. [Hinc igitur magis declarat virtutem Mar-
tyris, hæc ſubiungens:] Sed ne ille quidem volens id fecit : neque enim "
vnius eiuſdemque erat, tot ac tanta tibi donaria honoris gratiâ of- "
ferre, & temet rurſum infamare. Verùm omnium ſimul oculis Mar- "
tyris virtus tenebras offudit, neque paſſa eſt illos intelligere quæ fie- "
rent. quæ omnia fiebant quidem quaſi contra Chryſtianos, riſus au- "
tem non in eos qui ea paterentur, ſed in eos qui ea facerent, totus verte- "
batur. &c. Trahebatur enim capſula per totam viam, reuertebatur au- "
tem Martyr athletæ alicuius exemplo coronam alteram [hanc ſcilicet de "
victo dæmone] in ſuam vrbem ferens, in qua & priorem [Martyrij ſcili- "
cet] coronam reportarat.

Ibique pulcherrimum infert epiphonêma de Reſurrectione corpo-
rum noſtrorum, quam & S. Auguſtinum ſuprà audiuimus ex hac Marty-
rum virtute colligentem : Quamobrem [inquit Chryſoſtomus] ſi quis *Vide Paul.*
eſt fortè, qui mortuorum reſurrectionem neget, quum videat Martyris *lib. in S.*
noſtri facta illuſtriora poſt obitum eſſe, in poſterũ erubeſcat. [atque hic *Felicis Na-*
elegantem inſtituit comparationem inter facta Babylæ viuentis & de- *tal. 6. &*
functi, vt hæc illuſtriora eſſe demõſtret.] Tum enim [inquit] certamen " *8.*
illi cum Imperatore ſolo fuerat : nunc cum Imperatore pariter ac Dæ- "
mone. &c. Ac viuentis quidem liberam orationem non tulit homici- "
da : mortui autem cineres, neque Imperator, neque Dæmon ſuſtinuit, "
quo Dæmone auctore Imperator hæc agebat. [Moxque oſtendit, quan- "
to maiorem Babylas Iuliano & dæmoni nunc incuſſit timorem, quàm
antea Philippo, quia ille captum, vinctumque interfecit, iſti autem ſo-
lum reliquias de loco tranſtulere. Cur enim [inquit] capſulam in "
mare demergi neque dæmon iuſſit, neque Imperator voluit ? cur non "
attriuit & exuſſit ? Nam ſi ea piaculum & ſcelus fuiſſet, ſi eam abo- "
minans, ac non potiùs reformidans illinc demouiſſet, non intra vr- "
bem piaculum deducere, quin potiùs in montes quoſpiam, in ſaltus "
transferre oportuit. [Quid igitur erat ?] Scilicet perdito huic Impe- "
ratori æquè atque Apollini Babylæ virtus, & quam cum Deo habe- "
ret fiducia cognita erat : ob id formidabat, ſi hoc feciſſet, ne fulmen "
diuinum, néve aliquem morbum in ſe ipſe prouocaret. "

Multa enim habebat Chriſti virtutis, tum in ijs qui ante ſe regnauerant, tum in ijs qui vnà ſecum imperium adminiſtrabant, ſpectatæ argumenta. [inter quæ refert ibi de Patruo Iuliani ſedente contumelioſè ſuper Sacra vaſa, & ob id eueſtigio pœnas luente.] Illius enim verenda corrupta vermiculos generarunt, [qui illum demum multis diebus abſumptum horribiliter perdiderunt.] Hæc igitur [inquit] animo luſtrans impius Imperator, verebatur temeritatē ſuam vlteriùs promouere. [Quod clariùs adhuc ſe promittit oſtenſurum ex eo quod ſecutum eſt circa miraculoſum incendium ipſius Idoli & Templi Apollinis:

Col. 905. Babylas [inquit] iam intra ſacri Templi ſeptum erat, intra quod & priùs fuerat, antequam Daphnen tranſlatus fuiſſet. Atque ecce malignus dæmon ſtatim edoctus eſt, fruſtra ſibi fraudis ſuæ artificia conficta, ſeque non iam certamen habere cum mortuo, ſed cum eo qui viueret, qui efficax eſſet, quique non ſe modò, ſed omnes quoque dæmones fortitudine ſuperaret. Is enim Deum precatus, ignem in Templum [Apollinis] cælitus vt deijceret, totum illius tectum exuſſit, ipſoque Idôlo ad extremos vſque pedes deleto, eodemque in cinerem ac puluerem redacto, ab omnibus parietibus, qui ipſi integri adhuc ſtant (& ecce, [inquit * poſtea,] viceſimus iam ex eo incendio annus agitur) abſtinuit. Ac ſi quis nunc illò acceſſerit, nunquam vtique dixerit factum id, ignis opus eſſe: ſed ex compoſito factum incendium, & tanquam manu quadam ignem circumagente atque indicante, à quibus abſtinere, quæ porrò abſumere oporteret, &c. [Atque hic confeſſionem quoque Sacerdotis Apollinis adiungit:] Hoc incendium vbi accidit: ſtatim [inquit] dæmonis ſacerdos [iuſſu Iuliani] in carcerem rapitur, incendij auctorem indicare

Quomodo ob hoc & Apollini ſuo Didymæo timuerit Iulianus à Martyribus vide Soz. lib. 5. cap. 19.

a Col. 913.

Col. 906. coactus. Is tamen contortus, ac fædè laceratus, cum neminem haberet, quem proderet, ignem è cælo delapſum teſtatus eſt: vt maleuolis atque impudentibus nullus iam calumniæ locus relictus fuerit. [Atque hìc clariſſimè demonſtrat Gentilibus, quod priùs promiſit, Iulianum ſcilicet ipſum conſcium fuiſſe virtutis Babylæ.] Etenim idem [inquit] Imperator ſi minùs priùs, hoc eſt, quo tempore victum ſe eſſe dæmon faſſus eſt, at certè poſt ipſum incendium omnia ſubuertiſſet, ac perdidiſſet, capſulam exuſſiſſet, vtrumque item monumentum Babylæ, tum quod Daphne, tum quod in vrbe erat: niſi metus in eo quàm ira maior fuiſſet, ac niſi eius mœſtitiæ timor imperaſſet. Non procul enim à ſuſpicione Babylas erat. Nam ſimul vt in vrbem peruēnit, ſtatim ignis in Templum inuaſit. [Deindeque oſtēdit, quanti Gentiles eam rem fecerint:] per quam [inquit] Gentilium erat lætitia omnis extincta, ac tanta mœroris nebula

illorum

illorum animis offuſa, quanta certè offundi potuiſſet, ſi deorum ſimul «
omnium templa diruta diſturbataque fuiſſent. [id quod demonſtrat ibi «
ex Lamento, quod ciuitatis Sophiſta Gentilis (qui fortaſſe erat Libanius) in Dæmonem tum conſcripſit, cui Lamento Chryſoſtomus illic copioſiſſimè reſpondet, docens etiam ex confeſſione eiuſdem Sophiſtæ ſeu Rhetoris, quòd Babylas noſter eorum Apollinem ſuperauit; idque ipſum] opus fuiſſe non praui hominis, neque mortui, ſed viuentis po- «
tiùs, & opus agentis, & probi, & præſidis, & patroni, & omnia pro «
veſtra ipſorum [inquit] ſalute procurantis, ſiquidem voluiſſetis. [In- «
ſertque poſt nonnulla:] Ex his itaque magnam illos plagam accepiſſe *Col.* 912.
liquet: etenim Sophiſta vel in media ipſa Monodia apertè profeſſus eſt, «
illos ad viuum (quod dicitur) ſauciatos. Id quod certè [inquit] neuti- «
quam leuiter tuliſſet Imperator, niſi illum maior metus ac formido «
diſtinuiſſet.

Poſt quæ exit Chryſoſtomus in loca quædam ampliſſima, & oſtendit primùm huic perquam ſimile fuiſſe id miraculum, quod olim editum *1. Reg. 4. 5.*
eſt in Arca Dei, & Idôlo Dagon: Secundò, quo conſilio Dei factum ſit, vt ignis totum Templum non abſumpſerit, ſed tectum ſolummodo cum quibuſdam alijs; ad perpetuam ſcilicet rei memoriam: Tertiò, cur ignem iramque ſuam Deus non in Imperatorem, ſed in Dæmonem Templumque conuertit; vt nempe alieno ille malo edoctus, pœnam ſibi reſeruatam effugeret per pœnitentiam. quod quidem cum ille nihilominus ſtupidiſſimè negligeret, mox (inquit) in illo Perſico, quod tum parabat, bello turpiter & miſerabiliter extinctus eſt. Quartò, cur capſula non vltrà relata ſit in Daphnen. Deus [inquit] rem ſic diſpenſauit, *Col.* 916.
quò poſteris teſtatiora ſint præclara Babylæ facinora. Quiſquis enim eò «
aliunde accedit Martyrem requirens, vbi illum ab eo loco abeſſe videt, «
ſtatim cauſam ſciſcitatur, neque priùs de loco decedit, quam omnem eam «
hiſtoriam perdoctus fuerit. [& ſubijcit epiphonêma:] Ea eſt Martyrum «
virtus & viuentium & mortuorum, & ad loca illa vel illa adeuntium, & «
rurſus ab eiſdem aliò migrantium. Poſtremò denique Librum concludit cum repetitione eorum quæ de S. Babyla dixit, Primùm quidem quomodo viuens excommunicauit Imperatorem. Vbi autem hinc emigra- «
uit, Dæmonis robur eneruauit, Gentilium impoſturam coarguit, vati- «
cinij deliramenta detexit, perſonam eius contriuit, ſimulationem om- «
nibus denudauit: eũ qui in ea dominari videretur, obmuteſcere cogens. «
hodie quoque templi parietes recti ſtant, omnibus quaſi prædicantes «
quà Dæmonis impudentiam, riſum, imbecillitatem, quà Martyris co- «
ronas,

„ ronas, victoriam, virtutem. Ea ſanè [inquit] eſt Sanctorũ fortitudo,
„ tam inexpugnabilis, & terrifica tum regibus, tum dæmonibus, tum ipſi
„ etiam dæmonum principi.

Procedant iam in medium Proteſtantes, & (ſi eos non pudet) quanquam non valent, tamen conentur ſaltem iſtis omnibus reſpondere. Qui ſi ita impudentes ſint, vel quia potius ita impudentes eſſe debent, poſtquam ſcilicet iſtam ſibi Paganicam hæreſim elegerunt: tamen Chriſtiani omnes videant & diſpiciant, quem colorē habere poſſint, vt tales ſequantur magiſtros, qui Iuliani Apoſtatæ, & iſtius Sophiſtæ, ceterorumque Gentilium, & ipſius Dæmonis, contra Chriſtianos & contra Chriſtum, partes agunt. Videant etiam & diſpiciant, quid amplius in Religione Chriſtiana deſiderent, quàm hoc quod in Religione noſtra inueniunt & experiuntur, vt contra Gentiles cæteroſque inimicos Chriſti huiuſmodi ex penetralibus dogmatum ſuorum Chriſtianis hominibus argumenta ſuppeditet: tam firma, tam ſolida, tam inuicta, vt ijdem Gentiles neque per ſe, neque ſi à Proteſtantibus, neque ſi ab ipſo ſuo Apolline cæteriſque dæmonibus adiuuentur, ea conuellere vllo modo aut labefactare poſſint.

MOTIVVM DECIMVM-SEPTIMVM.

Dæmonum exorciſmos, ipſos quos & hodie Eccleſia Catholica in vſu cum magna poteſtate habet, & ſemper habuit, aſſumptos olim eſſe a Maioribus noſtris in ſolidiſsimum contra Idolorum vanitatem & pro Deitate Chriſti argumentum. Contrà autem Proteſtantes non eſſe dæmonum expulſores, ſed cooperatores atque domicilia.

POST quatuor Motiua proximè ſuperiora de Honore & Virtute Crucis ac Sanctorũ, habeant ſibi Proteſtantes & quintum hoc, in quo ſimiliter operam ſuam nauent Paganis & Iudæis: vt pro eiſdem, ſi poſſint, & hoc refellant argumentũ, quo Idolorum vanitatem, & Chriſti Deitatem in libris contra Iudæos & Paganos ſcriptis demonſtrarunt Chriſtiani Maiores noſtri per Exorciſmos Eccleſiaſticos: quia ſcilicet Chriſtiani penes ſe habent ex dono Chriſti poteſtatem quandam ordinariam adiurandi dæmones, adeoque eoſdem dæmones

dæmones qui erant Paganorum dij; & immenſum in eos cumulum tor-
mentorum congerendi cum mirabili & terribili auctoritate eo vſque,
dum non ſolùm confiteantur nomina ſua & cætera omnia quæ inter-
roganda videntur, verùm etiam poſtremò exeant de corporibus quæ
poſſederant. Id quod ita etiam hodie in Eccleſia frequentari, non mo-
dò ego ipſe, verùm alij etiam innumerabiles oculati teſtes ſunt: quem-
admodum & inde vſque ab Eccleſiæ naſcentis exordio frequentatum
eſſe eodem modo, pleræque teſtantur Hiſtoriæ, ſicut docti non igno-
rant: nunquam ſcilicet vel hinc ceſſante Diabolo hoſte noſtro miſe-
ros vexare mortales, vel illinc rurſus ceſſante Eccleſia hac ſua ſalutari
poteſtate opitulari omnibus qui ad eam pro ope remedioque confu-
giunt. ſic omnibus planum & manifeſtum faciens, ſe hæredem eſſe tum
Apoſtolorum, de quibus ſcriptum eſt, [a] Dedit illis poteſtatem ſpiri- *a Matth.*
tuum immundorum, vt eijcerent eos, [ſeu] [b] virtutem & poteſtatem *10.a.1. b Luc.9.a.*
ſuper omnia dæmonia: tum cæterorum Diſcipulorum Chriſti, qui re- *1.*
uerſi à prædicatione dixerunt, [c] Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur *c Luc. 10.*
nobis in nomine tuo. [quibus ait ille:] Videbam Satanam ſicut fulgur de *cap.17.* «
cælo cadentem. Ecce, dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & «
ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: [ſe item eam eſſe, in qua
impletur illud Saluatoris:] Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequen- *Mar. 16.d.*
tur: In nomine meo dæmonia eijcient, &c. Contra quam propterea *17.*
Eccleſiam non habent hic Hæretici aliud quod blaſphement, quàm quod
aduerſum Chriſtum ipſum, cùm eieciſſet dæmonium, Iudæi blaſphema-
runt, dicentes, In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. *Luc. 11.*
quibus ibi ille pro ſe & pro Eccleſia ſua reſpondet, quod meritò terrere *Mar. 3.*
deberet Hæreticos, niſi ſtupidi eſſent: Amen dico vobis, quoniam om- «
nia dimittentur filijs hominum peccata, & blaſphemiæ quibus blaſphe- «
mauerint. qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habet «
remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti. Quoniam [inquit «
Marcus] dicebant, Spiritum immundum habet, [ſeu,] Beelzebub ha- «
bet, & in principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Quo igitur modo fit «
hæc per Chriſtum & Eccleſiam ſuam dæmonum eiectio? Nemo po-
teſt [inquit] vaſa fortis ingreſſus in domum eius diripere, niſi priùs «
fortem alliget, & tunc domum eius diripiet. [Vnde apud Lucam con- «
cludit:] Si in digito Dei eijcio dæmonia: profectò peruenit in vos Re- «
gnum Dei. Neque verò hoc loco ego tam extraordinariam quorundam
poteſtatem vrgeo, quâ per Miraculum expelli ſolent dæmones (cuius rei
locus fuit ſuprà in Motiuo decimo De Miraculis) quàm ordinariam

poteſtatem Eccleſiaſticam, ſecundum quam in Eccleſia catholica Ordo quidam & nunc eſt, & ſemper fuit Exorciſtarum. quem Ordinem, ſicut alios omnes ſeptem (de quibus infrà dicam plura ſuo loco) cum deſeruerint Proteſtantes, apertiſſimè declarant ſe alienos à Chriſto eſſe, qui in illo Ordine iſtam, de qua nunc agimus, contra dæmonia poteſtatem Eccleſiæ ſuæ tradidit. Quod tam in Antiquitate manifeſtum eſt, vt in Concilio quarto Carthaginenſi, cui interfuit S. Auguſtinus, ita inter cæteros Ordines de Exorciſta creando traditum ſit: Exorciſta cùm ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi Libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo, Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenum [id eſt, agitatum à dæmone] ſiue baptizatum, ſiue catechumenum. [Eratque tam in vſu tum (ſicut & nunc) iſtius muneris functio, vt idem Auguſtinus in prouerbio etiam vſurpauerit, referens Donatiſtarum in Collatione Carthaginenſi tergiuerſationes, ne ibi quædam Acta quæ eorum Schiſma manifeſtè conuellerent, legerentur: O magna [inquit Auguſtinus] ſed non miranda confuſio. Quando enim dæmon ſic Exorciſtam timeret, quomodo timuerunt Donatiſtæ ne illa legerentur! [qui & alicubi meminit [e] domus Exorciſterij Eccleſiaſtici. Sed & Paulinus ſcribit de B. Felice Martyre Nolano:

Exorciſtarum ordo. Moti. 24.

Cō. 4. Cart. cap. 7.

Auguſt. poſt Collat. c. 25

e li. 4. con. Creſc. c 47.

Paulin. Natal. 4.

primis Lector ſeruiuit in annis:
Inde gradum cepit, cui munus, voce fideli
Adiurare malos, & ſacris pellere verbis.
Quod quis perſpicua meriti virtute regebat,
Iure Sacerdotis veneranda inſignia nactus, &c.

Idem de quodam etiam Cardamate ſcribit: [f] aſſumpta de Exorciſtæ nomine grauitas reuerentiam dedit. [& iterum de eodem:] [g] de nomine Exorciſtæ ad frugalitatem profecit. [Pauloque pòſt:] prorſus per omnia Cardamas nobis tam bellus apparuit, vt clericum probabilem hominibus, & exorciſtam dæmonijs terribilem videremus. [Narrat etiam Sulpitius Seuerus de B. Martino, quòd cum S. Hilario reſpondiſſet ſe indignum Diaconio, tum intellexit [Hilarius] vir altioris ingenij, hoc eum modo poſſe conſtringi, ſi id ei officij imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaque Exorciſtam eum eſſe præcepit. Quam ille ordinationem, ne deſpexiſſe tanquam humiliorem videretur, non repudiauit. [De cuius etiam modo exorcizandi hæc idem refert:] Si quando autem exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepiſſet, neminem manibus attrectabat, neminem ſermonibus increpabat, ſicut plerunque

f Epiſt. 3. ad Delp.
g Epiſt. 5. ad Amandum.

Seuer. in vita B. Mart.

Dial. 3. cap. 6.

runque per Clericos rotatur turbo verborum: ſed in cilicio ac cinere, ſolo ſtratus orabat &c. [Plurima huiuſmodi ex Antiquitate citari poſſent de hoc ordine & ritu Eccleſiaſtico, & quòd eodem planè modo ſemper fuerit in vſu, quo nunc viſitur in Eccleſia. Sed cæteris huius generis prætermiſſis, venio iam ad ea potiùs, quibus (vt incœpi dicere) non ſolùm hic idem vſus demonſtratur, ſed etiam quòd firmiſſimum ſuppeditauerit Maioribus noſtris argumentum contra Iudæos & Paganos, vt hac quoque in parte videatur ab omnibus ſocietas Proteſtantium cum coniuratis Chriſti hoſtibus: & vt noſtra econtrà intelligatur Religio catholica ſola eſſe quæ Chriſtum Dominum contra omnes veritatis eius inimicos munitiſſimum atque inuictiſſimum reddit.

Hinc igitur Iuſtinus Martyr in Colloquio cum Tryphone Iudæo, cum citaſſet illud Saluatoris, quod ſuprà attigi, Do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, ſcorpios, ſcolopendras, & ſuper omnem virtutem inimici: ſubiunxit dicens: nunc quoque nos qui in Crucifixum ſub Pontio Pilato Ieſum Dominum noſtrum credimus, dæmones omnes & ſpiritus malos adiuratos eijcimus, & imperata facere cogimus. *Iuſti. Dial cum Tryph. Luc. 10. Et Origen. con. Celſum lib. 7. fol. 908.928.*

Poſt hunc Tertullianus in Apologetico pro Chriſtianis aduerſus Gentes, vt probet Romanis Imperatoribus Deos ſuos pro quibus perſequebantur Chriſtianos, eſſe dæmones, poſt quædam addit iſta: Sed hactenus verba: iam hinc demonſtratio rei ipſius. [Quænam illa? edatur [inquit] hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone angi conſtet: iuſſus à quolibet Chriſtiano loqui, ſpiritus ille tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi [id eſt, in Templis Gentilium] Deum de falſo. [Hoc vult, quòd hic coram Chriſtiano exorciſta confitebitur ſe dæmonem verum, licèt in templo Gentilium venditet ſe pro Deo falſo. Quod ipſum ibi Tertullianus audacter affirmat nominatim etiam de AEſculapio, & reliquis dijs eorum, qui in Vatibus ſuis diuina agere videbantur: niſi [inquit] ſe dæmones confeſſi fuerint, Chriſtiano mentiri non audentes, ibidem illius Chriſtiani ſanguinem fundite. [& tum triumphat, dicens:] Quid iſto opere manifeſtius? quid hac probatione fidelius? &c. Iam ergo ſubiecta Chriſtianis diuinitas veſtra. nec diuinitas deputanda eſt, quæ ſubdita eſt homini. Ac paulo pòſt infert ex his pro Chriſto, totaque religione Chriſtiana, & ait: Eâdem verò operâ noſtrâ ab eiſdem dijs veſtris hoc detegentibus, quòd neque ipſi dij ſint, neque vlli alij, etiam illud in continenti agnoſcitis, qui ſit verè Deus, & an ille, & an vnicus, quem Chriſtiani profitemur: & an ita credendus, colenduſque, vt fides, & diſciplina diſpoſita eſt Chriſtianorum. *Tertul. in Apol. cap. 23.*

Ibique tum inducit Gentiles ridentes Chriſtum Dominum, & dicentes:
» Ecquis ille Chriſtus cum ſua fabula? ac ſubſannantes reſurrectionem eius, & aduentum ad iudicium. quibus reſpondet ille rurſus per iſtorum dæmonum qui erant dij eorum, confeſſionem, negare ſcilicet non audentium: Quod [inquit] cùm ridetis, rideant & illi vobiſcum; Negent Chriſtum, omnem ab æuo animam reſtituto corpore iudicaturum. Dicant hoc pro tribunali, ſi forte audeant, Minoën & Radamanthum ſecundum conſenſum Platonis & Poëtarum hoc eſſe ſortitos: Suæ ſaltem ignominiæ & damnationis notam refutent. &c. Renuant, ob malitiam prædamnatos ſe in eundem iudicij diem cum omnibus cultoribus ſuis. [Ac tum iterum infert pro Chriſto, dicens:] Atqui omnis hæc noſtra in illos dominatio & poteſtas dominatione Chriſti valet. & de cõminatione eorũ, quæ ſibi à Deo per arbitrum Chriſtum imminentia expectant [quam cõminationem frequentat Eccleſia in his verbis per omnes Exorciſmos ſuos,] Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem. [Propter hanc igitur cõminationẽ, inquit Tertullianus, dæmones,] Chriſtũ timentes in Deo, & Deũ in Chriſto, ſubijciuntur ſeruis Dei & Chriſti. ita de contactu, deque afflatu noſtro [intelligit ceremonias Signationis & Exufflationis, quæ in exorciſmis celebrantur] contẽplatione & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt inuiti, & dolentes, & vobis [cultoribus ſuis] præſentibus erubeſcẽtes. Credite illis cùm de ſe loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad ſuũ dedecus mẽtitur, quin potiùs ad honorem. &c. Hæc denique teſtimonia deorum veſtrorum Chriſtianos facere conſueuerunt. Ipſi literarũ noſtrarum fidẽ accendunt. Ipſi ſpei noſtræ fiduciã ædificant. [Et poſt pauca:] Omnis iſta confeſſio illorum, quâ ſe deos negant eſſe, quâque non alium Deum reſpondent præter vnum cui nos mãcipamur, ſatis idonea eſt ad depellendum [à Chriſtianis] crimen læſæ Religionis. Si enim non ſunt Dei pro certo, nec religio pro certo eſt. Si religio non eſt, nec pro certo rei ſumus læſæ religionis. At econtrario in vos [ô Gentiles] exprobratio reſultauit, qui mendacium colentes, veram Religionem veri Dei non modò negligẽdo, quin inſuper expugnando, in Deum verum cõmittitis crimen veræ irreligioſitatis. [Poſteaque declarat ijſdem Gẽtibus, quòd dæmones iſti ſunt qui obſident mentes ipſorum, & incitant ad perſequendum Chriſtianos, quaſi ſerui rebellantes contra dominos ſuos. quod his verbis eleganter exprimit:

Ibidem cap. 27. Illè ſcilicet ſpiritus dæmoniacæ & angelicæ paraturæ (qui noſter ob diuortium æmulus, & ob Dei gratiã inuidus) de mentibus veſtris aduerſus nos præliatur, occulta inſpiratione modulatis, & ſubornatis ad omnẽ iudicandi

peruerſi-

peruerſitatem,& ſæuiendi iniquitatem. Nam licèt ſubiecta ſit nobis tota vis dæmonum & eiuſmodi ſpiritus; vt nequam tamen ſerui, metui nonnunquam contumaciam miſcent,& lædere geſtiunt quos aliàs verētur. odium enim etiam timor ſpirat: præterquam & deſperata conditio eorum ex prædamnatione ſolatiū reputat, fruendæ interim malignitatis de pœnæ mora. Et tamen apprehenſi [vt exorcizentur] ſubiguntur, & cōditioni ſuæ ſuccinunt: & quos de longinquo oppugnāt,de proximo obſecrant.&c. [Idem etiam pro Chriſtianis ſcribens ad Scapulā Præſidem Carthaginis in Africa,minantem eis mortes, niſi deos adorarent,eodem planè argumēto cauſam Chriſtianorum defendit: Dæmones [inquit] non tantùm reſpuimus, verū & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt. [Et quibuſdā interpoſitis:] & ipſi [inquit, Gentiles]beneficia habent Chriſtianorum. Nam & cuiuſdam Aduocati Notarius cùm à dæmone præcipitaretur,liberatus eſt:& quorundā propinquus, & puerulus. Et quanti honeſti viri (de vulgaribus enim non dicimus)aut à dæmonijs, aut valetudinibus remediati ſunt!

Tertul. ad Scapulam.

Inſuper Tertulliani imitator, glorioſiſſimus ille martyr Cyprianus eodem argumento vtitur aduerſus Demetrianum, eiuſdem Africæ Proconſulem,torquentem Chriſtianos inuſitatis generibus tormentorum,& oblatrantem [ſicut ille ei audacter exprobrat]& aduerſus Deum,qui vnus & verus eſt, ore ſacrilego & verbis impijs obſtrepentem. [Sic igitur inter cætera contra deos ſuos dicit ei pro Chriſtianis:] O ſi audire eos velles,& videre, quando à nobis adiurantur, & torquētur ſpiritalibus flagris,& verborum tormentis de obſeſſis corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes voce humanâ,& poteſtate diuinâ flagella & verbera ſentientes, venturum iudicium confitentur. Veni,& cognoſce vera eſſe quæ dicimus. Et quia ſic deos colere te dicis,vel ipſis quos colis,crede: [Terribile autem omnibus Gentilibus & Hæreticis eſt quod ſequitur:] aut ſi volueris & tibi credere,de te ipſo loquetur,audiente te,qui nunc tuum pectus obſedit,qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcauit. [Pergit:] Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas: timeri ab eis, quos tu adoras. videbis ſub manu noſtra ſtare vinctos, & tremere captiuos, quos tu ſuſpicis & veneraris vt dominos. Certè vel ſic confundi in iſtis erroribus tuis poteris, quando conſpexeris & audieris deos tuos, quid ſint, interrogatione noſtra ſtatim prodere, &, præſentibus licèt vobis, præſtigias illas & fallacias ſuas non poſſe celare. Quæ ergo mentis ignauia eſt, imò quæ deſipientium cæca & ſtulta dementia, ad lucem de tenebris nolle venire? & mortis æternæ laqueis vinctos, ſpem nolle immortalitatis excipere?

Cyp. ad Demet. nu. 6.

» [Vnde poſtea hortatur:] Lædere ſeruos Dei & Chriſti perſecutionibus tuis deſine, &c. [Similia diſſerit aduerſus eoſdem Gentiles in libro De Idolorum vanitate, quem ab hac propoſitione exorditur:] Deos non eſſe, quos colit vulgus, hinc notum eſt. [de quibus poſt alia ita dicit:] Hi, etſi Gentilibus ſe pro dijs venditent, tamen adiurati per Deum verum à nobis, ſtatim cedunt, & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur. Videas illos noſtra voce & operatione Maieſtatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari: vnde veniant, & quando diſcedant, ipſis etiam qui ſe colunt audientibus, confiteri: & vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat. [eodem planè modo, quo & nunc in Eccleſia cernimus: & ſicut ipſis quoque Apoſtolis aliquando contigit. nam licet [a] antè dederat eis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia: tamen poſtea de monte deſcendens à Transfiguratione, & veniens (vt narrat [b] Marcus) ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis. Et interrogauit eos, Quid inter vos conquiritis? Et reſpondens vnus de turba, dixit, Magiſter, attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum: qui vbicunque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit. & dixi diſcipulis tuis, vt eijcerent illum, & non potuerunt. Qui reſpondens eis, dixit, O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum: & eliſus in terram, volutabatur ſpumans. Et interrogauit patrem eius, Quantum temporis eſt ex quo ei hoc accidit? At ille ait, Ab infantia: & frequenter eum in ignem & in aquas miſit, vt eum perderet. ſed ſi quid potes, adiuua nos, miſertus noſtri. Ieſus autem ait illi, Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Et cum videret Ieſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi, Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum diſcerpens eum, exijt ab eo: & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent, Quia mortuus eſt. Ieſus autem tenens manum eius, eleuauit eum: & ſurrexit. Et cùm introiſſet in domum, diſcipuli eius ſecretò interrogabant eum, Quare nos non potuimus eijcere eum? Et dixit illis, Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio. [Sic igitur præter poteſtatem alia interdum requiruntur: ideoque (vt dixit Cyprianus) vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt

De Idol. van. nu. 4.

a Luc. 9. v. 1. Mar. 3. Math. 10.

b Mar. 9. Luc. 9. v. 37. Matth. 17.

neſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat. [Quibus addit dicens:] Hinc vulgus [Gentilium] in odium noſtri nominis cogunt, vt nos odiſſe incipiant homines antequam noſſe, ne cognitos aut imitari poſſint, aut damnare non poſſint. [Et ex his inferens dicit,] Vnus igitur omnium Dominus eſt Deus. &c. [Idemque alibi docens, quòd ad domum orationis debemus pariter conuenire, inter alias *De Sing. cler. num. 9. 10.* multas rationes præclaras dicit:] Nihil illic impugnationes poſſunt, vbi & ipſi dæmones cedunt. &c. inter Feſta ſancta tentator ipſe diabolus tremit.

Rurſus Lactantius hoc Tertulliani & Cypriani contra Gentiles argumentum & ipſe contra Gentiles ſcribens imitatus pænè ad verbum eſt. Cum enim contra iſtorum dæmonum cultum dixiſſet, quòd nihil *Lact. lib. 2. cap. 16.* aliud poſſunt, quàm nocere: introducit Gentilem quempiam cum huiuſmodi obiectione:] Dicat fortaſſe aliquis, colendos eſſe ergo, ne noceant, ſi quidem poſſunt nocere. [Et reſpondet:] Nocent illi quidem, ſed ijs, à quibus timentur, quos manus Dei potens & excelſa non protegit, qui profani ſunt à ſacramento veritatis. Iuſtos autem, id eſt cultores Dei metuunt. cuius nomine adiurati, de corporibus excedunt. quorum verbis, tanquam flagris verberati, non modò dæmonas ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt, illa, quæ in Templis adorantur, id quod plerunque coram cultoribus ſuis faciunt, non vtique in opprobrium religionis, ſed honoris ſui. quia nec Deo, per quem adiurantur, nec iuſtis, quorum voce torquentur, mentiri poſſunt. Itaque maximis ſæpe vlulatibus editis, verberari ſe, & ardere, & iam iamque exire proclamant. tantum habet Dei cognitio, ac iuſtitia poteſtatis. Cui ergo nocere poſſunt, niſi ijs, quos habent in ſua poteſtate? [Atque vt videant Proteſtantes planiùs, qui tum fuerint iſti tam inexpugnabiles & tam terribiles dæmonibus cultores Dei, vtrum ſcilicet Maiores illorum, an noſtri: audiant, quomodo hac ipſa de re loquatur idem poſtea (quem locum ſuprà in Motiuo 14. pleniùs recitaui:) Sicut [inquit] olim Chriſtus ipſe verbo, *Lib 4 cap. 27.* ita nunc Sectatores eius, eoſdem ſpiritus inquinatos de hominibus, & nomine Magiſtri ſui, & Signo Paſſionis excludunt. Et quemadmodum Cyprianus, ita hic perſecutiones Chriſtianorum refert ex hac cauſa à dæmonibus fuiſſe excitatas, ſic dicens: Sed quoniam neque accedere ad eos poſſunt, in quibus cæleſtem notam viderint, nec ijs nocere, quos Signum immortale munierit, tanquam inexpugnabilis murus: laceſſunt eos per homines, & manibus perſequuntur alienis. [Vnde amplius argumentatur, & dicit per dilemma:] quos profectò ſi eſſe cõfitentur, vicimus.

Neceſſe

» Neceſſe eſt enim veram eſſe hanc Religionem [id eſt, Chriſtianam] quæ
» & rationem dæmonum nouit, & aſtutiam intelligit, & vim retundit, &
» eos ſpiritalibus armis domitos ac ſubactos, cedere ſibi cogit. Si negant:
» teſtimonijs poëtarum ac philoſophorum [ſuorum] refellentur. [Quibus
hæc annectit, vlteriùs ratiocinando:] Quòd ſi eſſe [dæmones,] & malos
» eſſe, inficias non eunt, quid ſupereſt, niſi vt alios dicant eſſe deos,
» alios dæmones? [quod rurſus ſic confutat:] Exponant igitur nobis dif-
» ferentias generis vtriuſque, vt ſciamus quid colendum, quid execran-
» dum ſit. Habeántne inter ſe aliquod conſortium, an verò inimici ſint.
» Si ſunt aliqua neceſſitudine copulati, quatenus eos diſcernemus? aut
» quomodo vtriuſque generis honorem cultumque miſcebimus? Si au-
» tem ſunt inimici, cur aut dæmones deos non timent, aut dij dæmonas
fugare non poſſunt? [Atque id, imitatus exempla Tertulliani, ſic de-
» clarat:] Ecce aliquis inſtinctu dæmonum percitus dementit, effertur,
» inſanit. ducamus hunc in Iouis optimi maximi templum: vel, quia
» [inquit Ironicè] ſanare homines Iupiter neſcit, in AEſculapij, vel Apol-
» linis fanum. Iubeat vtriuſlibet ſacerdos, Dei ſui nomine, vt nocens ille
» ſpiritus excedat ex homine: Nullo id pacto fieri poteſt. Quæ igitur
» vis deorum eſt, ſi ſubiectos ſibi dæmones non habent? At verò ijdem
» dæmones adiurati per nomen Dei veri, protinus fugiunt. Quæ ratio
» eſt, vt Chriſtum timeant, Iouem autem non timeant, niſi quòd ijdem
» ſunt dæmones, quos vulgus Deos eſſe opinatur? [Et aliter:] Denique
» [ait] ſi conſtituatur in medio & is, quem conſtat incurſum dæmonis
» perpeti, & Delphici Apollinis vates, eodem modo Dei nomen horre-
» bit, & tam celeriter excedet de vate ſuo Apollo, quàm ex homine ſpiri-
» tus ille dæmoniacus: & adiurato, fugatoque Deo ſuo, vates in perpe-
» tuum conticeſcet. Ergo ijdem ſunt dæmones, quos fatentur execran-
» dos eſſe, ijdem dij, quibus ſupplicant. Si nobis credendum eſſe non pu-
» tant, credant Homero [ſuo,] qui ſummum illum Iouem dæmonibus
» aggregauit; ſed & alijs poëtis, ac philoſophis, qui eoſdem modò dæmo-
» nas modò deos nuncupant: quorum alterum verum, alterum falſum
» eſt. Illi enim nequiſſimi ſpiritus, vbi adiurantur, ibi ſe dæmonas confi-
» tentur: vbi coluntur, ibi ſe deos mentiuntur, vt errores hominibus
» immittant, & auocent à veri Dei notione, per quam ſolam poteſt mors
» æterna vitari. [His omnibus nonnihil lucis adfert, quod poſtea ſcripſit
Seu. in vita B. Mart. pag. 211. Sulp. Seuerus de B. Martino, his verbis:] Frequenter autem diabo-
lus, dum mille nocendi artibus ſanctum virum conabatur illudere, vi-
» ſibilem ſe ei formis diuerſiſſimis ingerebat. Nam interdum in Iouis per-
ſonam,

ſonam, plerumque Mercurij, perſæpe etiam ſe Veneris ac Mineruæ trans- "
figuratum vultibus offerebat. Aduerſus quem ſemper interritus, Signo "
ſe Crucis & orationis auxilio protegebat.

Quamobrem prodeant iam Proteſtantes in medium, & quid ad hoc Chriſtianorum argumentum reſpondere pro Iudæis & pro Paganis, & pro ipſis dæmonibus poſſint, ſi adhuc eos iſtius Antichriſtianæ & Apoſtaticæ Hæreſeos non pudet, oſtendant. Potuerúntne rem gratiorem dæmonibus facere, quàm & Signum Crucis, & Exorciſmos omnes, & ipſum Exorciſtarum ordinem penitus amouendo? Temporibus certè Iuſtini martyris, Tertulliani, Cypriani, Lactantij, caruerunt huiuſmodi Patronis dæmones & Gentiles. Serò equidem, ſerò veniunt poſt tam multos non ſolùm annos, verùm etiam ſecula Proteſtantes, vt victoriam illam Chriſtianis iterum eripiant, ac Paganos cum dijs ſuis in integrum reſtituant. Sapiant igitur tandem aliquando quicunque Chriſtiani haberi & nominari volunt, & execratis hæreſibus, Eccleſiam noſtram ſolam Catholicam ſequantur, è cuius armario tam multa vident iam olim deprompta eſſe tela, per quæ iam tum à Chriſtianis Maioribus noſtris in Iudæis, Paganis, & dæmonibus noui Hæretici ſunt confoſſi.

Non eſt autem poſt hæc antiqua neceſſarium, aliqua proferre exempla noſtri temporis, quæ etiam paſſim, maximè per Italiam, obuia ſunt & quotidiana. Qualia ſi qui oculis non viderunt, mihíque qui vidi, teſtanti non credunt, legant mirabilem Exorciſmum in Gallia Lauduni & in vicinis locis factum anno 1566 in quadam Dæmoniaca, & editum per Ioannem Boulæſum presbyterum anno 1573, dicatumque Gregorio Summo Pontifici, in quo narratur mulier illa à triginta dæmonibus (in quibus erat & Beelzebub) per Epiſcopum & alios catholicos exorciſtas in multorum millium teſtium oculis liberata. Legant etiam Surium Carthuſianum illum fructuoſiſſimum in Commentario ad annum 1563 narrantem de puella viginti annorum Auguſtæ Vindelicorum in Germaniâ Dæmoniaca, filia parentum Lutheranorum: quam cùm rogati Miniſtri Lutherani curare non poſſent, deinde vexato interim à virgine quadam catholica dæmone horribiliter flagro Aquæ benedictæ, tandem rogatus Sacerdos catholicus quà per alia, quà per ſacroſanctam Euchariſtiam liberauit. Subijcitque narrationi Surius: Hanc "
hiſtoriam quiſquis ſyncero perlegit animo, facilè videt, apud Se- "
ctarios nullam eſſe dæmonum expellendorum poteſtatem, eamque "
apud Catholicos in hunc vſque diem permanere.

Idem Corn. Gême. Coſmocrit. lib. 2. cap. 2.

Surius. Idemque Ponteus ex edit. Fonſeri.

SS Nec erit

» Nec erit quiſquam tam impudens, qui rei huius veritatem negare auſus ſit, cùm graues viri apud Auguſtanos compertiſſimam eſſe teſtentur.

Staph. in Abſol. Reſp. Apol. pag. 404. interprete Surio.

His adiungere licet Exorciſmum quendam ab ipſo Luthero tentatum Wittenbergæ anno 1545, de quo narrat Staphylus qui interfuit; quòd dæmon cùm nihil ab eo moleſtiæ accipere poſſet, tum eum contrà omnibus ridiculum fecerit. Itaque iſti monacho apoſtatæ & hæretico multum diſſimiliter accidit atque S. Bernardo monacho religioſiſſimo atque catholico, in cuius Vita refert Bernardus Abbas Bonævallis, hunc inter alios Exorciſmum : Mulier grandæua ciuitatis Mediolanenſis [Nam ibi tum agebat S. Bernardus] & honorata quondam matrona, vſque ad Eccleſiam S. Ambroſij poſt beatum virum [Bernardum] à multis tracta eſt: in cuius pectore pluribus annis diabolus ſederat, & iam ita ſuffocauerat eam, vt viſu & auditu & verbo priuata, frendens dentibus, & linguam in modum promuſcidis elephantinæ protendens, monſtrum non fœmina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fœtidus, inhabitatoris ſatanæ colluuia teſtabantur. Hanc cùm aſpexiſſet Vir Dei, nouit inhærentem ei & inuiſcatum diabolum, nec facilè egreſſurum de domo quam tanto poſſederat tempore. Conuerſus ad populum (cuius innumera aderat multitudo) orare iubet attentiùs, & Clericis & Monachis ſecum iuxta Altare aſſiſtentibus, mulierem ibidem iubet conſtitui & teneri. Illa verò reluctans, & vi diabolica non naturali virtute recalcitrans, non ſine aliorum iniuria, ipſum Abbatem [id eſt, S. Bernardum] pede percuſſit. Quem diaboli auſum manſuetè ille contempſit: & ad expulſionem non indignatione iræ, ſed pacifica & humili ſupplicatione Deum inuocat adiutorem: & ad immolationem [in Miſſa] Hoſtiæ ſalutaris accedit. Quoties tamen eandem ſacram hoſtiam ſignat, totiens ad mulierem quoque conuerſus, eodem Signo Crucis edito ſpiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam & ille malignus quotiens aduerſus eum Signum Crucis intenditur, percuſſum ſe indicans acriùs ſæuit, & recalcitrans contra ſtimulum, quidnam toleret, prodit inuitus. Expleta autem Oratione Dominica, efficaciùs hoſtem aggreditur Vir beatus. Patenæ ſiquidem Calicis ſacrum Domini Corpus imponens, & mulieris capiti ſuperponens, talia loquebatur: Adeſt, inique ſpiritus, Iudex tuus, adeſt ſumma Poteſtas: iam reſiſte ſi potes. Adeſt ille, qui pro noſtra ſalute paſſurus, Nunc, inquit, Princeps huius mundi eijcietur foras. Hoc illud Corpus eſt quod de corpore Virginis ſumptum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt, quod in tumulo iacuit, quod de morte ſurrexit, quod videntibus diſcipulis aſcendit in cælum. In huius ergo Maieſtatis terribili poteſtate

In vita S. Bern. lib. 2. cap. 3.

Ioan. 12.

teſtate tibi, ſpiritus maligne, præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deinceps non præſumas. Cumque eam inuitus deſerens, & manere vltrà non valens, atrociùs affligaret, tam magnam iram quàm modicum tempus habens: rediens Pater ſanctus ad Altare, fractionem Hoſtiæ ſalutaris rite compleuit, diffundendamque in populũ Pacem Miniſtro dedit: & confeſtim pax & ſalus integra reddita eſt mulieri. Sic ille nequam, Diuina Myſteria quantæ ſint efficientiæ & virtutis, non confeſſione, ſed fugâ coactus oſtendit. Fugato diabolo mulier quam in tantorum ſartagine tormentorum carnifex peſtilens tanto tempore frixerat, mentis ſuæ compos effecta redditis ſenſibus & ratione, reuolutâ intra fauces linguâ, Deum confeſſa gratias egit, & intuita curatorem ſuum, pedibus eius aduoluta eſt. Ingens per eccleſiam attollitur clamor, omnis ætas iubilat Deo, perſonant æramenta, benedicitur ab omnibus Deus, excedit veneratio modum, & ſeruum Dei ſupra hominem (ſi dici fas eſt) liquefacta charitate Ciuitas veneratur. Audiebantur hæc quæ Mediolani fiebant: & per totam Italiam Viri Dei diſcurrebat opinio, & diuulgabatur vbique quòd ſurrexiſſet propheta magnus potens in opere & ſermone, qui inuocato Chriſti nomine & infirmos curaret, & obſeſſos à dæmonibus liberaret.

Apoc. 12.

Ex quibus vident omnes, manſiſſe hactenus in Eccleſia catholica poteſtatem hanc, eodem planè modo, eademque virtute, qua temporibus Iuſtini, Tertulliani, Cypriani, atque Lactantij. Vnde rurſum vident omnes, eandem, contra quam tum pugnabant Gentiles & Iudæi, eſſe Eccleſiam hodie, contra quam pugnant Proteſtantes: ſed omnino fruſtrà, quia iam tum in dæmonibus, Gentilibus, & Iudæis hoc ipſo inter cætera telo Maiorum noſtrorum ſunt proſtrati. Iterumque adhuc vident omnes ex his, quàm inanis & vana ſit illa Hæreticorum iſtorum gloriatio, quâ Lutheri & Caluini ſui noua & pſeudonyma Euangelia eo nomine prædicare ſolent, quòd quibus in terris illa recepta ſint, ex ijs terris confeſtim euanuerint ſpectra omnia quæ eas priùs infeſtabant. Nam ſi non ſit vaniſſima hæc gloriatio, vnde quæſo eſt, quòd horum Euangeliorum Patriarcha Lutherus non magis formidabilis fuerit Dæmonibus? Aut quem vnquam audiuimus Lutheranum, vel Caluiniſtam, vel alterius vocabuli Hæreticum, qui non æquè ridiculus eiſdem fuerit? Cùm enim & Signum Crucis, & Salutarem Hoſtiam, & ordinem Exorciſtarum, & cætera ferè omnia quibus Chriſtiani ſemper ijſdem immundis ſpiritibus fuerunt formidoloſi, Hæretici iſti ſacrilegè aboleuerint, quomodo obſecro dæmonibus terribiles, imò quomodo non eis grati, iucundi, amici,

& ſce lerati ſint? Non eſt, non eſt Euangelium Lutheri, quod dæmonibus purget vel corpora, vel loca. Verùm Euangelium Chriſti & Eccleſiæ eſt, & Catholici Chriſtiani ſunt, qui vt corpora (quemadmodum nunc oſtendi) ita & loca tali infeſtatione repurgant. Cuius rei illuſtriſſimum exemplum eſt, quod teſtis optimus Auguſtinus geſtum narrat à quodam Sacerdote ſuo, idque in eo loco, vbi contra Paganos Miracula ſui temporis recenſet pro Chriſto: Vir tribunitius [inquit] Heſperius, qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum Cubedi appellatum: „ vbi cùm afflictione animalium & ſeruorum ſuorum, domum ſuam ſpiri„tuum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogauit noſtros (me „ abſente) presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus: [& ſicut modò retuli de S. Bernardo per Corpus Domini in Miſſa mulierem iuuante, ita presbyter hic ad domum pur„gandam fecit:] obtulit ibi Sacrificium Corporis Chriſti, orans quantum „ potuit, vt ceſſaret illa vexatio: & Deo protinus miſerante ceſſauit. [Quàm bellè autem repurgarint Hæretici terras ſuas ſpiritibus malignis, declarant (præter tam multos conſultores ſpirituum Familiarium, non infimi loci viros) innumerabiles peſtilentiſſimi Magi & Magæ, quibus poſt iſtud receptum Euangelium, Anglia noſtra, Scotia, & Geneua ipſa ſcatet. Et ipſa inquam Geneua (nam ſtupenda ſunt, quæ de ipſa in hac parte ab ipſis quoque filijs ſuis narrantur) quæ tamen cum & huius & totius colluuionis fæce redundet, ſacrilega nihilominus auſa eſt in nummis ſuis cudere titulo ſuperbiſſimo, & ſpiritu Luciferiano, Ciuitas Sancta. quo modo olim Montanus Hæreſiarcha Pepuzam ſuam, cupiens omnes vndique eò conuocare, Hieruſalem nuncupabat, vt Apollonius teſtatur apud Euſebium. Quanto autem eam veriùs celebrauit vir quidam grauis & prudens, qui aliquando Anglis quibuſdam eam viſentibus, & iam tum obambulantibus vt omnia curioſiùs circunſpicerent, applicuit ſe, initoque cùm eis ſermone, Video [inquit] quòd peregrini eſtis, & ſtudio ducimini cognoſcendæ ciuitatis noſtræ. Illiſque annuentibus, & dicentibus, famam ipſius Ciuitatis celeberrimam vſquequaque peruagatam, ipſos ex Anglia vſque incendiſſe hoc ſtudio: Et meritiſſimò [inquit ille.] eſt enim certè eximia & ſingularis. Hæc enim ciuitas [ne ignoretis, inquit] eiecit vno & eodem die tres Dominos. Quos illos? [inquiunt Angli. Ait ille:] Dominum Ducem, Dominum Epiſcopum, & Dominum Ieſum Chriſtum. Quod quidem ſi Motiua hæc catholica quæ libro iſto continentur, grauiter & cordatè perpenderint, neque ipſi inficias ire queunt. Sed reuertor ad Angliam meam: quæ & ipſa gloriari non erubeſcit, ad nouam iſtam in

Auguſt. de Ciu. Dei li. 22. cap. 8.

Euſe. Hiſt. lib. 5. cap. 17.

Geneuenſis cuiuſdam Elogium Geneuæ.

ſe intro-

ſe introductam lucem diſparuiſſe dæmonum ſpectra, cùm tamen conſcia mecum ſit, tantum in ſe vigere magiæ, tantum familiaritatis cum ſpiritibus infernalibus, tantum denique in omni flagitiorum genere operationis diabolicæ, quantum nullo vnquam poſt gentem baptizatam ſeculo; quantum poſtremò ad nudum reuelare non noſtri inſtituti, ſed accuratæ Hiſtoriæ eſt, quam & aliquando prodituram non dubito. Quòd niſi præſtigijs Hæreticorum faſcinati & prorſus extincti eſſent oculi mentis eius, videret & agnoſceret potiùs hanc poteſtatem penes Catholicos eſſe, quemadmodum iam ab antiquiſſimis tēporibus ad noſtram vſque ætatem deduxi. Cuius rei domeſticum quoque exemplum habemus illuſtriſſimum in S. Cuthberto noſtro, catholico monacho & Epiſcopo, viro tam admirabili tamque glorioſo apud Deum, vt corpus eius poſt mortem non ſolùm vndecim illis annis de quibus Beda, verumetiam in hunc vſque diem octingentos totos annos incorruptum duret. De hoc igitur Viro Dei referens idem Ven. Beda noſter, qualis locus ſeu inſula fuerit, quam poſt cœnobiticam vitā creſcentibus meritis religioſæ intentionis ad agendam ibi deinceps anachoreticam in ſilentio vitam elegit, hæc ad verbum ſcribit: Erat autem locus & aquæ prorſus & frugis & arboris inops, ſed & ſpirituum malignorum frequentia humanæ habitationi minùs accommodus. Sed ad votum Viri Dei [inquit] habitabilis per omnia factus eſt. Siquidem ad aduentum eius ſpiritus receſſerunt maligni. [poſt quæ ſubijcit & de aqua:] Cùm autem ipſe ſibi ibidem, expulſis hoſtibus, manſionem anguſtam circumvallante aggere, & domos in ea neceſſarias iuuante fratrum manu, id eſt, Oratorium & Habitaculum commune conſtruxiſſet, iuſſit fratres, in eiuſdem habitaculi pauimento foueam facere. (Erat autem tellus duriſſima & ſaxoſa, cui nulla omnino ſpecies venæ fontanæ videretur ineſſe.) Quod dum facerent, ad fidem & preces famuli Dei, alio die aquâ plena inuenta eſt, quæ vſque ad hanc diem [inquit Beda] ſufficientem cunctis illò aduenientibus gratiæ ſuæ cæleſtis copiam miniſtrat.

Vide ſupra Moti. 12.

Bed. Hiſt. Ang. lib. 4. cap. 28.

Ex his (inquam) videre poſſunt Angli, apud quos ſit poteſtas fugandi vt de corporibus, ita & de locis ſpiritus malignos: vt non ſit eis neceſſe, ementitam laudem Euangelio nouo à neſcio quibus anilibus fabulis quærere. Quòd ſi quæ autem talium fabularum veræ ſint (quas certè ferè falſas &, vt dixi, aniles puto) quid quæſo aliud, his omnibus quæ dixi æqua lance trutinatis, conſequens eſt, niſi ſpiritus iſtos peſſimos qui ſub Catholicis domos tantùm poterant infeſtare, nunc Hæreticorum operâ admiſſos eſſe in hominum corda, bellam ſcilicet fugationem dæmonū & glorioſam.

Vbi dæmonum maximè vigeat & dominatio, & expulſio.

Certè enim quo tempore Chriſtus Dominus agebat in terris, turmas & legiones dæmonum qui tunc Hieruſalem & totam Iudæam infeſtabant, in Euangelijs lego. Similia autem de Roma tunc, vel de Athenis, vel de cæteris Gentilium locis, nuſquam lego. An igitur ex his volo concludere, quòd veram veri Dei religionem Gentiles tunc habuerint, non Iudæi? Ac non potiùs rei iſtius rationem reddam eam, quam Saluator

Luc. 11. „ ipſe? Quamnám illam? Cùm fortis armatus [inquit] cuſtodit atrium „ ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperueniens „ vicerit eum, vniuerſa arma eius aufert in quibus confidebat, & ſpolia eius „ diſtribuit. [fortem intelligens Satanam, fortiorem autem ſeipſum. Huius igitur fortioris glorioſa operatio erat, quæ tunc videbatur Ieroſolymis, & nondum videbatur Romæ. Huius eiuſdem fortioris operatio eſt, quæ deinceps & inter Gentiles Chriſtianos ſecundum Tertullianum, Cyprianum, & cæteros ſuprà allegatos, viſa eſt, hodieque videtur Romæ maximè & in Italia. in qua poſtquam placuit Chriſto arcem Religionis collocare, placet eidem conſequenter & ſigna virtutis ſuæ in dæmones ibidem eximiè oſtentare. Inter Gentiles autem infideles tempore Cypriani & reliquorum talia non videbantur, ſicut nec Romæ (vt dixi) tempore Chriſti. Veruntamen multò magis ibi tunc dominabantur dæmones, & (quemadmodum Chriſtus dixit) in pace poſſidebant ſua. adeò vt dicti Chriſtiani Maiores noſtri auſi ſint laceſſere (ſicuti audiuimus) infideles, & promittere quòd ſi exorcizandi venirent ad Eccleſias Chriſtianorum, ipſi ex ſuis pectoribus audirent dæmones reſpondentes: eò quòd fortis turbata ſemel pace eius à fortiori, recalcitrare inciperet & obſtrepere. Nemo enim ſeducat ſe: nam non ij ſoli qui arreptitij vocantur, dæmoniaci ſeu à dæmonibus poſſeſſi ſunt. Notum enim eſt, quid Saluator vel de populo Iudæorum, vel de quouis etiam peccatore relapſo dicat: Cùm

Luc. 19. „ immundus ſpiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquoſa „ quærens requiem. Et non inueniens dicit, Reuertar in domum meam „ vnde exiui. Et cum venerit, inuenit ſcopis mundatam & ornatam. „ Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi ha„ bitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. [Notum

Ioan. 13. v. 2. etiam, quid de Iuda Proditore ſcribat S. Ioannes Euangeliſta, ſcilicet, cùm cœna fieret à Chriſto, Diabolum iam tum miſiſſe in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes: quippe qui pridie conuenerat etiam

Luc. 22. „ de pretio cum Iudæis. vnde ſcribit S. Lucas: Intrauit autem Satanas in „ Iudam: & abijt, & locutus eſt cum principibus, quemadmodum illum „ traderet eis. Et poſtea inter cœnandum, cùm intinxiſſet panem, dedit

Iudæ

Iudæ Simonis, Iſcariotæ. Et poſt buccellam, tunc [inquit S. Ioannes] *Io. ibidem v. 27.*
introiuit in eum Satanas. &c. Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit "
continuò. [Et non multo pòſt,] cum accepiſſet cohortem, & miniſtros, *Ioan. 18.*
venit in hortum, vt Ieſum caperet. Neque tamen vel priùs, vel poſte- "
riùs erat Iudas arreptitius, id eſt, vel corporis ſui, vel mentis impos, ſicut
neque ſunt vel paruuli vel adulti, quos ante Baptiſmum tamen exorcizat
Eccleſia ad expellendum ex eis dæmonem & exufflat: idque ritu anti-
quiſſimo planeque Apoſtolico, quemadmodum aliàs demonſtrabo.
Propter quam cauſam etiam Demetriano Proconſuli, qui ſibi videbatur *Infra Moti. 22. num. 3. 30.*
multum ſapiens, acutus, & diſertus, tamen quia infidelis erat & Chriſtia-
nos perſequebatur verbo & opere, audiuimus modò S. Cyprianum ei
dicentem: Si volueris [à nobis exorcizari,] de te ipſo loquetur, audiente "
te, qui nunc tuum pectus obſedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ "
nocte cæcauit. [Inde etiam audiuimus Tertullianum & Lactantium di-
centes, quòd ſi exorcizentur is quem conſtat incurſum dæmonis per-
peti, itemque. Vates Apollinis Delphici, vel alterius cuiuſcunque ex
dijs falſis (qui tamen vates videbantur & ſibi & cæteris Gentilibus eximij
neſcio qui planeque diuini) tam celeriter excedet de vate ſuo Apollo,
quàm ex homine ſpiritus ille dæmoniacus: & adiurato, fugatoque deo
ſuo, vates in perpetuum conticeſcet. Cuius rei clariſſimum exemplum
edidit D. Paulus Philippis in puella illa quæ habebat ſpiritum pythonem, *Act. 16.*
& quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis diuinando. Huius generis
eſt, quòd cum Montanus & duæ meretrices Maximilla & Priſcilla inſti-
tuiſſent Hæreſim Cataphrygum, eamque vocantes Prophetiam, præ ſe
ferrent futura prædicere, graues viri atque Catholici quos nominat Eu-
ſebius, non dubitarunt profiteri, quòd eos agitarent dæmones: idque eo
argumento, quòd contrà quàm Eccleſiæ conſuetudo cùm traditione, *Euſ. lib. 5. cap. 15.*
tum ſucceſſione antiquitus ab Apoſtolorum temporibus eo vſque deri-
uata poſtulabat, loquerentur & agerent, onerantes etiam Catholicam
& vniuerſam ſub cælo Eccleſiam contumelijs. Zoticum propterea ca-
tholicum Epiſcopum (teſte Apollonio Scriptore Eccleſiaſtico) cùm Pe- *Ibidem cap. 17.*
puzam aduentaſſet, ibi iam Maximilla prophetare ſe ſimulante, inſanum
in illa ſpiritum coarguere conatum fuiſſe: verùm ab illis qui Maximillæ
partibus fauebant, ab inſtituto prohibitum. Vbi & alius Epiſcopus Ca- *Ibidem cap. 18.*
tholicus in Epiſtola Serapionis Antiocheni Epiſcopi, in hæc verba pro-

» lantio & ſectatoribus eius ſcribere: Hæretici nuper in Gallia ſub magiſtro
» cerebroſo pullularunt: qui Baſilicas Martyrum declinantes, nos [catho-
» licos] qui ibi orationes ex more [catholico] celebramus, quaſi immun-
» dos fugiunt. [& ſequitur:] Hoc autem non tam illi faciunt, quàm habi-
» tantes in eis dæmones, fortitudinem & flagella Sancti Cineris non fe-
rentes. [Idemque in Epiſtola aduerſus Vigilantium:] Exortus eſt ſubitò
» [inquit] in Gallia Vigilantius, ſeu veriùs Dormitantius, qui immundo
» ſpiritu pugnet contra Chriſti ſpiritum, & Martyrum neget ſepulchra
» veneranda. [& paulo pòſt in confutatione:] Ergo [ait] ſacrilegus fuit
» Conſtantinus Imperator, qui ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Ti-
» mothei tranſtulit Conſtantinopolim: apud quas dæmones rugiunt, &
» inhabitatores Vigilantij illorum ſe ſentire præſentiam confitentur? [Et
» iterum poſt pauca:] Reſponde, quomodo in viliſſimo puluere & fauilla
» neſcio quâ [ſic enim appellabat Vigilantius Reliquias Martyrum] tanta
» ſit ſignorum virtutumque præſentia? [atque ſubijcit ipſe reſponſionem,
» dicens:] Sentio, ſentio infœliciſſime mortalium, quid doleas, quid ti-
» meas. Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpe hoc viliſ-
» ſimo tortus eſt puluere, imò hodieque torquetur, & qui in te plagas diſ-
» ſimulat, in cæteris confitetur. Niſi fortè in morem Gentilium, impio-
» rumque Porphyrij & Eunomij, has præſtigias dæmonum eſſe confingas,
» & non verè clamare dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta. [propter quod
» adiungit:] Do conſilium: ingredere Baſilicas Martyrum, & aliquando
» purgaberis: [conuerſoque ſermone ad ipſum dæmonem qui in Vigilantio
» latitabat,] inuenies ibi [inquit] multos ſocios tuos, & nequaquam cereis
» Martyrum, qui tibi diſplicent, ſed flammis inuiſibilibus combureris; &
» tunc fateberis quod nunc negas, & in tuum nomen, qui in Vigilantio
» loqueris, liberè proclamabis, te eſſe aut Mercurium &c, aut Noctur-
num &c, aut certè Liberum Patrem &c. Id quod S. Auguſtinus etiam
non dubitauit ſcribere de Hermete Triſmegiſto vate Idolorũ in AEgyp-
to, qui & ipſe in Libro ad Aeſculapium, quaſi futura prænunciando de-
plorans, ſimilia Vigilantio diu antea effutiuerat, dicens: Tunc terra iſta
» ſanctiſſima ſedes delubrorum atque templorum, ſepulchorum erit mor-
» tuorumque pleniſſima. [Propter quod qualia de Vigilantio & dæmone
eius dixit S. Hieronymus, talia & de iſto Triſmegiſto ac dæmonibus eius
» dicit S. Auguſtinus, inquiens:] Dolor dæmonum per eum loquebatur,
» qui ſuas futuras pœnas apud ſanctorum Martyrum Memorias imminere
» mœrebant. In multis enim talibus locis torquentur, & confitentur, &
» de poſſeſſis corporibus hominum eijciuntur. Ex quibus omnibus vident

Epiſt 2. con. Vigil.

Auguſt. de Ciu. Dei lib. 8. cap. 26.

euiden-

euidentiſſimè Proteſtãtes, non temerè dixiſſe me, quod dæmones qui priùs loca tantum infeſtabant, ipſi in ſua aliorumque & corda & corpora ſeſe intruſerint, licèt interim arreptitij non exiſtant. Nam cũ eadem ipſi blaſphement nunc, quæ olim Hermes, Vigilantius, & Mõtanus, præiudicarunt (vt audiũt) S. Hieronymus, S. Auguſtinus, alijq́; ſancti Catholici Patres noſtri, & ipſos à dæmonibus agitari. Quorum Patrũ in ea re calculũ bene cõprobauit, quod cum multis alijs ſcribit Surius in Luthero ipſo aliquãdo oſtenſum eſſe. Nam poſt eius quidem profeſſionẽ Monaſticam, ſed ante blaſphemationem hæreticam,] quædam in eo [inquit] apparebant, quæ de mali dæmonis cõmercio ſuſpectum eum redderent, illud imprimis, quòd cùm aliquando in Miſſa diceretur Euangeliũ de expulſo ſurdo & muto dæmonio, ſubitò corruens exclamaret, Non ſum, Nõ ſum. [Additq́; Surius poſt Cochlæum, & dicit, quod etiam notoriũ eſt:] Imò verò ipſe non ſemel in a ſuis Scriptis teſtatus eſt, ſe probè cognitũ habere diabolũ, & plus quàm fruſtum vnum ſalis cum eo comediſſe. quæ quidem [inquit] dictu ſunt horrenda. *Surius ad an. 1517. ex Cochlæo in Actis & Scriptis Lutheri, anno 1517. pag. 2.* *a Luth. in Sermone quodam & lib. de Angulari Miſſa.*

Quare cum & grauiſſimorũ atque ſanctiſſimorũ Patrũ teſtimoniũ, & ipſius Lutheri confeſſio, & ipſa rei euidentia ſit huiuſmodi, vtinam ſapiant tandem aliquãdo Hæretici, & maturè cõſulant ſaluti ſuæ; ac deſinant falsò & inaniter gloriari, dæmones per ſe ſuis ſedibus expulſos eſſe, atque intelligant potius & agnoſcãt, dæmones eſſe inhabitatores ſuos, quemadmodum inhabitatores fuerunt Montani, Vigilantij, & Hermetis. Id quod omnes equidem hæreticos, maiores & puſillos, hortor & moneo, ſed maximè & imprimis eos qui vel duces cæterorũ vel perſecutores Catholicorũ ſunt, vt pote quia maiores dæmonis cooperatores ſunt, proptereaq́; & in periculo grauiori ex damnabiliori cæcitate verſantur. atque ij nominatim quidam viri Nobiles per noſtrã Angliã, per Scotiam, per Galliam, & alias vbicunq́;. Quibus multũ opto ſeriò inculcari (quia ad ſalutem ſuam nimis ſurdi ſunt) hiſtoriam valde memorabilem, quã ſcribit Sulp. Seuerus de quodam Auitiano Comite, qui barbara nimis, & vltra omnes cruenta feritate dominabatur in Gallijs circa Turonem vbi S. Martinus tunc erat Epiſcopus. Qui « [inquit Seuerus] cùm in omnibus locis cunctiſq́; vrbibus ederet crudelitatis ſuæ nefanda monumenta, Turonis tantum innocens erat. Et illa beſtia, « quæ humano ſanguine, & infelicium mortibus alebatur, mitem ſe atque « trãquillum beato viro præſente præſtabat. [Ac tum ſequitur hiſtoria quam *Seue. Dial. 3. cap. 5. 8.*

„ me, inquit, Sancte ſic aſpicis? Tum Martinus: Non te, inquit, ſed eum qui
„ ceruici tuæ teter incubuit. [Subditque Seuerus, quod vtinam Comitibus
noſtris pari modo contingat, & dicit: Ita receſſit diabolus, & reliquit fami-
„ liare ſubiectum. ſatiſq; conſtat, ab illo die Auitianum mitiorem fuiſſe: ſeu
„ quod intellexerit, egiſſe ſe ſemper aſſidentis ſibi diaboli voluntatem; ſeu
„ quòd immundus ſpiritus ab illius conſeſſu per Martinum fugatus, priuatus
„ eſt poteſtate graſſandi, cùm erubeſceret miniſter auctorem, nec miniſtrum
„ auctor vrgeret. [Hoc (inquam) vehementer opto, Hæreticorum ducibus
ſiue ſecularibus ſiue quaſi eccleſiaſticis innoteſcere: nempe quòd nouũ hoc
Euangelium non ſolùm dæmones à domibus in perſonas hominũ intromi-
ſerit, verumetiam pro paruis dæmoniolis qui dicuntur olim infeſtaſſe do-
mos, dæmones huiuſmodi, tam miræ magnitudinis, tam magnæ feritatis, &
in omni genere tam deteſtandæ malitiæ, qualis planè erat qui huic Auitiano
Comiti aſſidebat. Quam ad rem (de differentia, dico, dæmonum) meliùs in-
telligendam, antequam finis ſit Motiui huius, operæpretium & iucundum
erit, vnam adhuc ſed multiplicem hiſtoriam attexere, multùm pertinẽtem
ad materiam huius loci, quæ & in Anglia noſtra ante annos ferè quadrin-
gentos contigit, temporibus Henrici ſecundi Regis & S. Thomæ Cantua-
rienſis Epiſcopi & glorioſi Martyris. Verba ipſa Gulielmi Neubrigenſis op-
timi auctoris qui tum vixit, & nihil in his narrat alienum ab auctoribus an-
tiquiſſimis iam citatis, more meo diffuſè ponam:

Neubrig. li. 2. Rerum Anglicarum cap. 21

a Sicut Amos Propheta.

Fuit vir quidam venerabilis in noſtra [inquit] id eſt Eboracenſi pro-
uincia apud vicum, Farneham dictum: nomine Ketellus. homo quidem
„ [a] ruſticanus, ſed innocentiæ & ſimplicitatis merito ſingularem quandam à
Domino gratiam conſequutus. De quo ſanè plura memorabilia veracium
„ mihi virorum innotuere relatu, è quibus pauca retexam. Idem cùm eſſet
„ adoleſcens, quodam die iumento ſedens domum reuertebatur ex agro. Et
„ ecce in via plana iumentum tanquam in aliquod offendiculum impingẽs,
„ in terram decidit, & ſeſſorẽ deiecit. Qui exurgens vidit duos quaſi Æthio-
„ pes paruulos ſedentes in via, & conridentes. Intellexit eſſe dæmones non
„ amplius permiſſos nocere, & gaudentes ſe vel modicum nocuiſſe. Acce-
„ pitque tale donum ex Deo, vt ab illa die deinceps dæmones haberet cõſpi-
„ cabiles, & quantumcunque lædere cuperent, eum latere non poſſent. In-
„ tuebatur eos, vt homines vel in modico læderent, oberrantes; & ſi fortè vel
„ modicum læſionis intuliſſent, exultantes. Denique huius ſibi gratiæ con-
„ ſcius, cœpit Deo deuotus exiſtere, orandi ſtudio crebrius ſecretum captare,
„ eſu carnium & lineo abſtinere, Eccleſiam quantũ poterat ita frequentare;
„ vt ingrederetur primus & vltimus egrederetur. Cœlibatum amplexus de

nuptijs

nuptijs non curauit: vſque ad finem vitæ in obſequium poſitus cuiuſdam Adæ clerici de Farneham. Accepti muneris ſecretum tenuit, nec ſuas paſſim voluit reuelare viſiones: niſi fortè Sacerdoti, tanquam Confeſſionis myſterium, aut Domino ſuo, ſiue alicui ſapienti arctiùs inquirenti. Stabat aliquando pro foribus Domini ſui circa ſolis occubitum, viditque decem dæmones, quorum vnus maior erat, & præeſſe cæteris videbatur, vicum ingreſſos. Cumq; vno in loco ſubſiſterent, & ſecum confabularentur, tanquam ſecretò deliberantes de agendis: maior ille cœpit binos mittere per domos. Ipſe autem cum vno fores, vbi ſtabat Ketellus, ingredi voluit. Tum ille: In nomine, inquit, Chriſti interdico vobis ianuæ huius ingreſſum, & moram in vico iſto: reuocate ſocios veſtros, & abite velociter. Paruêre inuiti, ſacri nominis adiurationem non ferentes, & ſuas molitiones ab homine animaduerſas dolentes. Idem vidit aliquãdo dæmones tranſeuntes cum carro diligenter clauſo, & audiebatur foris gemitus incluſorum: porrò illi ridebant. Tum ille ad eos (nam ſolebat impauidus cum huiuſmodi ſpiritibus miſcere ſermonem) Quid eſt, inquit, hoc? Et illi, Animas, inquiunt, peccatrices deceptas, captaſque à nobis, ad loca pænalia ducimus: illæ gemunt, & nos ridemus. Te quoque nobis tradi optamus, vt etiam ſuper te, cùm hoſtis noſter ſis, gratulantiùs rideamus. Tum ille, Abite, inquit, maligniſſimi: riſus veſter in luctum vertatur. Contigit eum aliquando eorundem penè hoſtium ſæuitiam experiri. feſſus ex agrario opere domum reuerſus, dum ſomno grauaretur, ſacri ſe Signaculi nequaquam impreſſione muniuit. Dormienti loco ſolito, ſoli aſtitêre duo dæmones, ſæui nimis atque terribiles, & excitatum apprehendentes, Euge, inquiunt, Ketelle incidiſti in manus noſtras: infeſtos ſentire habes, quos prouocare minimè timuiſti, quorum myſteria totiens prodidiſti. Ille ſubito caſu attonitus, nomen Chriſti inuocare, & ſignare ſe voluit, nec valuit. Manus enim eius & lingua tenebantur, ne ſacri ſe vel Signi vel Nominis munimine tueretur. Noli (inquiunt) Ketelle fruſtrà conari, manum linguamq; tuam ligauimus, vt nihil tibi aduerſum nos valeat ſuffragari. Cumque ita de illo triumphare viderentur, & malum quod ei facere cogitabant, verbis minacibus atque inſultatorijs præuenirent: repentè iuuenis ſplendidus bipennem manu ferens introijt: ſtanſque in medio, bipenni molliter digito tacta ſonitum ingentem dedit. Quo ſonitu exterriti dæmones, relicto, de quo triumphare cœperant, homine, diffugêrunt. Tum accedens iuuenis,

„ me, inquit, Sancte ſic aſpicis? Tum Martinus: Non te, inquit, ſed eum qui „ ceruici tuæ teter incubuit. [Subditque Seuerus, quod vtinam Comitibus noſtris pari modo contingat, & dicit: Ita receſſit diabolus, & reliquit fami- „ liare ſubiectum. ſatiſq; conſtat, ab illo die Auitianum mitiorem fuiſſe: ſeu „ quod intellexerit, egiſſe ſe ſemper aſſidentis ſibi diaboli voluntatem; ſeu „ quòd immundus ſpiritus ab illius conſeſſu per Martinum fugatus, priuatus „ eſt poteſtate graſſandi, cùm erubeſceret miniſter auctorem, nec miniſtrum „ auctor vrgeret. [Hoc (inquam) vehementer opto, Hæreticorum ducibus ſiue ſecularibus ſiue quaſi eccleſiaſticis innoteſcere: nempe quòd nouũ hoc Euangelium non ſolùm dæmones à domibus in perſonas hominũ intromiſerit, verumetiam pro paruis dæmoniolis qui dicuntur olim infeſtaſſe domos, dæmones huiuſmodi, tam miræ magnitudinis, tam magnæ feritatis, & in omni genere tam deteſtandæ malitiæ, qualis planè erat qui huic Auitiano Comiti aſſidebat. Quam ad rem (de differentia, dico, dæmonum) meliùs intelligendam, antequam finis ſit Monui huius, operæpretium & iucundum erit, vnam adhuc ſed multiplicem hiſtoriam attexere, multùm pertinẽtem ad materiam huius loci, quæ & in Anglia noſtra ante annos ferè quadringentos contigit, temporibus Henrici ſecundi Regis & S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi & glorioſi Martyris. Verba ipſa Gulielmi Neubrigenſis optimi auctoris qui tum vixit, & nihil in his narrat alienum ab auctoribus antiquiſſimis iam citatis, more meo diffusè ponam:

Neubrig. li. 2. Rerum Anglicarum cap. 21

Fuit vir quidam venerabilis in noſtra [inquit] id eſt Eboracenſi prouincia apud vicum, Farneham dictum: nomine Ketellus. homo quidem „ [a] ruſticanus, ſed innocentiæ & ſimplicitatis merito ſingularem quandam à Domino gratiam conſequutus. De quo ſanè plura memorabilia veracium „ mihi virorum innotuere relatu, è quibus pauca retexam. Idem cùm eſſet „ adoleſcens, quodam die iumento ſedens domum reuertebatur ex agro. Et „ ecce in via plana iumentum tanquam in aliquod offendiculum impingẽs, „ in terram decidit, & ſeſſorẽ deiecit. Qui exurgens vidit duos quaſi Æthio- „ pes paruulos ſedentes in via, & corridentes. Intellexit eſſe dæmones non „ amplius permiſſos nocere, & gaudentes ſe vel modicum nocuiſſe. Acce- „ pitque tale donum ex Deo, vt ab illa die deinceps dæmones haberet cõſpi- „ cabiles, & quantumcunque lædere cuperent, eum latere non poſſent. In- „ tuebatur eos, vt homines vel in modico læderent, oberrantes; & ſi fortè vel „ modicum læſionis intuliſſent, exultantes. Denique huius ſibi gratiæ con- „ ſcius, cœpit Deo deuotus exiſtere, orandi ſtudio crebrius ſecretum captare, „ eſu carnium & lineo abſtinere, Eccleſiam quantũ poterat ita frequentare; „ vt ingrederetur primus & vltimus egrederetur. Cœlibatum amplexus de

[a] Sicut Amos Propheta.

nuptijs

nuptijs non curauit: vſque ad finem vitæ in obſequium poſitus cuiuſdam Adæ clerici de Farneham. Accepti muneris ſecretum tenuit, nec ſuas paſſim voluit reuelare viſiones: niſi fortè Sacerdoti, tanquam Confeſſionis myſterium, aut Domino ſuo, ſiue alicui ſapienti arctiùs inquirenti. Stabat aliquando pro foribus Domini ſui circa ſolis occubitum, viditque decem dæmones, quorum vnus maior erat, & præeſſe cæteris videbatur, vicum ingreſſos. Cumq; vno in loco ſubſiſterent, & ſecum confabularentur, tanquam ſecretò deliberantes de agendis: maior ille cœpit binos mittere per domos. Ipſe autem cum vno fores, vbi ſtabat Ketellus, ingredi voluit. Tum ille: In nomine, inquit, Chriſti interdico vobis ianuæ huius ingreſſum, & moram in vico iſto: reuocate ſocios veſtros, & abite velociter. Paruêre inuiti, ſacri nominis adiurationem non ferentes, & ſuas molitiones ab homine animaduerſas dolentes. Idem vidit aliquãdo dæmones tranſeuntes cum carro diligenter clauſo, & audiebatur foris gemitus incluſorum: porrò illi ridebant. Tum ille ad eos (nam ſolebat impauidus cum huiuſmodi ſpiritibus miſcere ſermonem) Quid eſt, inquit, hoc? Et illi, Animas, inquiunt, peccatrices deceptas, captaſque à nobis, ad loca pænalia ducimus: illæ gemunt, & nos ridemus. Te quoque nobis tradi optamus, vt etiam ſuper te, cùm hoſtis noſter ſis, gra[illegible]lantiùs rideamus. Tum ille, Abite, inquit, maligniſſimi: riſus veſter in luctum vertatur. Contigit eum aliquando eorundem pænè hoſtium ſæuitiam experiri. Feſſus ex agrario opere domum reuerſus, dum ſomno grauaretur, ſacri ſe Signaculi nequaquam impreſſione muniuit. Dormienti loco ſolito, ſoli aſtitêre duo dæmones, ſæui nimis atque terribiles, & excitatum apprehendentes, Euge, inquiunt, Ketelle incidiſti in manus noſtras: infeſtos ſentire habes, quos prouocare minimè timuiſti, quorum myſteria totiens prodidiſti. Ille ſubito caſu attonitus, nomen Chriſti inuocare, & ſignare ſe voluit, nec valuit. Manus enim eius & lingua tenebantur, ne ſacri ſe vel Signi vel Nominis munimine tueretur. Noli (inquiunt) Ketelle fruſtrà conari, manum linguamq; tuam ligauimus, vt nihil tibi aduerſum nos valeat ſuffragari. Cumque ita de illo triumphare viderentur, & malum quod ei facere cogitabant, verbis minacibus atque inſultatorijs præuenirent: repentè iuuenis ſplendidus bipennem manu ferens introijt: ſtanſque in medio, bipenni molliter digito tacta ſonitum ingentem dedit. Quo ſonitu exterriti dæmones, relicto, de quo triumphare cœperant, homine, diffugêrunt. Tum accedens iuuenis,

» mones magnos, robuſtos, & callidos, multumque nocuos, ſi relaxentur à
» ſuperiori poteſtate: quoſdam verò paruos, ac deſpicabiles, impotentes viri-
» bus, & ſenſu hebetes. omnes tamen pro modulo ſuo infeſtos hominibus,
» multumque lætari, ſi vel parum illis moleſtiæ inferant. Vidiſſe ſe quoſdam
» tales ſedentes ſecus vias, & facientes offendicula tranſeuntibus; petu'an-
» terque ridentes, cùm vel hominem vel iumentum eius pedes atterere fa-
» cerent, & maximè ſi homo hoc ipſum iumento imputans maledicto in
» iumentum calcaribus ſæuiret. Porrò ſi homo vel modicè turbatus nomen
» ederet Saluatoris (vt eſt quorundam conſuetudo valde laudabilis) triſtes &
» confuſi fugiebant. Aiebat ſe quoque aliquando domum potationis ingreſ-
» ſum vidiſſe huiuſmodi dæmones in ſpecie ſimiarum, ſingulos potatoribus
» ſingulis in ſcapula ſedentes, illiſque potantibus ſpuentes in phialas, homi-
» numque vecordiam petulanti geſtu & ludicris motibus irridentes. Cum-
» que inter potandum preces ex more indicerentur; & nomen Saluatoris
» inſonaret, exterriti exibebant, virtutem ſacri Nominis non ferentes: ſed
» mox reſidentibus ad Phialas ruſticis, rurſus introibant, ſeſſionem priorem
» cum motibus ſolitis repetentes. [Ac demum de eo concludit, dicens:] Sanè
» cui tanta diuinitus collata eſt gratia in animaduertendis nequam ſpirituum
» actibus atque inſidijs, annis vitæ ſuæ in multa innocentia & ſinceritate ex-
» pletis, dormiuit in Domino, ſepultuſque eſt apud Farneham.

Ex his igitur vniuerſis facilè eſt omnibus non nimium ſalutem animarum ſuarum negligentibus videre, quòd non ſint Proteſtantes neque religio Proteſtantium, quibus vlli dæmones profligantur, ſed contrà planè quibus Dominium plenum traditur dæmonibus, & quibus vbique nocentiſſimi dæmones immittuntur. Solam autem religionem Catholicam eſſe, & ſolos Catholicos, à quibus dæmones omnes, parui & magni, ſiue loca occupent, ſiue corpora, cedere cogantur, ab exordio naſcentis Eccleſiæ continuè in præſentem vſque diem: idque cum tanto veritatis aſſerendæ argumento, vt Hæretici neque valeant reſiſtere; & ſi velint, non tam ſuum negocium contra nos, quàm eâdem operâ negocium Iudæorum, negocium Paganorum, negocium ipſorum idolorum atque dæmonum, contra ſanctos martyres Iuſtinum & Cyprianum, contra omnem antiquitatem, & contra ipſius Chriſti Diuinitatem ſint acturi.

TOMI PRIMI FINIS.

VA1 1522060